1664

È

Prohibito dalla Sac: Cong.ne

THEOLOGIÆ MORALIS

PARS ALTERA,

DE SINGVLIS VITÆ HVMANÆ ET CHRISTIANÆ OFFICIIS.

CONTRA

FICTI AMADÆI, ET VERI Martini Mohæ Hispani Tractatus quindecim.

EDITIO ALTERA AD MENTEM Alexandri VII. aucta eiusdem S. Pontificis quadraginta quinque Propositionum Censuris, & tribus cum Ioanne Launoio Diatribis de forma Absolutionis, & Primatu Petri, & verborum injuriis.

Authore R. P. VINCENTIO BARONIO *Ordinis Prædicatorum ex Familia S. Thomæ Tholosana.*

PARISIIS.

Sumptibus Viduæ SIMEONIS PIGET, & IACOBI PIGET Filij, viâ Iacobæâ ad insigne Prudentiæ.

M. DC. LXVIII.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CAVSÆ TRES HVIVS EDITIONIS, Atque Amadæi & Ioannis Launoÿ de nostrâ Ethicâ dissidentes opiniones aperiuntur.

SI nulla sit ad scribendum vrgentior causa, maiorum imperio, rerum & temporum momentis, quæ veritates ad salutem comparatas illustrari exigunt, & impositâ ad innocentiæ grauissimè læsæ defensionem necessitate; non dubito (Christiane Lector) quin boni consulas hanc nostræ Theologiæ ad superiorem festinatam, magis quàm maturatam accessionem, cùm vix eam patiantur, ne dicam præterire, sed nec differre longius, tres à me enumeratæ causæ, citra grauem contumaciam in maiores, veritatis in iniustitiâ detentæ, & abiectæ cum proditione innocentiæ crimen. Harum causarum vel vna, non solum sponte currentes ad scribendum incitare

poſſet, ſed eò etiam reluctantes impellere: Quâ ergo ratione omnium impetum ipſe ſuſtinerem, & detrectarem onus, non cuiuſcumque maiorum, ſed Summi Pontificis impoſitum manu & imperio, opus de vſu probabilitatum, id eſt, de veritate ad omnium ſalutem neceſſariâ primis lineamentis deductis inchoatum, & imperfectum abiicerem, non ſolum cum hoc certo vituperio Euangelij: *Ecce homo qui cœpit ædificare* (id enim nihil moror) ſed etiam cum indubitatâ infamiâ, veritatis ex ignauiâ deſertæ, & neglecti boni communis? Et ſi iſtis minimè commouerer, cauſatus non ſine aliqua modeſtiæ ſpecie, me imparem Summi Pontificis implendo mandato, plures ſupereſſe ad laceſſitæ veritatis defenſionem me validiores; nihil occurreret quo poſſem excuſare poſtremum accuſationis caput, D. Thomæ & eius Scholæ, de ſingulis vitæ humanæ, & Chriſtianæ officiis mentem, prauis interpretationibus nonnullorum corruptam eſſe, & tacuiſſe: quaſi hoc ſilentio agnoſcerem, & præ me ferrem, Angelicum Doctorem eiuſque diſcipulos, latiſſimam ad omne genus flagitiorum portam reſeraſſe.

Vbi paucis te, Lector, monuero de his cauſis grauiſſimis, quæ iſtud ad ſuperiorem partem Theologiæ moralis auctarium efflagitant; Non dubito quin à nonnullorum ſuſpicionibus abhorreas, quaſi ſuſceptus à me ſit hic labor, gratis quemquam laceſſendi animo, & non verius vnâ neceſſitate, calumnias Sanctiſſimo Doctori, eius Scholæ, totique Familiæ Dominicanæ, aut ſi velis, ipſi virtuti illatas depellendi. Inde ergo hanc

accessionem ab inuito extortam intelliges, vbi paucis hæc tria capita attigero.

Atque vt incipiam à Pontificio mandato, cuius memini ad finem nostrarum animaduersionum; fidem dictis meis faciat, quæ ad Mercori Parisiensem, post primam Mantuæ, alteram Auenioni, & postremam in Belgio editionem extat præfixa operi Epistola, quâ testatus sum, & iterum confirmo, comitiis Generalibus Ordinis Prædicatorum Romæ anno 1656. habitis, nomine Summi Pontificis Consilium, aut verius præceptum euulgatum, & Theologis Thomistis, quotquot sunt in orbe Christiano, à Definitoribus defendum, Religioni & Scholæ nostræ gloriosissimum: tędere Beatissimum Patrem, qui tum gloriosissimè sedebat, Alexandrum VII. tot nouarum opinionum hoc sęculo, in Theologiam moralem inductarum, quibus disciplina Euangelica resoluitur, acconscientiis, cum graui animarum periculo illuditur; & se maximè velle, à Theologis nostris, in Ecclesiæ hoc morbo occulto laborantis remedium, opus parari, ex seueriori & tuta Sanctissimi Præceptoris doctrina, quo hęc morum & opinionum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur.

Eo verò toto tempore, quod à Comitiis ad hunc vsque diem effluxit, duos noui è Schola nostra imperio Pontificio paruisse, nempe Ioannem Martinez de Prado Castellanæ Prouinciæ Præpositum dignissimum, duobus de Theologia morali tomis editis, quibus ita ad viuum quæstiones secat, vt vix vllum Moha ex illis locum potuerit excerpere, quo etiam apertis deprauata-

tionibus, suas laxitates fulciret; & Mercorum, qui sua Basi ita opinionum securitati à lege consuluit, vt nullibi à Moha ad suæ causæ patrocinium citatum legerim. Sed is ipse qui videbatur mandatum Pontificium occupasse, & nos eo leuasse onere, à rigidioribus Theologis lacessitus nouum imposuit se defendendi, & hanc subeundi palæstram, de moderando probabilium vsu: quæ non licuit attingere, omissâ Probabilistarum laxitate & licentiâ: Atque ita factum est, vt cùm putarem me in Summum Pontificem reuerentiæ & obsequio satisfecisse, delato ad nostros eius imperio, & nuntii officio defunctus, aliud longè grauius accesserit, illud etiam pro mea tenuitate implendi.

Spe itaque exclusus, me illo onere leuatum iri, vbi aliorum humeris imposuissem, in me planè recidit, illi ferendo imparem: nec superest detrectandi locus; cùm altera huius scriptionis causa mihi occludatur: Nam quod molitus sum opus, & cuius prima lineamenta descripsi, cum aliqua non solum proprii nominis, sed etiam ipsiusmet veritatis, & Dei causæ noxa desererem. Priori parte de probabilibus generatim tantùm egi: nunc superest, vt quod vniuersim dictum est de opinionis à lege tutæ delectu, partibus ostendam, & communem regulam, in singulas de virtutibus & vitiis quæstiones inducam. Id quidem non admodum difficile est, constituto ad quam exigantur, aut vnde depromantur singulares de moribus assertiones principio: & inde inexcusabilior fierem, si laborem perinde facilem, ac necessarium subterfugerem, priore quò

iam defunctus sum magis improbo, longè vtiliorem.

Ea est moralis disciplinæ ratio, à cæteris omnino diuersa, vt cum tota praxim spectet, nisi singularia minutatim expendas, omni sit fructu caritura. Parum est quod monui ad calcem operis, me imitatum Mathematicos, qui demonstrationem verbis & oratione confectam, & menti Discipulorum quasi iniectam, oculis etiam aspectabilem subiiciunt, lineamentis & figuris, radio in arena descriptam, & repræsentatam. Quamuis enim eò conueniant Mathesis & Moralis, vt quæ docent & demonstrant, ad sensus vsque deducant, quadam veluti manuductione sensibili, longius tamen alio discrimine summè obseruando distant; quod demonstrationibus Mathematicis, seu sola mente percipiantur, seu subiiciantur oculis, sua eademque veritas constet, & lineis tantùm fiat facilioris captus, cùm Discipulis tardioribus magis obuia sit, & altius imprimatur. At Ethice, si prima tantum principia morum, aut proximas illi conclusiones communes attingat, nullum operæ pretium facit, nec ad vsum, quem vnum spectat viam satis expeditam munit: deinde singulis quæ inde deducuntur conclusionibus, suæ veritates insunt, quas ignores principiorum gnarus, nihilque iuuet eas comparasse, sed prorsus otiosæ & inutiles ad bonam mentem futuræ sint, nisi vt pœnitenda mercede, ex illis reuincaris officio te defuisse. Ne igitur videamur Lectoribus insidias & offendicula instruxisse potius ad damnationem, quàm strauisse viam ad virtutem & salutem, generalibus regulis morum,

ſuperiore parte conſtitutis, agendum omnino eſt de ſingulis omnium virtutum officiis, eò vtilius quo minutatim & accuratius ſingularia proſecuti fuerimus.

Hinc eruditiſſimè dictum à Philoſopho, diuerſam in totum Moralis & aliarum diſciplinarum methodum eſſe ineundam. Ad Theoricas artes & ſcientias, methodus reſolutionis neceſſariò inſtituenda eſt, quâ ab infimis ad ſuprema, ab effectis ad cauſas, à mediis ad principia aſſurgamus: quia ſui cauſâ quæruntur, quæ ad Theoriam pertinent, & vnius veritatis notitia paratur; eo certior, purior, & defœcatior, quo à ſenſibilibus & ſingularibus longius receſſerit: at contra Moralis, compoſitionis methodum affectat, & ſibi penè ſingularem vindicat, quæ à fine vltimo ad media, à principiis ſyndereſeos altiſſimis, per varios concluſionum gradus, ſenſim ad opus accedat, quod vnicum inſpicit ſui laboris operæpretium.

Egregiè hoc ſcientiarum diſcrimen illuſtrat ſchala Iacobo Patriarchæ per ſomnium viſa: hinc Angelis ſurſum in Cœlum ſubeuntibus, inde ad terram delabentibus. Theoricæ ſcientiæ & Theologiæ methodo reſolutoriâ, per ſcalam ſurſum arrepimus, & ab effectis ad cauſas, à creatis ad Deum aſſurgimus: contrà Morali Theologiâ, methodo compoſitionis, deſcenſum Angelorum imitamur, & inſpectis in lege æterna vitæ regulis, ex illa depromimus nouas, quibus quid facto opus ſit, innoteſcat. Huic ergo methodo nobis inſiſtendum fuit, & conſtituto opinionum ex lege tuto delectu generatim, proſequenda fue-

runt singularum virtutum officia : aliàs nostro defuissemus, nisi Tractationem inchoatam 1. Parte, alterâ, quæ instent singulis hominum agenda, demonstratum esset : quod pro virili impleuimus, nostrâ ad Amadæum responsione. Atque ita hoc illi debemus beneficium, vt non sit passus nos ignorare, quid singulis rerum & temporum articulis, nos facere conueniret.

Huic commodo ista parte comparato, adde aliud, non omnino spernendum, quo curiosis factum est satis. Laxiorum probabilitatum originem inquisiuere nonnulli, vano prorsus labore: multi hâc infœlicitate deterriti, à longiori supersedendum putarunt inuestigatione, rati perinde huius corruptelæ, seu malorum diluuii, sicut Nili fluminis caput vix posse deprehendi. Caramuel suo Apologemate, antiquissimam & mundo coæuam fingit, vagam probabilitatem : nos verò nuperam, & patrum nostrorum sæculo natam esse contendimus. Sed quo loco, quo Authore primùm cœpit ? quæstioni difficillimæ & plurium opinione insuperabili, puto nos satisfecisse, & ad originem vsque improbo labore, certum iter muniuisse. Probabilistæ putant à se deprehensam apud D. Antoninum, in quem ex tota antiquitate primum referunt, nostro sęculo, vno vel altero proximum. Sed demonstrauimus deceptos planè fuisse : multo enim D. Antonino recentior est hæc probabilitatum licentia. Et si veris agere liceat, Salmanticæ nata est superioris sęculi anno 79. inuentore Bartholomæo Medina Salmanticensi primo Theologiæ professore; vt agnoscas me sincerissimè agere, ausum id fateri, quamuis

pessimi aut saltem non boni inuenti, aliqua in nos (quia ex nostris erat) sit deriuatura inuidia. Sed ille rimulam tantum aperuit, ascita opinioni minus tutæ, minusque aduersâ probabili, securitate à peccato, & arbitrario illius delectu permisso. Hoc examine quæstionis Facti, Authore *P. Des Champs* demonstratum, poteris, Lector, comperire, vt non sit opus crambem bis coctam hîc obtrudere.

Duas habemus causas huius auctarii compertas: tertia superest, eo operosius tractanda, quod vna possit consilium nostrum, etiam morosioribus approbare: quia necessitatem indixit prorsus ineluctabilem Amadæo respondendi. Pontificium decretum de morali Theologia ex principiis Diui Thomæ apparanda, citra vllam culpam, & cum aliqua, vt dixi modestiæ laude detrectari à me, aut excusari poterat, iniecto in alios validiores onere, & iam occupato, & impleto accuratè à nonnullis hoc mandato. Nec minus iusta defensio suppetebat, ad aliud caput, de opere Morali inchoato ad calcem, id est, ad vsum & ad praxim deducendo. Id à multis iam factum legi, & à Mercoro expectatur longè eruditius & exactius, quàm à me tentari possit. Sed D. Thomam eiusque Discipulos, eo periculosius vexatos ab Amadæo, quo obliquè petantur, & aliquâ honoris specie, in laxitatum quas defendit patrocinium aduocatos, deserere indefensos, & calumniis opportunos non potui, quasi Ethicam Christianam corruperint, & primi morum licentiam in Ecclesiam inuexerint, cum hactenus nulli nostrûm, saltem Latino & communi sermone, quas omnes debemus

vindicias persoluere, nec parare audiuerim: Hoc qua ratione, saluâ conscientiâ, & saluo Religionis honore, quam profiteor, & Scholæ cuius sum auditor, & discipulus, detrectare possim, non video: maximè cùm adeò apertæ & atroces sint calumniæ, vt si silentio, quæ nobis affinguntur, prętereamus, simus totius generis humani diris deuouendi, & quasi Ecclesiæ pestes ab hominum societate depellendi. Quare quod aliquo loco & simili causâ Tertullianus dixit: *Omnes milites ad hæc mala auertenda esse oportet*, quotquot Dominicanam vestem prętulerunt, & Scholæ Angelici Doctoris nomen dederunt, nisi velint communem causam videri prodidisse. Nullus planè est qui necessariæ huius defensionis iura non probet, & intestabiles censeat, qui illi defuerint.

Primæ editionis Prefationi addideram inquisitionem in Authorem huius collectionis, aut verius retractaueram eorum quæ variis locis nostræ Ethices sparseram, in illam opinionem pronior, ex Petri à Clausâ-valle, seu Theophili Raynaudi officinâ opus prodiisse. Sed euentus probauit me non immeritò eodem loco scripsisse: *Nisi voluisset hic Author omnes latere, quis esset, quod vitæ genus profiteretur, aliud à suo nomen operi non præfixisset, quo voluit nullius patere notitiæ; vt omnium nostrûm coniecturas frustra exerceret.* Prudenter monebant Antiqui, quamdiu res incerta esset, suspendendum esse & cohibendum animi assensum; quem, si aberraueris, aliqua ex iudicii leuitate, Pœnitentia aut pudoris pœna consequitur: Eam veluti præsagâ mente videor redemisse, de vero Authore huius operis, quæstione in ambi-

guo & in medio relictâ : Quis verò fuerit post quartam eius libri editionem innotuit, & Romæ damnatus est, vt pluribus prosequor exordio primæ disputationis. Hæc leuiora sunt, quàm vt diutius nos detineant, & remorentur à grauiori obseruatione quæ hîc occurrit, & animum aliquâ percellit admiratione. Quid illud sit quæris? Duorum Scriptorum, nempe Amadæi & Ioannis Launoii de nostrâ Ethicâ nec conueniens, nec dissentiens omnino; sed adeò anceps & ambiguum iudicium, vt vix quidquam certò statuere possis. Sed quidquid de illorum sensu sit, hoc indubitatum statuo, in Ethicam D. Thomæ cadere luculentum, quo Seneca Epistolâ 64. Sextium quemdam nomine, Philosophũ prosequitur, encomium, his elegantibus verbis: *Ostendit tibi beatæ vitæ magnitudinem & desperationem eius non facit; scies illam esse in Excelso, sed volenti penetrabilem*. Hoc quidem tibi Ethica Angelici Doctoris præstabit, vt quam subiicit fœlicitatem & virtutem *admireris, & tamen speres* te consecuturum; si quæ præscribit & suppeditat documenta, audias & sequaris: Nullus sapientum, puto, abnuet Ethicam D. Thomæ verbis, nostroque sensu explicatam his Senecæ verbis egregiè descriptam. Soli Amadæus & Ioannes Launoius contra obstrepunt, & diffidentibus animis in illius noxam ac damnationem conspirant: Amadæus quidem conqueritur nostrâ interpretatione ad eum prouectam esse gradum, vt vix ab vllo adiri possit: Hinc exclamat initio sui operis, *hæc si vera sint* (quæ nimirum de tutioris opinionis secundum S. Doctoris mentem dicta sunt ex lege delectu) *væ operantibus ex opi-*

nione probabili: Quare bono (vt par est nos credere) consilio, ne multis, quàm ferè omnibus inaccessam putat, Ethica sit offendiculo, sed pessimo euentu, inuitam ad laxiores Recentiorum opiniones detorquet. Verum id frustra nititur; quia rigor ille ab ingenita Authoris pietate, & à sollicita tum propriæ, tum omnium salutis charitate inditus & innatus, nullâ laxiorum Theologorum industriâ aut vi lentescere potest, & veluti Lesbia regula ad hominum cupiditates flecti.

Quid ad ista Launoius? Quamuis videri velit totus ab Amadæi opinionibus abhorrere, & aliquo loco nostras in illum disputationes commendare; non tamen propterea desinit totam nostram Ethicam conculcare, & in abiectiorem locum detrudere, eo in quem Amadæus suis commentationibus deiecit: quamuis enim iste detractis ferè omnibus ornamentis, ac viribus penè illam confecerit; ad eam tamen calamitatem, cuius ipse Author est, depulsam dignatur nomine Christianæ; quod illi in totum negat Launoius, etiam integræ & intactæ à Recentiorum corruptelis, qualem toto nostro opere subiicimus & exhibemus.

De Amadæi iudicio nihil est quod hîc nos detineat: omissis quæ latè prosequor, toto opere argumentis, vno eoque breuissimo & iuxta efficacissimo primâ præfatione quas in D. Thomam refert laxiores opiniones confutaui, ab exemplo Patris Ferrerii, cuius in Scholasticis disputationibus eruditionem nemo nescit; illi verò duorum supra viginti voluminum D. Thomæ, post nocturnam & diuturnam lectionem, post acrem inquisitionem,

duo tantum reperta ſunt loca & exempla, quibus fauere viſus eſt S. Doctor opinionibus pro libertate contra legem ſtantibus quæ illi primâ Ethices parte eripuimus : Et poſt iſta Amadæo non ſolùm fide, ſed etiam eruditione in Scholaſticis illi minimè comparando credemus, infinita depromenti? Nonne vides, erudite Lector, cum prætermiſſa ſint à diligenti & ſincero Scriptore, quod nihil ad cauſam facerent, fuiſſe ab Amadæo in alienum prorſus à S. Doctoris mente ſenſum detorta.

Non poſſum etiam hoc loco Lectorem ſuæ & aliorum ſalutis ſollicitum re gratiſſima fraudare, quam litteris Venetiis, & Roma ad me ſcriptis certam comperi : Nempe Tamburinum contra conſtitutum à me delectum tutioris ex lege opinionis, edidiſſe libellum, hoc titulo : *Germana doctrina Patris Thomæ Tamburini*, quem in Sicilia, ni fallor, vnde natus eſt, editum Venetias miſit, denuo typis dandum : Sed vbi hoc audiuit eminentiſſimus Cardinalium Decanus Franciſcus Barberinus, nomine Congregationis ſancti Officii, cui ipſe præeſt, in hæc ferè verba ſcripſit Inquiſitori Veneto: *Ne patiatur vllo modo V. R. typis dari libellum hac inſcriptione*, Germana doctrina, *&c. Quamuis enim ſciamus ſemel in lucem editum, ſacra tamen Congregatio illum iudicat inſigni aliquâ cenſurâ notandum*. Promiſerat mihi ex meis familiaribus vnus, à duobus aut tribus menſibus, ſe quam primùm ad me miſſurum. Si ad manus meas perueniſſet, hanc tertiam editionem examine libelli auxiſſem, illi inſerturus vbi primùm recepero. Lætor plures & frequentes occaſiones occurrere, quibus Romani Patres & Iudices conteſtan-

tur, & indubitatum omnibus faciunt, se à nuperis Ethicæ Christianæ laxitatibus abhorrere. Aliquo Tullius loco obseruat prudentissimè : *Fingebat*, inquit, *Homerus, & humana ad Deos transferebat : mallem diuina ad nos.* Simile quid de Ethicâ D. Thomæ Amadæus, aut quorum sensa colligit, Theologi moliuntur : licentiam morum ad diuinam illam totamque cœlestem ac Christianam disciplinam transferunt : sed iuuat Ciceronis votum hîc instaurare, *mallem ad nos diuina transferrent*, & nostram Ethicam ad perfectissimum exemplar diuinæ virtutis promouerent : aut si altius pigeat euehere, sinerent saltem eo gradu stare, quo ipse S. Doctor, eiusque fidelissimi Interpretes posuêre: Quid verò si infra illum ordinem demisissem, dicturus esset Launoius ? cum eo loco constitutam quo Amadæus putat inaccessam omnibus; & vltra quod scriptum & par est Christianos grauare, nihil dubitet scribere exordio Epistolæ ad Thomam Fortinum contra me exaratæ. *In libris*, inquit, *quos de morali Christianorum disciplina aduersus corruptores illius edidit, sacra eruditio nulla, Ecclesiastica eruditio nulla comparet, in rebus quas decidit, Scripturarum authoritati, Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, Sanctorum Patrum testimoniis, Ecclesiasticæ traditioni nihil tribuit; sed omnia humanis & Philosophicis subiicit rationibus, quæ quia coniecturas oppositas non superant, legem nullam imponunt agendi sic, vel aliter agendi licentiam dant & impunitatem: moralem Christianorum disciplinam, ita tractare prodidisse est : nullam illa præ se fert differentiam qua secerni, à Iudæorum & Gentilium Ethica internosci possit, etiam adhibitâ diligentiâ.*

Quis reputet aut enumeret, quot & quanta his paucissimis verbis peccarit, vno nos proscindendi studio? Iure Exercitationis exordio dixi nullum mortalium Launoio opportuniorem esse, quibus conficiatur responsionum telis: Ita enim cæco in nos fertur impetu, vt solâ feriendi cupiditate abreptus, nullam defensionis curam habeat; & pectus confodiendum nudet. Parum id est, verius alio loco dixi, eorum furorem imitari, qui traiecto per medium corpus gladio aduersarium leuissimè perstringunt; ita Launoius vt nostræ aut potius S. Doctoris Ethicæ aliquam verbis tenus labeculam aspergat, & per summam iniuriam Christianæ detrahat nomen, in grauissimos sese præcipitem dat errores; quibus, vt cætera omittam, funditùs delet, quidquid nobis superest ex lumine naturali ad bonam mentem, & omnia gratiæ supernaturalis dona, quæ in nostra Ethice elucent maximè, labefactat. Quid sibi vult, cum verbis relatis ait: *Omnia me humanis & Philosophicis subiicere rationibus, quæ quia coniecturas oppositas non superant, legem nullam imponunt agendi sic, vel aliter agendi licentiam dant & impunitatem?* Vt hæc scriberet, imposuit illi nimia nos lacerandi cupiditas, nec attendit quàm pestiferi errores his verbis subsint, quos ei hoc nomine condonandos censeo, quia ignorans fecit. Si vera sint quæ scribit, ergo nihil peccarunt Ethnici qui nunquam ex Euangelio quidquam audiuêre, nullâ saltem nouâ culpâ suâ: vnde infideles negatiuè appellantur: Insontes ergo pronunciat, dum ius gentium conculcant, dum nefanda contra legem naturalem perpetrant, nec ab vllo

scelere

ſcelere abſtinent : quia ſolis rationibus humanis ducuntur ; *quæ cum coniecturas oppoſitas non ſuperent*, vt ait, *legem nullam imponunt*. Quid ergo ſibi vult Paulus, cùm ad Rom. 2. ait : *Quicumque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt ?* Et rurſus, *cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem habentes ipſi ſibi ſunt lex ?* At Launoius contra Apoſtolum ſtat, *ratione humanâ aut philoſophicâ legem nullam imponi* : Ergo ex illo innoxii ſunt, quos eiuſdem Epiſtolæ c. 1. Paulus tot ſcelerum reos peragit, & inexcuſabiles pronunciat, Philoſophi, *quod veritatem Dei in iniuſtitia detinuerint*. vnde verò illis innotuit veritas Dei ? Planè ex humanis & Philoſophicis rationibus, quæ ex aduerſario vix *ad coniecturas accedunt*, *& agendi ſic vel aliter licentiam dant, & impunitatem*. nimio abreptus conuitiandi æſtu, non potuit animaduertere ſe Apoſtolo capitaliter aduerſari, dum Philoſophos inde ab omni ſcelere abſoluit ; vnde illos damnat Paulus nempe ex rationibus Philoſophicis lumine naturali comparatis. Quid enim aliud ſignificant quæ adiungit verba ? *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis : Deus enim illis manifeſtauit.* Quâ verò ratione, quoue lumine ? An fidei quæ ex auditu & prædicatione Euangelii ? At nihil vnquam audiuêre : Ergo lumine naturali rationis ſe manifeſtauit, vt demonſtrant quæ ſubiungit : *Inuiſibilia enim ipſius à Creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur : ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas ; ita vt ſint inexcuſabiles.* Si tamen vera ſint quæ in opprobrium noſtræ Ethices

ſcripſit Launoius excuſandi ſunt; quia *ſolis Philoſophicis rationibus*, ad ea quæ manifeſta appellat Apoſtolus, aſſurrexerunt, & cùm nolit *coniecturas oppoſitas ſuperare*, dederunt illis, quod liberet *agendi licentiam & impunitatem*. Ergo te iudice, Launo j! iniquè damnantur ab Apoſtolo: horum non memineras cum tuis affectibus permittebas te, & patiebere abripi, illo quo flagras nos laceſſendi ardore.

Qui eo rationem humanam deiecit, vt omnium quibus ſe Philoſophi & Ethnici conſpurcarunt ſordium & flagitiorum defenſio ſit & abſterſio, an donis gratiæ ſupernaturalibus melius conſuluit? Imo, cum omnia altiſſimo loco extent, & emineant in noſtra & D. Thomæ Ethicâ, his verbis prorſus deleuit: *Nullam præ ſe fert differentiam quâ ſecerni à Iudæorum & Gentilium Ethicâ, & internoſci poſſit, etiam adhibitâ diligentiâ.* Quamuis diligentiæ meminerit; tamen vt cum illo benignius agam, & reatum, qui illâ *adhibitâ* excreuiſſet in immenſum, minuam; dico Launoium nullam adhibuiſſe: quia ſi paululum ſepoſitis, qui perſtrepunt affectibus, attendiſſet ad infinita, quibus toto illo opere gratiæ ordinem à naturali & ſubinde noſtram Ethicam à Gentili & Iudæâ diſtermino; nunquam hæc illi verba excidiſſent, niſi vellet haberi ab omnibus in reprobum ſenſum datus; vel omnino rudis & ignarus Chriſtianę Ethices, quam infinitis paraſangis, & ad minus decade differentiarum à Gentili diſtinguo, quarum imprudens nullam iurat ſe vidiſſe, nec etiam adhibitâ diligentiâ poſſe ab vllo videri. Non aſſentient

tibi, sed tui potius miserebuntur, Launoj! qui aliis quam tuis oculis legerint, quæ prouidâ & præsagâ mente prologo inserui, vt me contra inconditas & ineruditas, ne quid grauius dicam, tuas vociferationes munirem. Per viscera Christi attentius legas, quæ primæ editionis præfationi folio 7. pag. 2. hoc tenore intexta sunt.

Cùm Angelici Doctoris sanctitas longè præstet eruditioni & subtilitati, conueniebat planè illius Ethicam magis piè quàm subtiliter tractandam, reliqua vincere opera, quæ ab ingenio magis, quàm à moribus & affectu proficiscuntur. Vno verbo eius laudes complectar: prorsus alia est, ab ea quam ex S. Doctore videri vult Amadæus deprompsisse, variis artibus interpolatam. Sed hoc fuco absterso facile intelliges (Christiane Lector) neque securiorem esse posse, cùm semper legi & saluti consulat; neque veriorem & profundioris sensus, cum vbique abstrusa rimetur, & in lucem apertam proferat; nec ab his tribus regulis, à ratione, à lege æterna, & Euangelio vel minimum recedat: Denique illa eadem sit Ethica, quam Christus primum *aperiens os suum* ad Euangelii prædicationem docuit, vt luculentissimè explicat S. Doctor 1. 2. quæst. 69. & nos paucis etiam hîc perstringemus, vt ab origine & exemplari, vnde deducta est, quam defendimus, Theologia Moralis Angelica, eius dotes mirari possint omnes, soli inuidi aut imperiti, carpere & sugillare.

Cum primum Deus nos à se conditos secunda generatione instituat, & hominis conditionem Christiani nomine augeat, atque gratiam naturæ,

veluti cæleste germen terrenæ inserat arbori, continuò diu noctuque id animo versandum est, nec vnquam ab ea cogitatione vel momento cessandum; quid à nobis vtraque sors officii exigat: quia semper nos agere oportet hominem, vel Christianum: nam sicut ratio est fides hominis, de qua vere Apostolus pronuntiat peccatum esse quidquid ex fide, id est, ex rationis regula non fit, ita fides est tota ratio Christiani, ex qua illi viuendum est. Egregie docet Angelicus Præceptor, Art. 1. Summæ, 3. ex quæst. 91. 1. 2. & item 2. 2. quæst. 3. art. 3. præter naturales disciplinas, opus esse alia supra naturæ vires, vel fide quæ credenda mysteria, & implenda præcepta tradat, vel lege diuina, naturali & humana, altiore: Theologiæ scientia, quæ fidei articulos explicet, defendat & inde conclusiones deducat. Ab his tribus Dei donis, necesse est rationem naturalem totidem beneficiis perfici: nam quidquid veri aut boni nosse potest, ex residuo lumine post originalis peccati tenebras, fides, lex diuina, & Theologia probant & confirmant; si quid erret corrigunt, & emendant; postremò ad altiora promouent, quò nequidem cogitatione & voto possimus assurgere.

Hanc Christus memorata concione 1. Euangelii interprete D. Thoma nos docuit Ethicam: nam cum ex Augustino triplex sit bonorum genus, nimirum, infra nos, aut intra, vel supra positorum; vulgus ex errore fœlicitatem in infimis fortunæ & corporis bonis expetit: Philosophi hoc errore damnato, fœlicitatem quærendam docent, in ipsa virtute, sed corruptâ ex Epicuro, quam ad volu-

ptatem refert; aut inflata ex Stoicis, quod ea vna putent se beatos esse: vel iis etiam abiectis erroribus, Plato & Aristoteles, virtutem gradum ad fœlicitatem, non summum bonum constituunt: sed finem vltimum Dei notitiâ ex creatis comparatâ, & amore inde consecuto, constare docent; atque hæc est meta, quam ratio naturalis, nisi fidei & legis diuinæ lumen accesserit, prætergredi non posset.

Id mirare, Lector, Christus familiari & populari sermone, interprete D. Thoma, antiquorum de fœlicitate & virtute opiniones ad examen reuocat; primum errorem vulgi in totum damnat: Ille beatos reputat eos qui bonis externis abundant: at contra Christus, quibus desint, fœlices prædicat. Opinionem mediam eorum, quibus vna virtus, vel relata ad voluptatem, vel absoluta summum bonum est, corrigit & emendat: Peripateticam verò sententiam probat constitutâ virtute quasi medio gradu ad fœlicitatem. Quid tandem his addit? Naturam ad diuinitatis consortium, & visionẽ promouet, & subinde virtutum infusarum suppellectilem apparat, quibus ad illud summum bonum promouehamur. Illa concionis Christi breuissima interpretationẽ, videor mihi compendio perstrinxisse Thomisticam, quam nostra Apologia propugno contra Amadæi corruptelas, Moralem: confirmat quidquid ratio naturalis certi & veri statuit de officiis vitæ humanæ: corrigit etiam & emendat, quæ de virtute relatâ ad voluptatem abiectius Epicurei, vel altius de eâdem virtute absolutâ & inflatâ Stoici sentiunt: Peripa-

teticam vnam probat virtutem, quam Christiana perficit, absoluit, & ad altiorem supra hominis sortem, diuinæ proximam attollit. Hîc damus specimen & gustum eorum quæ toto opere prosequimur.

Id scire velim an, Launoj, ista legeris ex præfatione, & quæ illis consentanea extant passim ferè à capite ad calcem, maximè disput. 1. sect. 2. art. 1. de iustitiæ & iuris naturalis principiis, quæ disp. 2. sect. 1. art. item toto 1. de religionis ratione, de virtutis Christianæ pręstantia, de collatione virtutum vtriusque ordinis naturæ & gratiæ, vnde officiorum nostrorum magnitudo demonstratur, quæ eiusdem disputationis sect. 3. de Sacramento Pœnitentiæ, & sect. 4. de Eucharistia vt Sacramento & Sacrificio legi gratiæ eximiis, quæ totâ disp. 3. de fide & charitate singularibus eiusdem legis dotibus, quæ disp. 4. sect. 1. art. 4. paragraph. 3. de legis naturæ & gratiæ ratione, partibus & promulgatione, quæ sect. 2. de iure hominis & Christiani, quæ ad calcem de dotibus Ethices D. Thomæ: vel, inquam, horum nihil attigisti Launoj? Et si id fateare, quis excuset aut ferat, de rebus tibi inexploratis ita exertè, ita atrociter statuere, vt nihil à Iudæorum & Gentilium Ethica differre pronunties? Si agnoscas te legisse, longè grauiori, quam præcipitis & temerarii iudicii, ex crassa ignorantia aut ex liuore, reatu te implicas; vt nescire videaris, quid sit Ethica, quid sit natura, quid sit gratia, quibus conueniant, quibus differant, inter sese: hæc enim distinctissimè toto nostro opere prosecuti sumus, vt qui horum gradus &

differentias, vel minimâ diligentiâ adhibitâ **non** videat, cæcus planè sit & Christianismi omnino ignarus.

Solet Launoius nullam in suis aduersariis virtutem, nullum in se aut amicis vitium agnoscere: sed vbi ita cæcutit, & omnes desiderat virtutes, Decades & Chiliades virtutum facile est demonstrare; vnde omne vitium sui causa vult absistere, infinita subsunt, & vtrobique magis copia rerum quam inopia laboramus. Nullam vult inesse differentiam Ethicam nostram inter & Gentilem aut Aristotelicam: Nos decadem differentiarum, quæ nonnisi ab Ethnico aut Heretico negari possint, facile subiiciemus omnium oculis, si semel statuerimus, quid sit Ethica: Ea verò sic describi potest. Ethicam intelligo, *quæ hominem fœlicitatis capacem, ad quam naturæ aut gratiæ dotibus idoneus est, instituit disciplina*; & docet primùm finem quò est contendendum, deinde legem quæ eò ducit, tum præscribit officia, quibus comparetur: Prętereà impellit ad virtutes, quibus mereamur fœlicitatem; adde Sacrificia ac Sacramenta quæ cultum Dei, nostramque salutem promoueant: & si supernaturalis fuerit ordinis Ethica, tribus præsidiis munit naturam, ægram sanat, incertam & titubantem confirmat, errores quibus implicatur, dispellit; & supra suam meræ seruitutis, ad amicorum, filiorum, & hæredum Dei prouehit & transcribit sortem. Quis verò negare possit, nisi forte aliquis Launoio similis, à D. Thoma fusissimè & à me parcius inuictè demonstratum, Ethicam Christianam à naturali differre fine seu fœ-

licitate supra omnem naturæ creatæ conatum & cupiditatem in visione diuinæ essentiæ positâ, vnde secunda consequitur differentiæ status filiorum, quos Deus ad hæreditatem adoptat: inde tertia existit lege gratiæ consentaneâ filiis & amicis, supra naturalem seruorum sortem: quarta ab his tribus consequitur differentia officiorum homini Christiano singularium: inde prodit quinta virtutum infusarum, sexta Sacramentorum, septima culparum, quibus à fine receditur, deiicitur status filiorum Dei, euertitur lex, pessundantur officia, virtutes infusæ excidunt, Sacramenta & sacrificia profanantur. Si ad naturam referatur huiusmodi Ethica, est dubitantis de finibus bonorum & malorum, de officiis & virtutibus & vitiis vitæ humanæ rationis suburra, vel falsæ & errantis remedium; rota & machina quâ veluti grue architectonicâ ad altiorem gratiæ statum prouehatur.

Cùm hanc differentiarum decadem nostra Ethica à Iudæa & Gentili præferret, & omnium oculis sese ingereret, singulis ferè nostræ lucubrationis paginis, quid in mentem venit Launoio, cùm scripsit omnem in illa desiderari differentiam, & inde exulare, *nec vllam internosci etiam adhibitâ diligentiâ*; nisi vt monstraret se in meridianâ luce cæcutire, vel tum solem lucentem per summam proteruiam negare, cum dispendio omnis fidei à se apud probos omnes abrogatæ? Forte non desinet cauillari me has differentias vano & ridiculo fastu ostentare, quarum ne minimum meis libris, aut D. Thomæ insit vestigium. Cur ita? Forte,

quod Scripturam & Traditionem, Conciliorum Canones, Pontificum decreta, Sanctorum Patrum testimonia non aduocemus? Sed præter quod incusatio falsissima est, & hæc omnia sobriè non ad nauseam & saturam adhibentur. Quid hoc obfuerit nobis, si quascumque ponimus Ethicæ nostræ assertiones, probemus & deducamus necessariâ, vt plurimùm, aut saltem probabili consecutione omnes, ex indubitatis principiis, quibus Scriptura, Traditio, Concilia, Pontifices Patres omnes attestantur? His verò præsidiis munitissima esse quæ assumimus principia, & posuimus fudamenta, nempe fœlicitatem Christiani in visione diuinæ essentiæ, supra naturæ creatæ vires & vota esse positam, quæ adoptionem filiorum Dei, legem gratiæ, suppellectilem virtutum infusarum necessariò exigat, quis, nisi hæreticus aut Gentilis, saluâ fide negare possit? Viderit ergo Launoius, attendant eius amici & consecranei, quâ ratione potuerit scribere, *nullam præ se ferre nostram Ethicam à Gentili differentiam*, cùm inuictè & insuperabiliter demonstratum sit decade differentiarum abundare. Hæc confringendæ aduersarii contumaciæ dicta sint in antecessum, & vniuersim, operosius partibus explicanda; quia nullus esset finis Censurarum, si notandos susciperem Launoij lapsus, qui verborum longe superent numerum. Et post ista ereptam summis Pontificibus sibi infallibilitatem vindicabit; nec abnuent eius amici & admiratores.

Dum Editio vergebat ad calcem, fama ad nos pertulit R. P. Ferrerium tertiam quæ hanc inse-

quitur nostræ Theologiæ partem de Scientia media, opere recentissimo, Tolosæ edito confutasse, cum hac inscriptione argumento non admodum conuenienti: *Responsio ad obiectiones Vincentianas*; quâ nomina magis quam rem ipsam videtur attendisse, cum ego Prospero, ipse Vincentio propius absimus. sed quidquid sit, vbi legero, si res exigat, commodùm secundam tertiæ partis nostræ Theologiæ, post duarum superiorum nouam editionem adornabo, inquirendi causâ, an illa disputatio sit inscriptione conuenientior.

SYLLABUS LOCORUM EX D. Thoma, eiusque Discipulis, quæ à corruptelis Amadæi vindicantur.

Loca de probabilitate falsata.

PAg. 20. & 21. celebris D. Thomæ locus ex Quodlib. 8. Art. 6. falsatus, & præter eius mentem explicatus.

Pag. 24. Malâ fide relatus Sotus; & sequenti perperam reprehensus Caietanus.

Pag. 46. S. Antoninus truncatus, & prçter eius mentem explicatus: sicut Albertus Magnus, pag. 48. Syluester. Pag. 51. Aluares truncatus.

Pag. 53. Nugno extra Thesim citatus; Pag. 44. Eâdem pag. Ildephonsus truncatus. Pag. 54. Martines præter eius mentem explicatus.

Pag. 56. Paulus de Blanchis exra thesim citatus, & ibidem Ludouicus Lopes truncatus.

Pag. 108. D. Thomas & Caietanus deprauati;

Pag. 385. suppressus per fraudem insignis locus Caietani, de opinionis pro lege delectu.

Deprauationes ex Tractatu 1. de Peccatis.

Pag. 71. Corruptus insignis locus D. Thomæ & truncatus de alienæ mortis desiderio.

Pag. 73. Malâ fide citati S. Vincentius, Zanardus & Serra.

Pag. 96. Immanis corruptela principiorum D. Thomæ.

Pag. 111. Calumnia in Conradum & Syluestrum ex truncatis illorum verbis.

Pag. 120. D. Thomæ locus de electuariis perperam à Diana & Amadæo lacessitus.

Pag. 134. Mens Caietani male explicata de præceptis Ecclesiæ.

Pag. 151. Calumnia illata Bannesio de agressore præueniendo.

Pag. 164. Holcot male lacessitus.

Pag. 175. & sequentibus falsati D. Thomas & Syluester.

Pag. 178. Caietanus.

Pag. 178. Bannes & Soto falsò accusati : & item Pag. 188. Soto illata calumnia ex monte pietatis & pag. 189. Caietano.

De Religione eiusque partibus.

Pag. 216. Falsata loca D. Thomæ, D. Antonini, Paludani, & Syluestri, de horis canonicis, & pag. 218. Soto. pag. 210. Iterum Soto male citatus pag. 2.

Pag. 228. Falsò accusatus D. Thomas de Sacramento Matrimonii.

Pag. 233. Enormiter truncatus D. Thomas de intentione Ministri Sacramentorum, & illatæ calumniæ plures de Martyrii baptismo, de Ordine Episcopatus. Item pluribus calumniis aspersi Paludanus, Tabiena, Cano, Caietanus.

Pag. 243. Enormis impostura verbis ex Opusc. supposito truncatis.

Pag. 353. Horribilis corruptela D. Thomæ de inceſtu, & de ſpeciebus & circumſtantiis peccatorum confitendis.

Pag. 263. & 269. Malâ fide citati de iure eligendi Confeſſarium, Caietanus, Serra, Sotus, & Syluester.

Pag. 296. Calumnia in D. Thomam de inſtitutione Euchariſtiæ.

Pag. 297. Alia calumnia in D. Thomam de confeſſione facta Laico.

Pag. 300, Alia in Caietanum captata occaſio de confeſſione præmittenda ad communionem,

Pag. 303. De Sacramento & ſacrificio Miſſæ D. Antoninus & Syluester falsò citati.

Pag. 310. Male citatus Caietanus de ſimonia.

Pag. 312. Perperam accuſatus Sotus. Et idem

Pag. 313. Falsò explicatus à Sanchez & Amadęo.

Pag. 314. & 315. De Cenſuris Caietanus falsò citatus de excommunicatione inferentis manus violentas in Clericum.

Pag. 330. & 331. De ſollicitantibus mala fide relatus Serra.

De Fide.

Pag. 335. Falsò accuſati Nicolaus Ianſenius & Combeſius.

Pag. 337. & 338 Dominicanorum de Societate bene meritorum inuidioſa ſuppreſſio.

De Charitate.

Pag. 351. De officiis Charitatis Criminatio falſa loci Caietani.

Ibidem. De desiderio mortis alienæ Sotus in alienum sensum detortus.

Pag. 353. De scandalo ad peccandum dato locus D. Thomæ enormiter corruptus, tuncatis etiam verbis.

Pag. 354. De calumnia ad defensionem Bannes in prauum sensum detortus.

Pag. 356. De Correctione fraterna, idem Bannes præpostere correctus.

Pag 359. De præcepto correctionis fraternæ, Soto perperam explicatus.

Pag. 362. De correctione fraterna, constitutiones Prędicatorum in alienum sensum explicatæ: & multo grauius Fanciscanorum detortæ.

Pag. 369. De eadem correctione deprauatio loci D. Thomæ.

De Præcepto dilectionis Dei.

Pag. 367. De speciali dilectione Dei, mala fide relati Serra & Bannes.

Pag. 369. Contra idem præceptum speciale Charitatis, fallax argumentum ex D. Thoma depromptum.

Ibidem De contritione, intempestiua reprehensio Caietani.

Pag. 370. Contra pręceptum speciale Charitatis, pessimè aduocatus D. Thomas.

Pag. 372. Contra idem præceptum, fraude relatus ex D. Thoma locus.

Pag. 380. In idem pręceptum, fallax consecutio ex D. Thoma deprompta.

En, Chriſtiane Lector, quibus artibus, Ethicam D. Thomæ Amadæus in ſuæ præſidium aſciuerit, quibuſve armis, cùm ſe ab illo diſſentire præ ſe fert, laceſſiuerit. Nolo fidem mihi habeas, Syllabum interpolationum ſubieci ad limen operis, vt ipſe explores, dolo-ne, an ſincerè retulerim: ſi librum legeris, plures occurrent tibi corruptelæ, quæ in hoc Syllabo deſiderantur: exſcribendum enim erat totum ipſius, & noſtrum opus, ſi omnes hîc collegiſſem. Iis vero exploratis, non dubito quin boni conſules hunc noſtrum laborem, & impoſitam fateare nobis iuſtæ defenſionis neceſſitatem, ne tot calumniis pateret noſtra Schola & Familia.

APPROBATIO
Doctorum Parisiensium.

NOS infra scripti Theologi Parisienses accuratè perlegimus Partem alteram *Manuductionis ad Moralem Theologiam, cui addita sunt Animaduersiones in opus damnatum Amadæi Guimenii, &c. Authore* R. P. VINCENTIO BARONIO *Theologo Dominicano.* In eâ verò tantum abest, vt aliquid siue Fidei, siue bonis moribus aduersum deprehenderimus, quin potius validè impugnat corruptelas morum à nominato authore inductas, & ab illarum consortio D. Thomam eiusque Scholam, cuius testimoniis abutebatur, apertè vindicat. Datum Parisiis die 13. Aprilis 1665.

LVDOVICVS FREMONT.

N. PETIT-PIED.

APPRO-

APPROBATIO

Theologiæ Professorum Ordinis.

AD *Theologiam Moralem Manuductionis partem alteram, seu veram mentem D. Thomæ, &c. Authore* R. P. BARONIO *Ordinis Prædicatorum,* mandato R. P. Generalis perlegimus. Hanc præter cæteras laudes habet, vt quod titulo pollicetur summa fide impleat, & ereptum aliis D. Thomam nobis vendicet, & verissimum probet, quod olim Angelicus Præceptor vita functus, cum ab extraneis suum corpus haberi nollet, & iuberet suis reddi, cuidam dixit, se nunquam melius quàm inter suos esse. Vbique integrum & castissimum morum Præceptorem exhibet: nisi quod pari cum doctinæ puritate coniuncta eloquentia maiorem efficit. Hanc igitur Moralem Theologiam, ceu clarissimum Ethicæ Christianæ speculum & D. Thomæ vindicias publici iuris debere fieri arbitramur. Datum Parisiis die 27. Martij anni 1665.

Fr. BERNARDVS LAPALISSE Doctor Theologiæ, & Prior Nouitiatus Generalis Parisiensis Ordinis Prædicat.

Fr. ANTONINVS MASSOVLIE Lector Theologiæ Ordinis Prædicat.

PRIVILEGE DV ROY.

IL est permis au R. P. Vincent Baron Professeur en Theologie, de l'Ordre des Freres Precheurs, d'imprimer ou faire imprimer par qui bon luy semblera, vn liure qu'il a composé, intitulé, *Manuductio ad nouum Theologiæ Scholasticæ Controuersæ & Ethicæ studium & vsum*, en vn ou plusieurs Volumes pendant le temps & espace de dix ans, durant lequel temps nous faisons tres expresses deffenses à tous Libraires, Imprimeurs, ou autres de vendre & debiter ledit Liure sans la permission dudit Pere, ou de ceux qui auront ordre de luy, à la charge qu'il sera executé suiuant sa forme & teneur contenuë en l'Original. Donné à Paris le Mars 1658.

Par le Roy FALLENTIN.

Registré sur le Liure de la Communauté, suiuant l'Arrest du Parlement en datte du 8. *Auril* 1653.

Ledit R. P. Baron a cedé, quitté & transporté ledit Priuilege cy-dessus à Simeon Piget, Marchand Libraire de Paris, pour en ioüir en son lieu & place, suiuant l'Acte passé entr'eux, le 19. Aoust 1664.

Acheué d'imprimer pour la seconde fois le 20. Avril 1668.

INDEX DISPVTATIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

SECTIO II.

DISPVTATIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

SECTIO VLTIMA.

DISPVTATIO III.

SECTIO I.

SECTIO II.

DISPVTATIO IV.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

APPENDIX.

Errata leuiora facile, Lector, ipse deprehendes hæc solum grauiora annotare visum est.

Pag. 9. l. 23. *leg.* accingar. Pag.17.l.25.*leg.*motus. Pag.21. l.3.*leg.*corrupit. Pag. 37.l.10.*leg.*grauis. Pag 10.l 36.*leg.* Et. Pag 61.l.22. *leg.* mimus. lin. 24. fe lecto lin. 38 *leg.* agunt. Pag.63.l.2 *leg.*examine. Pag.70.l.1.*leg.*affinguntur. Pag 101 l.10.*leg* vtrorumque. lin.'20. *leg.*cufori. Pag.148 l.13.*leg.*apertum. Pag.163.l.2.*leg.*electorum. lin. 21.*leg.*fed. Pag.164. l *dele* non. Pag.181.l.17.*leg.* cenfu. Pag.232.l.31.*leg.*Dominicani. Pag.235.l.38.*leg.*quare. Pag.238.l.26.*leg.*fœdiffimas. Pag.264.l.8.*leg.*fuo. Pag.280 l.9. *leg.*ibit. Pag.288.l.16.*leg.* reticendum. Pag.32 . l.21.*leg.*contingit. Pag.334.l.2 .*leg.*fin. Pag.338.l.9.*leg.*deceffloris. Pag.341. l.25. *leg.* Angelorum. Pag.364.l.37.*leg.* præmittere. Pag.174.l.1.*leg* ficut. Pag.455. l.1.*leg.* non defuiffet. Pag. l.penult.*leg.*de. Pag.471.l.36.*lege* contigit.

Errata ex Appendice.

Pag. 4.l.30 *lege* nodi.lin.35.*leg.*fufceptum. Pag.18.l.12.*leg.* nouit. Pag.20.l.16.*leg.*poffent. Pag.22.l.6.*leg.*hoc. Pag. 29. l.34.*leg.*in fedem. Pag.31.l.12.*leg.*diuiferam. Pag. 38.l.21.*leg.* fit. Pag.41.l.25.*leg.*natura. Pag 53. l.1.*leg.*fore. Pag.66.l.28. *leg.*Romani. Pag.69. l. 20. *adde* nos. Pag.79. l.17.*leg* 1656. Pag.84 l.35. *adde* mentem. Pag 87.l 9.*adde* verba. Pag.100. l.16 *leg.*vnquam. Pag.113.l.13.*leg.*quæ.

DISPVTATIO

DISPVTATIO PRIMA
DE VIRTVTVM MORALIVM Regulis & Officiis.

ABSOLVERAM Domini Fagnani, aut verius Legis diuinæ Vindicias aduersus Caramuelem, easque typis daturus eram; cum repentè è prælo Lugdunensi prodiit Amadæi Guimenij (seu veri seu laruati Authoris) opus, Caramuelis Apologemati principiis omnino consentiens, licet argumento & methodo dissimile. Vni enim videntur hi duo Scriptores studere & litare probabilitati; quia quæcumque scribunt aut docent, ex hoc vno fundamento, necessaria consecutione trahunt: *quidquid probabile seu verisimile fuerit, idem & tutum esse, omneque salutis & peccati periculum vnam arcere probabilitatem, & illa munitis nullas ignorantiæ tenebras, aut voluptatis etiam inconcessæ illecebras vel minimum nocere.*

Cum vnum sit vtriusque Scriptoris institutum, nostræ tranquillitati consulere beneficio opinionum probabilium; arduum illud opus partito inter se labore moliuntur. Caramuel totus est in asserenda vniuersim probabilitati firmitate, à nescio quâ virtuali (vt loquitur) aut potius vmbratili veritate, quàm solidæ sufficit, quamdiu hæc per euidentiam conspicienda nostris sese oculis subduxerit. Huic à Caramuele præstructo fundamento probabilitatis quasi vicariæ veritatis, dum sui nobis copiam negat, Amadæus suos quindecim immolitur tractatus. Ille granum sinapi terræ iniicit, arboris radicem & truncum excolit; iste ramos longè latéque protendit, vt aduolantibus vndequaque cœli volucribus, sint tuta sedes ac fida statio. Caramuel

probabilitatis vsum, cœlo & caho antiquiorem, & totum illud quod ab origine mundi effluxit tempus dimensum ad hunc vsque diem perpetuâ, nec interruptâ vnquam serie deduxit. Amadæus longè diuersum, sed nihilo breuiorem probabilitatis cursum instituit, & sæculis omnibus coæuam ex Caramuele, non minus per omnium regionum spatia, quàm per temporum interualla dilatari & vagari, omnia denique exæquare & vincere rerum genera demonstrandum suscepit: vt nihil in illa desideres ad Catholicæ nomen, quod non contulerit perennitas sua par sæculis, & amplitudo rebus omnibus maior. Docuerat nos Caramuel quæ esset probabilium opinionum vsus ex antiqua origine & continua serie longitudo & altitudo; sed reliquæ nos duæ eius magnitudinis partes latuissent, nisi Amadæus addidisset, res omnes morales ambitu probabilitatum contineri, nihil illarum potestatem effugere, & occultâ vi penetrare omnia & permeare, labentia sistere, nutantia firmare, & ab incertis & periculosis omnem dubitationem & peccati formidinem abigere.

Verùm vt horum Authorum institutam comparationem ad certa capita reuocem; animaduertat velim Lector, quæ de probabilibus vniuersim sanciuit Caramuel, partibus Amadæum ostendere, & constitutam ab alio generibus singulorum regulam, singulis generum admouere. Ab ea diuersa, quam quisque horum Authorum iniuit ratione differendi, existunt pleraque obseruatione digna, quibus inter se distant; quæ tamen nihil obsuere, quin ad communem iudiciorum aleam vocati, eamdem subierint, & diuersis de causis, à Censoribus æquissimis damnationis sententiam extorserint.

Quamuis nihil mali prorumpat in actus humanos à ratione deuios, & aduersos legi, quod iis non contineatur principiis, quæ magis libertati & vtilitati quàm honesto & officio consulunt; certum tamen est, quandiu vitium latet in præposteris morum Regulis veluti in semine; minus percellere & deterrere animos, quàm cum inde foràs erumpit, & in varias sese induit species, & in conspectum omnium venit, seu cum libris docetur, & ad vsum ipso opere exercetur. Hinc in huiusmodi libellorum editione nonnulla contigisse crediderim ad rem nostram obseruatione digna: Primum quidem nihil dubitasse Caramuelem

suo operi nomen inscribere, & Amadæum sub alieno sese occultasse: nempe quod malum aut peccatum, dum in semine latet, suo Authori minus suffundat pudoris, aut creet periculi, aut inuidiæ, quàm cum vel libris, vel ipso opere sese omnium ingerit oculis. Hinc etiam nisi mea me fallit opinio, factum arbitror, Caramuelem magnâ fiduciâ nedum sua protulisse, sed ausum etiam apertè D. Fagnanum aliosque aggredi, ac multis falsò erroribus grauare.

Verùm Amedæus periculosiorem causam ratus se suscepisse supra viginti quinque centum propositionibus probabilibus securitate assertâ, quæ vnâ Caramuelis opinione vniuersim continebantur, timidius disputar, à censuris abstinet quas timet, & patronos potiùs quærit quibus se tuetur, quàm aduersarios quibuscum contendat, & putat secum satis fœliciter actum iri, si pœnas detur effugere, quas dum capiti impendentes videt, duo sibi præsidia parauit, & operi post quartam & Lugdunensem editionem ad iudicium Romæ vocato, eius amici his duobus responsis patrocinati sunt. Primum Typographorum cupiditate & auaritiâ, inscio & inuito Authore, publici iuris factum libellum, quem in scrinio situ & puluere, ac tenebris perpetuis occultum & sepultum volebat. Et cum ea excusatio, quæ vix vlli defutura sit, apud iudices fidem non mereretur, alteram addidère nihilo credibiliorem, Amadæum toto illo opere Collectorem non Authorem egisse, neque sua sensa protulisse, sed aliena magnâ fide exactè collegisse, & Lectotibus iudicanda reliquisse.

Etsi harum defensionum nulla probabilis visa fuerit, sed vtraque inuenta tantùm ad seruiendum tempori, censuerunt tamen viri grauissimi etiam veras, impares esse excusandæ culpæ, aut amouendo quod ex illa collectitia farragine impendebat periculo, & malo. Itaque eamdem cum Apologemate Caramuelis censuram incurrit; & cum nonnullorum operâ qui in illos Authores scripti erant libri nostri ad idem iudicium fuissent vocati, eo ni fallor consilio vt parem fortunam experirentur, & cum Amadæo vel absoluerer, vel damnarer; aliud visum est æquissimis Iudicibus: à censura in me ferenda abstinuerunt, quam passi sunt ij duo quibuscum mihi intercesserat disceptatio.

Theologorum sex qui ad censuram constituti erant

omnes, si vnum excipias, benignissimos habui, duorum tantū suffragia ad me missa sunt, adeò præ mea tenuitate ampla & magnifica, vt nec pudor, nec modestia pateretur vnquam à me cōmemorari, nisi ad verbum referre cogerent, rationum quæ ad animorū salutem, ad Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ famam pertinent, grauissima momenta. Multi sinistris suspicionibus falsisque rumoribus nihil dubitant perspergere, quæ Romæ vigent hodiè doctiorum sententias; quasi tacito & muto, quod in Pontificiis decretis perpetuò resonat: *In dubiis tutiorem partem esse eligendam*, oraculo, omnia ad Lesbiam probabilitatum regulam iudicia exigantur, nihil eâ opinione, aut potius maledicentiâ: magis à vero alienum, nihil nocentius, quodque promptius remedium requirat: & cum præsentissimum suppetat ex suffragiis Theologorum, quæ ad me peruenerunt, boni consulet Lector, cum aliqua etiam læsæ modestiæ suspicione, hîc vnum inseri opportunissimum depellendis à fide & doctrina Romana calumniis quas eius æmuli longè latéque spargunt. Sic igitur Censorum vnus nomine Augustinus de Angelis Cong. Somæ pronunciauit.

Librum cui titulus Manuductionis ad Theologiam moralem pars altera R. P. Vincentij Baronij Ord. Præd. tanquam instructissimum armamentarium aduersus grassantes hâc tempestate probabilium opinionum laxitates Christianæ disciplinæ relaxitiuas permitti posse censeo, dummodò in limine libri moneantur Lectores, iniurias in Amadæum Guimenium congestas tanquam in Authorem fictum & suppostitium nulli prorsus obesse, &c. Quis dubitet Romæ & vbicumque Euangelica fides & disciplina viget, odio & horrori esse, quas Amadæus collegit; & vt illius damnationem effugerent patroni, contestati sunt ab aliis excerptas non ab ipso probatas opiniones, cum à Censoribus, in illas à Scriptore nouitio & imperito opus editum adeò impensè commendetur, non aliqua sua dote, sed vitio tantum & periculo propositionum quas insectatur Et cum nullum in quemquam etiam grauiora meritum, Christiana Charitas & mansuetudo patiatur verbum proferri aut excidere, quod aliquam conuitij speciem præferat, reliqui ferè omnes qui librum recognouerunt, vno consensu vellent verba quæ aliquid asperius resipiunt omnino eradi & mutari: quamuis errorum & calumniarum, quæ refelluntur, immanitas illa ex-

cusaret. Censor cuius retuli iudicium, præcepit tantùm Lectorem esse monendum, hæc verba nullum certum ferire Authorem, sed in fictitium jaci, non tam necessitate defensionis, quàm horrore vitiorum, quibus huiusmodi opiniones patrocinari videbantur. Sed absit vt illâ mihi concessâ indulgentiâ vtar: quidquid visum fuerit asperius dictum, ab hac noua & tertia editione submoueo, maximè cum excusatio desit incerti Authoris, vt statim dicam.

Antequam me singularum tractationum examini accingam, comparationem Amadæi cum Caramuele absoluam aliquot obseruationibus, quæ nonnihil præferunt noui & singularis.

Illud in primis mirum occurrit, quàm dissentiens vulgi & priuatorum hominum fuerit à judicum sententiâ de his Authoribus opinio: de Caramuelis Apologemate præter acrem & eruditam Vendrochij insectationem nullorum ferè expostulationes audiui. In Amadæum verò vix dici potest, quo zeli & iræ æstu pij & probi omnes abrepti sint; vt visum fuerit nonnullis Romæ mitius habitum, quàm adeò nouæ & periculosæ, quas euulgat opiniones, commererentur.

Horum admiratio & stuporsupra modum excresceret, si nossent, quæ mihi comperta sunt latarum in hos Scriptores censuratũ discrimina. Caramuel qui leuius suo saltem Apologemate videbatur peccasse, solus in iudicio solemni stetit, & damnatus est, indicto silentio ne quidquam imposterum de quæstionibus moralibus, nisi fortè retractationum librum scriberet: Amadæus nullis iudiciorum solemniis insertus est tantum librorum prohibitorum catalogo. Cur àdeò dispari reatu, qui minori tenebatur, maiores; qui grauius deliquerat, leuiores pœnas dedit? Non ita est: ad sapientes pertinet rerum momenta ex vero certisque regulis perpendere. At prudentissimis iudicibus visum est periculosius vnum Apologema Caramuelis quindecim tractationibus Amadæi, quod vnico probabilitatis cuiusque tutæ principio, omnia impietatum & scelerum genera complecti plenissimè videretur, quotum vix minimam partem Amadæi collectanea delibassent.

His addde Caramuelem quasi ex tripode oracula suas protulisse sententias tanta asseueratione, vt nihil dubitarit eos qui secus sentiebant quasi hæresum reos peragere. At

moderatior est saltem in speciem Amadæus; neque enim veiam monui, aduersarios quærit, quos lacessat, sed patronos quibus se tuetur; præterea parcus est censurarum in alios, quas ipse metuit, & fœlicitati suæ gratularetur, si illas potuisset effugere. His accedit Amadæum latebris sese abscondisse ementito nomine: Caramuelem prodiisse quasi iudicem, potius quàm iudicandum, & ab aliis timendum magis, quàm sibi à quoquam timere oportuisset. Ea verò æquissima lex est, acrioribus pœnis comprimendam esse, quæ velut *ex adipe prodiit, iniquitas*, quam cui pudor aliquis suffusus est & occultè ac timidè perpetratur.

Sed aliud planè mirabile occurrit, nempe Amadæum nonnisi quartâ & Lugdunensi editione Parisios & in Galliam penetrasse; cum ex primâ in Hispania, alterâ in Sicilia, & tertiâ Bambergæ in Germania, cæterarum nationum manibus tereretur. Hinc vbi Lugduno prodiit, libri apud nos ignoti nouitas, & assertionum quas collegit plurium immanitas, incertas de Authore opiniones peperit, & incredibilem omnium animis ingessit horrorem tot scelerum, quorum cum originem aut probabilitatem referre conetur in Scholæ nostræ Magistrum, eiusque principia ac Discipulorum interpretationem, me totius generis humani execratione dignum reputassem, nisi pro virili adeò atrox malum toti Ecclesiæ, nostræque Familiæ illatum repressissem: & cum ex nescio cuius sententia iure dictum sit: *vbi res animum occupauère, verba ambiunt*: Et qui ex nouitate libri, aut ex atrocitate propositionum inuaserat, omnium animos, horror, meum etiam occupasset, cumque auxisset læsa per summam iniuriam Familiæ nostræ doctrina & innocentia; hinc exciderunt mihi nonnulla verba quæ præter relatas causas excusare posset apud æquos iudices hæc singularis, cuius aliquam visus est habere rationem Censor à me supra relatus, quod cum incertus esset libri Author, nihil, aut minus mali haberent in illum quasi inhominem fictum & nullum, verba, quæ cum proferuntur in Authorem compertum aliquid resipiunt conuitii, aut vindictæ.

Hinc etiam intelliget Lector, cur Caramuel reuerentius à me sit habitus, quàm Amadæus: Nam præter quod illum noueram ad episcopalem dignitatem prouectum, quam satis demisso obsequio prosequi & colere non possis;

nec quemquam reliquorum Theologorum præter Dominum Fagnanum læsisset, quis neget, comperti, quàm dubij Authoris magis habendam esse rationem, minusque certo ictu, & inualidiora in vnum quàm in alterum tela intorqueri? Sed cum horum nullius prætexere ignorantiam liceat, nec nisi falsò monere possim Lectorem in Amadæum me scribere, quasi in hominem fictum, nullus superest indulgentiæ concessæ locus post sublatam de Scriptore libri dubitationem, ipsius, vel eorum, quos Romæ habebat confessione aduocatorum, qui operis verum Authorem non dissimularunt esse quemdam Theologum nomine Moa Matriti & totâ Hispaniâ celebrem. Sed vt pœnas aut censuras deprecarentur, duobus quæ iam attigi sese præsidiis muniuerunt, nempe editionem alienâ diligentiâ confectam scripti, quod nullo Authoris, sed mero Collectoris munere defunctus elucubrasset; quamuis hoc non modo non credibilitet, sed nec suspiciosè quidē ita se habere videatur. Placet tamen in aduersarij gratiam quamlibet reluctāte stomacho, mihi persuadere nihil illum scripsisse ex propria, sed ex aliorum mente, atque ita me imposterum cum ipso acturum polliceor, ac si nihil nisi manum & calamum præbuerit, his quorum opiniones exscribit Authoribus.

Est mihi minus integrum quàm Romanis Iudicibus illum ab omni culpa absoluere. Nam vt omittam Nicolaum *Dubois* quamuis amicissimum non potuisse illi horum duorum gratiam facere, nempe Diui Thomæ eiusque Discipulorum malè retulisse testimonia, seu bona fides, seu diligentia abfuerit in his expendendis locis, quæ aliorū fide non potuerit inexplorata referre, nisi cum aperto se, aut alios fallendi periculo. Grauior est altera Nicolai *Dubois* expostulatio: quod licentius aliorum opiniones periculosas exscripserit, nullâ adhibitâ cautelâ, ne Lectores lenociniis probabilitatis fucatas arriperent, nedum ad assensum, sed etiam ad vsum, cum graui discrimine damnationis, & peccati formidine.

Quod ad me attinet, cæteras omnes quarum nomine suspectus esse posset, culpas condono: excusationes quæ ad tegenda peccata, & pœnas fugiendas confictæ videntur, patior legitimas esse: negligentiæ tantùm opinionem, aut suspicionem quamlibet enitar à me hactenus amoliri non

potui, quod temerè Authoribus, ex quibus ista collegit fidem habuerit, nullâ exactiori inquisitione in D. Thomæ mentem, & eius Scholæ principia, an iis reuera consentiant quæ refert ex aliis Theologis: imposterum vti primâ editione, non agam in illum quasi in Plagiarium aut interpolatorem: hæc omnia illi remitto nomina; vnum tantum vrgebo quod assumpsit Relatoris & Collectoris, sed nimium creduli, aut negligentis: hanc supinitatem vix ipsemet excusare potest, nisi maiori se culpâ grauare velit & implicare.

SECTIO PRIMA.

Expenduntur Prolegomena & Tractatus de opinione probabili.

MEAS animaduersiones in aliquot Tractationes Amadæi promoueram, cum viri cuiusdam nobilissimi & sapientissimi beneficio, datus est mutuo liber similis argumenti Hispano sermone scriptus, Authore nescio quo, nomine Aquilar, cuius cum nostro, collatione perpetuum amborum consensum comperi. Nam propositiones quæ vtroque libro extant, conueniunt sensu & numero, si excipias ab Amadæo additas duas, & septem ex Aquilar in vnam compactas, quod suo loco obseruabimus.

Idem ferè est ex vtroque vbique tenor, & versionē non scriptionem dixeris esse alterutrius Sed cum Aquilar ferè decennio prodierit vernaculâ linguâ ante Amadæum; verius arbitror illo interprete librum Hispanum latinitate fuisse donatum, mutato tamen ordine, & mole Voluminis multis partibus auctâ. Propositiones 132. quasi fortuito nullâ rerum, & argumentorum ratione habitâ ab Aquilar, in vnum fasciculum collectas Amadæus per certa capita in quindecim Tractatus digessit, & quæ ex Dominicanorum libris loca indicauit tantùm Aquilar, qui Esclapes collectori, seu has propositiones obiicienti respondet, ad longum exscribit Amadæus. Auget etiam molem libri quibusdam in Dominicanos calumniis Petro à Clausa-Valle familiaribus, & ex libris de immunitate Cyriacorum & de absolutione moribundi assumptis: vt inde agnoscat Lector ho-

ſum Scriptorum de Domininicanis affectus non admodum eſſe diſcordes. Sed hæc non deſinam diſſimulare, quandiu cauſæ quam propugno prævaricator non audiam. Iis iactis fundamentis ad diſputationem accedo.

Hoc mihi in Amadæum permitto, quod ipſe in Aquilar ſibi aſſumpſit ius, in gratiam Lectoris, immutandi Tractatuum ordinis, cuius commoda, ſeries animaduerſionum demonſtrabit. Cauſam Virtutum ſuſcipio, in quas nequid grauius dicam, parum æqui videntur ij quorum propoſitiones infœlici diligentiâ in ſuum Opuſculum conjecit Amadæus: tripartito ad numerum Virtutum Chriſtianarum & humanarum agmine pugnabo tribus Diſputationibus, quarum primâ Virtutes infimi ordinis, quas Morales & humanas vocamus, ſtudio & labore noſtro parabiles, Secundâ altioris ſupra humanas ordinis Virtutes Chriſtianas, & infuſas, vna Religione eiuſque partibus contentas, Tertiâ denique ſupremi generis Theologicas Virtutes Deo cognatas propugnabo. Hic ordo & ſcopus eſt noſtrarum in Amadæum animaduerſionum, ex quibus polliceri liceat Lectori fructum non pœnitendum, id eſt, breuem & habilem Theologiam moralem de ſingulis vitæ humanæ & Chriſtianæ officiis. Harum omnium Virtutum Vindiciis accingam, vbi meo conſilio iam aperto, aliquot præmiſerim animaduerſiones in Præfationem Amadæi, & in ſuffragia quibus librum ſuum munit.

Articvlvs Primvs.

Expendentur Prolegomena Amadæi.

SOlent interdum vrbibus excidio eſſe, quæ ſibi ad ſalutem exſtruxerunt præſidia, cum malè defenſa vi capiuntur, aut deditione in hoſtium veniunt poteſtatem. Videtur Amadæo ſimile infortunium contigiſſe; Ille quidem ſibi viſus eſt opus ſuum ſatis validè quaſi multiplici vallo doctorum ac religioſorum hominum ſuffragiis, aut verius encomiis & accuratâ atque eleganti Præfatione aduerſus priuatorum hominum iudicia muniuiſſe: Sed cum ad iudicia publica ventum fuit: quæ ſaluti fore credebantur, verſa ſunt in perniciem parata ſubſidia.

Mitius & humanius actum fuisset cum Authore, si liber in publicum prodiisset minus alienis laudibus ornatus, & propriis instructus præsidiis, & si ista abfuissent, aliquam fortè fidem inuenissent apud iudices, qui Amadæi causam agebant, cum obtendebant, illo inscio, aut inuito typis datum fuisse libellum, nec eo proprios sensus aperiri, sed aliorum tantum sincerè opiniones enarrati. Verùm si res ita haberet, & inuito parenti abreptus fuisset furto partus; deformatus & inermis in lucem venisset potius, quàm tot laudum pigmentis excultus & fucatus; quàm tot propugnaculis munitus; quæ omnem vim & fidem abstulerunt postremæ apud iudices initæ excusationi; ista nihil ad Amadæum pertinere, sed omnino aliena esse. Quî enim fieri potuit abortiuum esse partum, & adeò maturum: vt etiam præter necessaria ad vitam, nulla illi commoda desint, quæ paterna liberalitas & cura suppeditare possit? Singula expendamus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Tria quæ sibi præstruxit Amadæus præsidia, euertuntur.

PRæfatione ad Lectorem, sibi quàm potest diligentissimè ab aduersatiorum cauet insultibus, & ad causam Societatis, quam videri vult suscepisse tria parat præsidia aduersus objectas assertiones 135. quas totidem ex inuidiâ illatas suis hominibus calumnias vocat.

Primum sibi exstruit propugnaculum à SS. PP. exemplo, qui aduersus æmulos & Sycophantas silentio primum, deinde iustâ defensione se muniuerunt: alterum sumit ab Authoribus aliorum Ordinum; vnde ait prodiisse quas nonnulli suorum tenent quasi probabiles, & tutas, quæ ipsis falsò inscribuntur, quasi inuentoribus, propositiones. Tertium denique propugnaculum erigit pontificiis decretis in Ianseniſtarùm dogmata theorica, quibus credit in tuto poni quidquid sibi, aliisque libuerit de Theologiæ Moralis quæstionibus statuere.

Hæc summa est *Præfationis*, vt loquitur: *Dedicatoriæ ad Lectorem cuius primus ferè verbis sic orditur Anonymus (nescio*

quis) contra moralem Societatis doctrinam annus elapsis famosum libellum, quam plurimis probris & contumeliis contextum, per Germaniam sparsit, Iesuitarum, vel potius dicam, vnius, vel alterius Iesuitæ opiniones improbabilitatis, scandali, temeritatis & erroris nota denigrantem.

Pluribus, quæ in hunc locum obseruanda suppetunt, prætermissis, duo breui annotabo, quibus videtur libelli Author à seipso & ab Aduocatis apud Iudices censurã deprecantibus capitaliter dissentire. Eâ præfatione nihil non molitur, quo istud opus sibi vindicet, & quasi inexpugnabile efficiat; sed cum stetit ante iudices, suum ipse factum abdicauit, & parum abfuit quin suppostititium esse persuasum vellet: Sed cum abnuere non posset, aut nollet, à sua exiisse officina, contestatus est vix, illi quidquam de suo inseruisse, sed aliorum tantum interpretem egisse, licet hæc sit præcipua, quæ toto opere extat, non tamen sola, nec prima est à seipso dissensio.

Ipsa quæ retuli ex Præfationis exordio verba demonstrant Amadæum vel vbique seruire tempori; vel rerum quæ apud exteros geruntur, quam domesticarum magis curiosum ac peritiorem, nisi videri velit hospes in Hispania vnde natus est, vbi per totam vitam degit, & cæterarum nationum ciuis. Cur Anonymi nescio cuius libellum per Germaniam sparsum contra moralem Societatis doctrinam memorat & tacet aut dissimulat, quæ in Hispania & inde per totum orbem Christianum euulgata sunt? Cur Anonymum vocat, quem certo certius Esclapes seu vero, seu fictitio nomine appellari nouerat, qui propositionum ex Authoribus Societatis collectanea Hispano sermone ediderat; quæ alius Aquilar nomine cum confutasset vernaculâ linguâ, accessit tertius vindex Esclapes, cuius librum Petrus à Clausa Valle Diatribis de Immunitate Cyriacorum calumniabatur ab vno Goliath (id est à spurio quodam) elaboratum, addebatque incredibili paradoxo, cuius in nullius nisi Theophili submentito Petr à Clausa Valle nomine latentis mentem venire poterat, librum hunc Hispani sermonis Romæ in Conuentu Mineruitano Dominicanorum furtiuo prælo fuisse editum? Nihil istorum, quæ in Hispania antequam suos Tractatus ederet, peracta, Amadæus ignorare potuit. Sed cur Præfatione ad Lectorem hæc omnino commemoranda præ-

termiserit, plane non capio, nisi quis fortè dicat vel Aquilar qui Hispanâ linguâ scripsit, nihil differre ab Amadæo, & vnum hominem sub mentitis nominibus, ac diuerso idiomate eamdem personam agere, ac fabulam ludere: vel si alius sit Scriptor, noluit audire quasi alieni operis interpres, non verus author. Hinc puto altum ab illo silentium de Aquilar & Esclapes seruatum, ne vel seipsum proderet diuersis nominibus & idiomatibus eamdem causam perorantem, vel ab authoris gloria excideret, & ad vilem interpretis & abiectum gradum detruderetur.

Sed hæc leuiora sunt præ aliis, quæ vno tenore verborum adiungit, *non communem & receptam Theologorum sui instituti doctrinam; Sed contra vnius aut alterius suorum scandali, &c. Opiniones Anonymum aut Esclapes denigrare*: Si hæc ex animo ita scriberet Amadæus, nec aperta esset dictorum à mente dissensio, cum illo conuenirem, & perpetuam concordiam iurarem. Hoc vnum non capio; cur Præfationis limine scribat pro comperto & pro confesso esse apud se suosque, propositiones obiectas esse vnius aut alterius suorum, cæteris omnibus haberi pro reprobis; & singulis horrori esse, atque execrationi. Vtinam huic sano & sancto consilio adhæreret Amadæus! Sed contra stant omnes eius opusculi paginæ, & lineæ reclamant; & ne longius Argumenta repetam, huius confictæ & ad tempus assumptæ personæ, plura & validiora quàm vellem argumenra suppeditat ipsa Præfatio.

Si ex priuato alicnius scriptorum suorum sensu tantùm credit Amadæus hæc paradoxa esse deprompta; non minus valida quàm obuia & in promptu erat defensio, si contestatus esset, has opiniones esse exerrationes à legitimo & communi sensu Societatis, vnius aut alterius filij degeneris, quorum non solum paradoxa apertè damnaret, sed etiam ab illis deposceret pœnas graues, ob læsam matris sanctitatem, & Ethicæ Christianæ disciplinam dissolutam. Hoc vno verbo quasi spongiâ poterat totum librum seu Anonymi seu Esclapes & Francisci à Pietate & Vendrochij delere; & se improbo labore leuasset, singula quæ obiiciuntur defendendi & operoso examine discutiendi. At ille contra malè secum conueniens scribit *eum Iesuitarum moralis doctrinæ lacte omnes ferè Theologiæ Professores à tirocinio mulceantur, in omnes iacula contorsisse Anonymum*

omnes vno ictu ferri. Vnde concludit communibus viribus esse refellendum; atque vt adeò præpostero exordio finis nihilo melior respondeat; ad calcem libri nihil dubitat asserere, *nullâ veritate sibi suisque obiici, nullo iure improbari, & zelo præpostero atque amarulento proscribi & damnari propositiones ab Anonymo collectas.*

Si nullam commerentur, nec pati possint nisi ex liuore censuram, cur apud iudices vt pœnam effugeret ipsemet eiurauit quasi abominandas & execrabiles? & si illo nomine dignas ex animo reputet, cur iis propugnandis quasi sint sensa totius instituti, tot exstruit præsidia, ab exemplo Sanctorum Patrum, à testimonio Ioannis Martini de Prado, & à damnatione dogmatis Ianseniani? Si quod verbis profert, ex animo sentiat verè abominanda dogmata quæ obiiciuntur, & se execrari à quocunque doceantur, nihil opus erat pluribus: hoc vno responso omnium aduersariorum os nedum occlusit, sed etiam confregit. Si adhuc tergiuersari velit, & his à se damnatis in speciem propositionibus tutam probabilitatem asserere, tria quæ sibi parauit præsidia in suam vertit perniciem, quod cum priori editione demonstratum sit, mitigatis asperioribus verbis ex consultorum præscripto, ad singula capita eandem responsionem repræsentabo.

In primis quod silentij, exemplo Hieronymi & Basilij, in causa non dissimili ait diu tenaces suos homines fuisse, ex contemptu aut patientia calumniarum; præter quod falsum est, & contra publicam fidem; cum non desierint vnquam, & vbique gentium, & locorum, aduersus accusationes intercedere, & obstrepere plurimi illorum: iniurius est in SS. Patres, quos imitatione silentij, & cognatione causæ sibi adiungit. Nam quotus quisque est ex tota antiquitate, qui aduersus legem Dei pro libertate, & libidine pugnarit; nisi forte Iouinianus aliquis? Hieronymum verò & Basilium, Lutherus in conuiualibus colloquiis, clamat, se toto corde odisse, quod castitatis, ieiunij leges commendent, quas resoluunt obiectæ propositiones.

Cæterum ne singula prosequar, quæ Præfatione habentur omnino conficta; præposterè morali Theologiæ, quæ vna damnatur, defensionem adsciscit Amadæus ex triplici capite: primo ab inuidia calumniarum, quas ait, post ser-

uatum aliquando humilitatis & patientiæ causâ silentium; valide depellendas esse, quasi meræ calumniæ sint, quæcumque scelesta execramur: quæ nisi reponat sua non esse, neque illorum quos defendit, sed omnes quæ obiiciuntur quasi nefanda detestari, non poterunt esse immunes ab his flagitiis; imo capitalius illa admittent, dum probant, quam qui perpetrarunt: quia multo grauius errat, & peccat, qui scelera docet aut permittit, eorumque impunitatem spondet, quam qui reipsa admittunt, iisque sordibus se conspurcant. Hac vna damnatione, & execratione impietatum debuerat esse contentus, qua tutus esse poterat: sed aliò videtur spectare: nam totis viribus contendit, *quas vt Iesuitarum opiniones, & eorum commenta ex ipsorum (velpotius Dianæ) scriptis labore improbo, aut saltem ore exscripsit, aut euulgauit Anonymus, non esse censurâ ab ipso fulminata dignas, etiam indoctis dilucide constare.*

Nec magis fidum, & firmius est præsidium aliud quod sperat ex nostro Ioanne Martines de Prado, quod promittat opiniones suis obiectas, se in Scriptores aliarum familiarum, vt in primos Authores relaturum, à quibus isti excerpserint, & probarint. Nam vt omittam, in alienum sensum, eorum mentem, & verba ab Amadæo detorqueri: vt taceam reliquorum Ordinum nullum tanquam communem doctrinam defendere, quidquid alicui è suis exciderit licentius dictum; & hanc Dominicanos vni D. Thomæ, Minores Scoto reuerentiam adhibere, vt quæ scripserunt, communi consensu sequantur, & pro virili propugnent: alios si quid perperam tradiderint, indefensos relinquant, & primi omnium damnent: quis ferat eos, qui ex omnibus Theologis sedulò inquirant, quidquid præter honestum & legem, commodo & voluptati indulserint, & propugnandum suscipiant; quasi ius aliquod ex vnius aut alterius authoris Classici suffragio compare tur, opinionibus hodie natis, quod piaculum sit lacessere, & qui illo iure probilitatis tenuissimæ, munitum pœnitentem confessarius recusauerit absoluere, reus sit lethalis peccati. Quis eorum Theologorum, qui primi has adinuenere opiniones, crediderat, eò suas cogitationes euasuras, quò Guimenius, aliique eius asseclæ prouexerunt: vt qui illud ius probabilitatis à se assertæ negauerit esse certissimum, & ex illo Sacramenta admi-

nistare, futurus esset mortalis peccati compertus?

Neget Amadæus & detrahat confessario, quod innumeri ex suis imponunt eius humeris onus intolerabile pœnitentem absoluendi secutum opinionem suæ aduersam, & pro libertate contra legem & officium minus probabilem, desinat cuilibet huiusmodi opinionum securitatem asserere, ab authoritate vnius, vel alterius Doctoris Classici, & ab aliqua verisimili ratione. Si hæc duo abiecerit probabilistarum principia, insontem pronunciabimus, & tot à se relatas opiniones hac ingenua confessione improbatas ad nullam noxam, ad nullum reatum illi imputabimus: sin ista fundamenta solida credat, illisque astruat, vt videtur præ se ferre, quas toto opere percenset opiniones, nullam video tot periculosarum laxitatum veniam illi posse dari.

Tertium quod admouetur, & extruitur præsidium Theologiæ Morali Amadæi, ex dogmaticâ à Iansenistis, & à Caluinistis Maresio, Vertachero, & aliis lacessita, nihilo melius est aliis superioribus. Duo enim hîc etiam peccat Amadæus: videtur aut ignorare controuersiæ nostræ statum, & de vna Theologia morali nos agere, non de dogmatica; aut nescit longius distare has duas Theologiæ species, quam vt qui de credendis dogmatibus nihil sentiat alienum à Catholico sensu, nequeat ab Ecclesiæ filiis, aut etiam ab hæreticis meritò lacessiri, & saluâ dogmatum fide, ab agendorum regulis recedere, & alios procul abducere. Seiungendæ sunt igitur, quas malè permiscet Amadæus, diuersorum Ordinum Theologiæ. Non dicam plures etiam è Catholicis, minime assensuros elogio quod sibi comparat ex Vittachero: ex suorum scriptis certius cognosci, quid Catholici in quacunque causa teneant, & quæ sit ipsa quodammodo Papismi medulla, quæ non magis in Papa, quam in Iesuistis inesse creditur. Sed nihil ista hæretici verba moror, aut expendo, quæ me longius à suscepta disputatione auocarent. Esto quoad multa controuersiarum capita, vt de Purgatorio, de iustificatione dogmata, quæ vno consensu, & ore aduersus hæreticos propugnamus, Catholici omnes, è vestrum & maxime si vultis Bellarmini (quem Antonius de Dominis Pontificiorum collectorem vocat) scriptis cognosci possit quid Catholici teneant: malè inde colligis vos solos,

aut primos eſſe auitæ fidei vindices, & quæ extruxiſtis prçſidia aduerſus Hæreticorum furorem, firmiora eſſe iis quæ Academiæ Pariſienſis, Louanienſis, aliæque orbis Christiani florentiſſimæ, apparatunt omni armorum genere inſtructiſſimis armamentariis.

Sed hoc vnum obtendo, quod ad noſtram controuerſiam facit, te malè dogmaticam partem Theologiæ miſcere cum morali, & peius conſulere poteſtati Pontificiæ. Miramur omnes & obſtupeſcimus Petrum à Clauſa Valle ſeu Theophilum ita in ſummum Pontificem comparatum, vt cum libro ſingulari inſcripto αὐτὸς ἔφα illius decretis aſſeruerit omnimodam infallibilitatem quoad res facti & iuris, eamque contendat conſtare quoad vtrumque caput, conſtitutionibus Innocentij X & Alexandri VII. nec ab iſto Amadæus diſſentiat; omnem videatur abrogare decreto Alexandri VII. in P. Pirori Apologiam pro Caſuiſtis. Neque enim ignorare poteſt quas ſuo opuſculo laxiſſimas opiniones pro virili defendit, à ſummo Pontifice confixas, conſtitutione in Apologiam, cuius nullam habet rationem. Mirum plane eſt hos duos alioſque adeo ſui diſſimiles, & in ſummos Pontifices diuerſo plane animo comparatos, vt ſi quid pronuncient quod ſibi faueat, excipi velint quaſi indubitatum, quoad res etiam facti: ſi aduerſentur, abiiciant omninò etiam quoad res iuris, & videantur ad ſuum commodum decretorum Pontificiorum vim diuidere, aut potius elidere.

Paragraphus Secundus.

De ſuffragiis Libri.

QVæ ex diſſitis orbis Chriſtiani regionibus, ex Sicilia primum ab vno è Patribus Societatis, deinde è Regno Valentiæ in Hiſpania, ab vno Capucinorum iterum Prouinciali Miniſtro, & tandem ex Gallia, à duobus Carmelitani Ordinis Doctoribus Pariſienſibus congeruntur encomia, potius quàm ſuffragia operis infauſti dubitationem multis iniecère; Quis iſta ſcripſiſſet? an aliquis ludio & nebulo qui prætextû Societatis defenſione, atrocius quolibet hæretico, in illam graſſaretur, neque id pluribus inqui-

inquirendum putaui, quod frustra videretur *negotium istud in tenebris ambulans*, nostras coniecturas exercere: quamuis suspicio aliqua animum pulsaret, an (quod multorum circumferebatur sermone) Theophilus Raynaudus, mentito, aut mutato græco nomine in latinum, quam sępissime luserat, dum viueret, fabulam post funus etiam prosequeretur, & hoc opere posthumo testatum voluisset, se immortuum suo scribendi generi, & quod superstiti placuerat, viuis exempto non displiciturum: sed Deus meliora piis: Absit vt de viro Catholico ac Religioso, quamuis nobis infenso, tam atrox scelus, & mortem adeò infœlicem suspicer. Sed vbi *dies diei eructauit verbum, & nox nocti scientiam indicauit*, id est, postquā suo authori redditus est liber, adeò ipsimet parenti visus est sinistris suspicionibus opportunus, & in casum atque damnationem præceps, vt non putauerit posse tuto in lucem prodire, nisi muniretur suffragiis ex toto orbe Christiano collectis. De Censore Siculo nihil miror, illum fauisse his opinionibus laxissimis quæ ex Sicilia authore Theologo (cuius nomini parco) supra 3000. benignæ, vt vocant, & indulgentes opiniones densissimo agmine proruperunt.

Cum editionem Lugdunensem Amadæi paucis mensibus interiectis secutus fuerit meus Anthirreticus, multi nostro fœtui à sui conceptus & partus tempore impressi sunt indignationis, quos nedum vulgi, sed etiam sapientum animis ingesserat, nouitas libri, & admirabilitas, aut verius immanitas assertionum; sed nusquam vidi probos homines & peritos magis cōmoueri, quàm encomiis quæ præmittuntur ex Capucino Cœnobita: id enim fidem & admirationē apud sapientes & vulgus superabat, indeque frequentissimas quasi de scandalo omnium maximo querimonias, & expostulationes audiui, quas priori editione attigi, & vix istâ comprimere possum, ne hoc silentio quasi ad tam atrocia mala indulgentior eamdem incurram omnium indignationem. Id, inquam, supra stuporem censebant omnes, repertum aliquem ex feuerissima Capucinorum disciplina, eiusque familiæ Ministrum Prouincialem, qui nedum passus sit edi, sed etiam laudibus extulerit opus ad cælum vsque; vnde aduocandus erat ignis quo conflagraret, idem qui inde exarsit, & emicuit castigandæ posticæ libidini; quam furto triginta solidorum, id est lethalis

culpæ, leuius peccatum esse totis viribus contendit, & illud opus flammis cælestibus, & piacularibus absumendum, hoc solum nomine etiam si cætera deessent, quamnis infinita suppetant non minus immania & horrenda, Sanctè iurat Ordinis Fratrum Minorum Franciadum Capucinorum, Prouinciæ Sanguinis Christi minister iterum Prouincialis, id est, omnium ex tota Prouincia austerissimus, *se maximâ animi voluptate, nec minus intentâ mentis indagine, quasi pretiosum opusculum affabre concinnatum, sedulò vidisse, accuratè euoluisse, & pensiculatius expendisse* : & quamuis spurcitiis scateat ad quas infernus exhorresat', ait, *sibi nemus fuisse amœnissimum, pulchris, variisque floribus iucundè consitum* à sapientissimo Collectore.

Vix oculis meis credo cum ista lego, & alia quæ pudor prohibet referre, nec puto Capucinorum vlli, huiusmodi verba excidere potuisse: atque ad istum casum multò me grauior occupat stupor, quam cum Capucinorum Annalibus à Bouerio eleganti, & Tulliano Scriptore lego, casum Bernadini Ochini è secundo sanctissimi Ordinis Ministro Generali, apostatæ Geneuam profugi; summeque laudo, quod nuper de religiosissimo Patre ex eadem familia relatum est, in Censorem exarsisse, vt iurarit se apud Ministrum Generalem, qui visitationem sui Ordinis obir, accusaturum sacrilegii, & temeratæ ac profligatæ Religionis, & tanti sceleris pœnas grauissimas daturum Nam vt monui, multò immanior illorum est reatus, qui scelera docent & laudant, quam qui admittunt. Vix patimur eos qui Exomologesin peccatorum faciunt, ea efferre verbis, sed præcipimus vt molliant aut tegant, quam fieri potest honestis. Quis patiatur libros sacros & Theologicos huiusmodi portentis spurcitiarum fœdari, vt impósterum ludibrio Theologi Catholici habeantur apud hæreticos, & horrori apud pios omnes? Sed de his plura quam vellem. Vtinam necessitas nedum Doctorem Angelicum, nostrosque Dominicanos, ab huiusmodi criminum consortio, sed etiam Catholici nomen ab hæreticorum, & impiorum scommatibus vindicandi, ista ab inuito non extorsissent, quæ boni consulet æquus Lector, & condonabit studio ac zelo in Theologiam, & matrem Ecclesiam.

Articvlvs Secvndvs.

Animaduersiones in Tractatum secundum de opinione propabili: & S. Thomæ, eiusque Scholæ, ac Dominicani Ordinis vindiciæ.

HAnc tertiam nostræ Ethices editionem iure retractationem dixero, quod cum primâ nimium de incerto authore coniecturis indulserim, vt verisimiliora assequerer, contra accidit me longius à vero aberrasse. Putabam me de Societate non malè mereri, si in vnum Theophilum referrem istud opus, quem noueram indubitatum esse authorem libellorum de Immunitate Cyriacorum, & de Confessionis ac Pœnitentiæ Sacramento inter absentes administrato; nam præter quod ex his postremis operibus multa in alterum translata sunt, quæ Dominicanos per summã iniuriam lædunt, faciliùs credidissem vnum solum Theophilum ex eodem instituto reperiri potuisse, qui artes nos lacessendi, nunc apertis sarcasmis, modò fucatis encomiis, & aliquâ minus sincera beneuolentiæ ac obseruantiæ significatione diuersis libris adhibitas coniunxisset, quàm duos inter se has pugnandi rationes partitos fuisse, à quorũ scriptis nescio plus damni & periculi immineat. Attamen certum est me prioribus coniecturis falsum & deceptum, diuersosque esse horum, quæ in nos edita sunt operum Authores, & reiectâ Petri à Clausa Valle conuitiandi licentiâ, aliam occultiorem & forte magis noxiam pugnandi rationem placuisse Amadæo, vt honorificentioribus verbis nos ad suarum opinionum consensum pertraheret, & in nostros Scriptores quasi in primos authores omnium laxitatum inuidiam deriuaret. Vbique Dominicanos tum antiquos, tum recentes, & omnium Magistrum D. Thomam, obiectat accusationum fluctibus, vt à suorum capitibus depulsi, in nostram perniciem redundent.

Mira est aduersarij calliditas. Ex quibusdam nescio regulis, ita comparatus est, vt si quæ sit commodi & gloriæ spes aut seges, ad se totam referat, ægrè aliorum admittat consortium, aut si excludi nequeant, primam sibi, suisque vindicet; cum vero res est plena periculi & inui-

diæ, & inde infamia, & alia pleraque mala timeantur; nedum socios, sed etiam duces & magistros, ex aliis familiis interdum, sed vbique ex Dominicanis assumit: quasi dicat; Quid damnas quod aliena dicta referam: non mea sensa depromo, neque noua dogmata cudo? si quid peccatum sit, ne mihi ab aliis exscribenti imputes: vti illorum gloriam non ambio, nec ita conuenit me, si quam meruerunt notam, subire: testis partes obeo, & aliquando interpretis: vnâ tantum re meritò accusari possem, si malâ fide illorum verba retulissem, aut perperam eorum mentem euiceris me esse interpretatum. Hæ sunt profundæ calliditatis præstigiæ, quas primum depellam quibusdam generalibus præiudiciis, deinde aliquot locorum examine: neque enim vacat, aut licet, omnia expendere, cum copia paucorum Authorum, quos refert, nobis suppetat: sed ex vno D. Thoma eiusque celebrioribus Discipulis, reliquorum interpolationes semouebimus.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Dominicani ab instituti origine, & ex regulis S. Thomæ abhorruerunt semper à laxioribus opinionibus.

CVm mens D. Thomæ lex sit eius Scholæ, & totius Familiæ Dominicanæ, vbi superiore Disputatione demonstratum est, sanctum Doctorem ira à probabilitate versatili alienum, adeoque tenacem esse opinionis à lege stantis, vt aduersam, si falsa sit neget quantâcunque probabilitate polleat, à peccato excusare: nullus superest dubitandi locus, quin legitimi eius Discipuli abhorreant à nuperis laxitatibus, quæ securitatem cuilibet probabilitati contra legem pugnanti, pollicentur. Locum D. Thomæ ex Quodl. 8. art. 13. refert Amadæus Tract. de opinione probabili num. 6. & addit, *Hæc si vera sint, væ operantibus ex opinione probabili.* Esto: neque enim D. Thom. eiusque Discipuli, in se recipiunt, quod imminet periculum peccati & damnationis, ex opinione aduersâ legi, & falsâ operantibus, quod nunquam sit moraliter certa, quamdiu Authores magni nominis, & rationes illi intercedunt & arguunt falsi.

Hic fidem Guimenij appello: locum D. Thomæ, tacito exemplo quod habet ab ignorantia rerum facti, omnino corrupti. Hoc enim res facti & iuris præcipuè differunt, quod illarum cum nullus, istarum vero certus sit modus, finis & numerus, hoc pro comperto & confesso apud omnes ponit, ad culpam non imputari quamcumque ignorantiam, maximè rerum facti, quæ infinitæ sunt, sed earum tantum, quas te scire referat & possis, quales sunt iuris naturalis omnes. Vnde illud emergit discrimen ex primo summè obseruandum; quod res facti omnes scire, sit supra vires nostras & præter officium, ac proinde ignorari possint citra culpam: secùs sit de rebus iuris naturalis: nam cum paucissimis principiis contineantur, inscriptæ sint cordibus hominum, & ferè omnibus obuiæ, quidquid ex illius iuris ignorantiâ fit perperam, vix excusatur à peccato, quod statuit S. Doctor loco citato.

Nec dissentit, vt putat Amadæus, eiusdem Quodl. art. 15. Immo superiorem doctrinam, & à nobis constitutum discrimen luculentissimè confirmat: *Error*, inquit, *conscientia quandoque habet vim absoluendi, quando scilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis scire non potest, vel non tenetur: sicut*, inquit, *si aliquis intenderet accedere ad vxorem suam causâ delectationis, & ita intenderet, peccaret venialiter, si alia ei supponertur eo nesciente, nihilominus peccaret venialiter.* (Vides damnari venialis peccati copulam ex sola voluptate initam, etiam cum suâ; sed excusari à lethali peccato ex ignorantiâ facti, si aliena ipso nesciente, dolo occupet locũ legitimæ vxoris; qui error refertur obrepsisse Iacobo fraude, soceri, sufficientis Liam loco Rachelis.) Si vero error conscientiæ pertineat ad res iuris naturalis, addit S. Doctor non excusare à peccato, cum ipsemet error peccatum sit, hoc nomine, quod procedat ex ignorantia iuris naturalis, quod quisque scire tenetur & potest. *Sicut*, inquit, *si quis crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale: & tunc, quamuis crederet se peccare venialiter* (ex aliqua sine dubio opinione probabili) *non tamen*, inquit sanctus Doctor, *peccaret venialiter, sed mortaliter.* Poteratne apertius, validiusque, his locis damnare quascunque opiniones probabiles falsas contra legem, quam constituto illo discrimine inter ignorantiam rerum facti, & iuris, quod illa interdum, ista nunquam

excuset à peccato, quamdiu est rerum quas scire possis & debeas ?

Ex vno loco statue de aliis, erudite Lector. An putas Amadæum bonâ fide & sincerè quicquam facturum, cum adeo illustrem D. Thomæ locum, qui sit omnium controuersiarum basis & regula, falsarit ? Si magistrum temerare, qui omnium teritur manibus, nec pudore, nec infamiæ metu quis deterreatur, putas ne illi fore religioni discipulos interpolare, quorum libri cum raro exstent, vix probari potest corruptela, & plagiarij crimen ? Sed ne bis coctam crambem obtrudam, consule quæ superiori disputatione de mente S. Doctoris fuse disputauimus. Hîc vnum obseruo, cum de vsu probabilium profundissimè in quodl. discussam & explanatam quæstionem D. Thomas in Summa prætermiserit, nec extraneorum vllus impugnauerit, hinc factum ab antiquis Thomistis fere intactam fuisse : vix enim aliud scripserunt, quam quæ communis Magistri interpretatio, & in vtramque summam commentaria, vel defensio ab æmulis requirebant. Et hæ omnes causæ defuere discipulis S. Doctoris, quibus ad hanc tractationem impelli poterant.

Primus omnium quod sciam, aggressus est ex nostris Barth. Medina, & longè à Magistri vestigiis recessit, causamque aliis errandi præbuit : nec solum à magistri mente, sed etiam ab auitâ Ordinis Dominicani sententiâ & gloriâ defecit. Nam S. Doctor explicatam in Quodl. doctrinam purissimam, non tam suo marte inuenit, quàm ab antiquis nostris Patribus, ab Hugone Cardinali, ab Alberto Magno, aliisque antiquis Theologis haustam exornauit. Nec dubito quin illis voluerit acceptam referre, ipsomet Articuli 13. Titulo, qui ita habet : *Vtrum ille qui habet plures præbendas, peccet plurium opinionem non sequendo.* Hoc quæstionis statu quasi indigitauit originem malorum, quæ Patres nostri & Franciscani à Guillelmo Fani amoris, aliisque æmulis passi sunt. Ex quâ verò scintillâ tantum incendium conflatum sit, paucis accipe.

Ebroinus Pictauorum Episcopus, primus legitur plura Sacerdotia habuisse ad annum 838. quo primum Authore & sæculo, hæc polygamiæ beneficiorum pestis orbem inuasit, Episcopatui Pictauiensi adiunctâ Abbatiâ S. Ger-

mani à Patris ad suburbium Parisiense. Multis hæc cumulata Sacerdotia placuere; & cum inde graue damnum impendens præuideret Guillelmus Parisiensis Episcopus, tanto malo auertendo, hanc de Beneficiorum vnitate controuersiam ad annum 1238. iussit à Theologis disputari: an scilicet tutâ conscientiâ & salute æternâ, posset quis adire, & habere plura beneficia. Tandem plenis Theologorum comitiis, quibus è nostrâ Familiâ præter alios celebres Theologos, & ex Franciscanis, interfuit Hugo à sancto Charo tum Theologiæ Professor Parisiis, breui postmodum ad purpuram assumptus; eorumque suffragiis decretum est, nullum posse sine salutis periculo, pluribus beneficiis potiri, si ex vno in annuos reditus 15. libras Parisienses perciperet, quæ pretio nostro ferè quingentas æquant. Hinc omnium discordiarum & malorum origo, vt Paulus Æmilius Historicorum nostri sæculi iudice Lipsio facile princeps, testatur his verbis, *Sacri mendicantium cœtus, votiuam paupertatem laudibus efferentes, in diuites sacerdotes concionabantur; eorum cupiditate, & ambitione, seruorum Dei numerum multis partibus imminui, alios bina, alios terna, alios plura sacra, eaque opulenta sacerdotia habere. Hæc illi prædicantes, habebant aduersarios summos viros, & magna (si modum sapientiæ imposuissent) ingenia, in quibus Guillelmus à fano amoris, qui vt vicem pro auaritia improbata, & castigata reponeret, votiuam paupertatem ipse damnabat.* Quibus de causis, ordo vterque Diuorum Francisci & Dominici, parum à ruina abfuerit; quod pro beneficiorum vnitate starent aduersus polygamiam, id est, pro opinione à lege stante pugnarent, aduersus probabilitates,

Hæc te paucis volui monitum, Lector erudite, vt inde agnoscas quam iniquè Dominicanorum nomen, & D. Thomam veluti clypeum habeat Amadæus, & in patrocinium aduocet laxissimarum contra legem opinionum; cum ab incunabulis Ordinis, pro lege, & pro tutis opinionibus, vsque ad sanguinem decertarint, cum à S. Doctore, in cuius verba iurant, hoc dogma inconcussum habeant, *quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quod sit secundum conscientiam*, quacunque probabilitate munitam, quæ in certitudinem moralem nunquam sit euasura, quandiu reclamabunt Doctores

graues, & contra ſtabunt rationum momenta: quo vno verbo conuelluntur quæcunque Amadæus toto ſuo opere congerit argumenta.

Paragraphvs Secundvs.

Expenduntur Thomiſtarum teſtimonia.

Neque à S. Doctoris veſtigiis, abeunt vlli antiquorum Thomiſtarum, & modernorum. Non licuit ſingulos conſulere: ſi ſecus ſentiant (quod affirmare vel negare vix auſim) dicam ceſſiſſe tempori, & recentiorum magis inuenta attendiſſe, quam S. Doctoris documenta, & antiquorum Patrum exempla: quod de Soto dici nolim. Neque ad hoc cogunt citata ex illo verba in 4. Sententiarum diſt. 18. q. 2. art. 5. ad 5. Nam eo loci tantum docet, ſi quis adhæreat opinioni, ex magni nominis authoribus probabili, cum ſtat pro lege, & grauioribus rationum momentis fulcitur, quales ſunt D. Thomæ & Scoti, dum ille cenſet reum publicis tabulis conuictum homicidij, iuſtè damnari, & oportere ad mortem, à iudice, cui priuatim comperta ſit eius innocentia: Scotus negat id legitimè fieri poſſe. Sotus hoc luculento exemplo, regulam à ſe conſtitutam illuſtrat: à diſcipulo Diui Thomæ abſoluendum iudicem, qui Scoti opinionem ſecutus, abſtinuerit à damnando reo: neque id beneficium à Scotiſta recuſandum iudici, qui reum ex D. Thomæ ſententia multarit. Det Guimenius paris probabilitatis pro lege vtrimque, non hinc pro honeſto, & ſalute, inde pro commodo, Doctorum numero, & auctoritate, & rationum momentis diſſidentes opiniones, & tum illis aſſentiemur, & damnabimus Confeſſarium, qui propriâ opinione ſepoſitâ, pœnitentem ſecutum aduerſam, noluerit abſoluere.

Recolendus hîc eſt triplex gradus opinionum, accuratè à nobis diſtinctus, primus probabilium ſolitarie, quæ aduerſam nullam patiantur; ſecundus eſt pugnantium vtrinque pro officio, qualem diximus diſcordiam fuiſſe Angeli Iudæis præfecti, cum cuſtode Perſarum, & cuius generis eſt diſceptatio D. Thomæ cum Scoto: nam Scotus pro inſonte certat, ne pœnas det immeritas; D. Tho-

mas pro authoritate legitima, & censet priuatum huius malum compensari bono publico. Tertius dissensus est opinionum hinc pro lege, inde pro commodo certantium, parum aut nihil ferè mali timendum est, ex arbitrario primi aut secundi generis opinionum delectu: quia semper aliquod officium impletur, par, aut maius eo quod omittitur. At ex altero conflictu graue impendet periculum, ne vtile honesto, commodum salutì anteponas; quod Ciceroni aliisque Philosophis visum est adeò præposterum, vt culpæ imputent, si vel dubites id tibi vnquam licere. Doctorum reliquos ad Soti sensum admitto, & interpretor: si id sentiant, quod Amadæus contendit, vnius Doctoris nomine, effici probabilem opinionem, quamlibet legi ob nostrum commodum repugnet, aliis Doctoribus reclamantibus, graui censura dignum pronuncio: sicut quod infert inde consectarium, non posse citra culpam, recusari absolutionem pœnitenti, securo opinionem vnius Doctoris authoritate factam probabilem, etiam si faueat voluptati contra legem: nec vlli Thomistarum, quos refert, (quamuis fortè laxiores sint quam sit par discipulis D. Thomæ) propositionem hanc toto ambitu, nullâ exceptione admittunt.

Thomistas vbique carpit, etiam dum laudat; quid facturum putas, dum apertè damnabit? immeritò Caietanum accusat periculosè errasse tomo 2 opusculo 6. cap. 2. quod summo Pontifici scripserit promissam esse veritatem rerum, quæ fidei principiis continentur, non earum quæ naturali lumine indagandæ sunt. Quid verius hoc asserio Caietani? quid iniquius censurâ Catharini, quam refert & sequitur Amadæus, eo loco Caietanum periculosè errasse? non magis sane, quam si quis dicat res merè temporarias, maxime Infidelium, non esse permissas pleno iure Ecclesiasticæ potestati. Sed peius errat Caramuel Theologiæ fundamentalis num. 182. dum negat vllam in mundo dari auctoritatem damnandi opiniones probabiles. Excusari non posse à graui notâ temeritatis, hoc Caramuelis assertum, omni genere argumentorum euicimus: quibus demonstratum est, nihil probabilitate indifferenti ad bonum & malum periculosius: nec posse tutam fieri, nisi in euidentiam euadat, vel adhæreat legi. Neque probabilitatum iudicium subducit ab authoritate

Ecclesiæ Caramuel, nisi vt impunè probabilitatibus indulgeat, & orbi illudat Christiano.

Sed mira est Amadæi æquitas : Caramueli vniuersim quæcunque probabilis opinio in materiâ Fidei, & morum, tutissima est ad salutem, & supra omnem Ecclesiæ censuram posita : Caitano autem non omnis generatim opinio probabilis, sed ea tantum, cuius nullum extat ex Scripturâ & Traditione verbum, quæ ad Philosophos, & Iuris petitos, non ad fidem spectat, extra forum Ecclesiasticum est : & tamen mitius cum Caramuele agitur, quàm cum Caietano. Ego contra periculosum aut potius manifestè hæreticum Caramuelis assertum, & Caietani verissimum esse contendo, & demonstrarem, nisi agerem iam actum superiori disceptatione. Quæ ex tribus cognominibus Bartholomæo, Mattino, & Petro Ledesma, atque ex Ioanne Nider refert, vellem liceret explorare : sed cum horum auctorum copia ad legendum non suppetat, illos interpretor ad sensum Martinez, & antiquorum Thomistarum, quos certum est non admisisse vsum & delectum opinionis minus tutæ pro commodo, nisi cum eâ probabilitate pollet, quæ omnem aduersæ ferè absorbeat probabilitatem : quali diximus disputatione superiori, omnes frui opiniones à D. Thoma de moribus inductas.

Cæterum si Amadæus sui Ordinis defensionem è nostro statueret repetere, quærendum illi magis erat, quid D. Thomas de quaque re, & nominatim de vsu probabilium doceret, quam quid eius Discipuli sentiant : cum S. Doctor vnus nobis sit, instar omnium, & supra omnes. Si D. Thomæ mentem rimari placebat ex Discipulorum interpretatione, antiqui erant recentioribus longe anteponendi : si modernorum aliqua ratio habenda erat longè aliis præstant, quos ferè nunquam citat, Ioannes à sancto Thoma, Arauius, Petrus à Tapia, qui nuper cum opinione sanctitatis desiit viuere, Bartholomæo à Martyribus vocatione ad summam dignitatem, eiusque administratione simillimus, qui Theologiæ moralis Summam scripsit, quasi totius Pastoralis regiminis, quam ad mortem vsque seruauit regulam. His adde Martinem de Prado præpositum Castellanæ prouinciæ, pluresque alios eruditos & sanctitate illustres, quos argumento est stare

omnes pro opinionibus tutis & probabilioribus : Nam si laxitatibus, vel minimum fauerent, non fuissent prætermissi à Scriptore adeò solicito causæ, quam vrget : maximè cum illorum vnus instar plurium esse possit, & maioris sit apud nos auctoritatis, quàm cæteri omnes collectim obscurioris nominis, quos diligenter inquisiuit, ratus non facilè eorum libros à nobis repertum iri, vt fidem relationis exploraremus.

Celebrioribus Dominicanis inter recentiores à me nominatos, qui certius de Scholæ nostræ sensu testari possunt : addendus est Iulius Mercorus, hoc nomine etiam anteponendus, quod fusiùs præ cæteris quæstionem tractarit, in quâ sibi summam posuisse visus est, & mentem D. Thomæ indagauit tantâ subtilitate, & in apertam lucem eruit, vt nisi glaciem perfregisset, adhuc in hac abysso penetranda hæreremus : atque ita ad sancti Doctoris sapientiam, nostramque in illum reuerentiam commendandam, contigisse crediderim. Male plures habet, quidam etiam acriter arguunt Dominicanos, quod vni D. Thomæ sese addixerint : & hoc vocat Theophilus, *Seruile quoddam & pecuinum genus obsequij*, nempe quod non attendant D. Thomæ libros, fodinam auri esse inexhaustam : *Leuium metallorum fructus in summo est*, inquit Seneca, *illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Hæc quibus capitur vulgus, tenuem & perfusoriam habent veri speciem, & fundamento carent.* D. Thomæ doctrina *solida est, & quæ plus pateat introrsus.* Qui præcessere Interpretes Caietanus, & alij, quasi fossionis metallicæ opifices, venas auri aperuerunt, non exhauserunt : supra Discipulorum captum, esse Magistri mentem probant, quæ ex illo noua quotidie eruuntur, superioribus ignota & occulta.

Inter hæc numerare licet opusculum Mercori, vnius & alterius articuli D. Thomæ egregium commentarium ex quodlibetis : eum difficilem clamat Amadæus, quia non capit. Quos verò nectit ex illo nodos, dissoluimus subtilissimâ Mercori interpretatione, & omnino necessariâ, nisi velimus cum Anonymo, D. Thomam nullam admittere iuris naturalis ignorantiam, quæ falsam quamcumque opinionem legi aduersam à culpa excuset. Quare hîc magis audiendus est Mercorus, quàm Bar-

tholomæus Medina, aliique recentiores Thomistæ hunc secuti, quia minus operosè articulum ex quodlibetis, quam Mercorus, interpretati sunt.

Propositio de licito delectu cuiuscumque opinionis probabilis, est Amadæo, quod generi humano primum Adami peccatum: nihil est, quod non inde deducat & probet mali: quia vix vnquam deest, vnius aut plurium Doctorum auctoritas, quæ verisimilem, id est, tutam apud ipsum opinionem faciat: cui vero non adsit sceleri quamlibet immani, & suffragetur aliqua verisimilis ratio, cum mortalitati animæ, & atheismo suppetant quas operæpretium sit profundissimi Theologi validè refellere? Neque enim omnibus satisfacit Teophilus sua Theologia naturali.

Atque ex hoc ruinoso, & putido fundamento, quasi consectarium, secundam eiusdem Tractatus propositionem deducit, Ministros Regios in tributis imponendis, & vectigalibus exigendis, minimè teneri opinionem pro iure subditorum probabiliorem sequi, relictâ probabili: & licet idem iuris neget subditis, ex minus probabili opinione tributum recusandi, & Iudici, rem vt libuerit adiudicandi, non desunt tamen Doctores, qui æquo iure statuant, Regibus & subditis viuendum.

Verum has periculosissimas opiniones latè refutauimus disputatione vtraque superiori, hoc maximè argumento: quod iustum vbique bellum ex vtraque parte accendant. Vnum addam, quem sæpius in patrocinium aduocat huiusmodi laxitatum ex Dominicanâ familiâ Barnabam Gallegum, esse auctorem infimi ordinis, cuius extant aliquot controuersiæ ex Logicâ, & Tractatus de conscientiâ probabili, quem inseruit quintæ aut sextæ Editioni Ioannis à Cruce, vt adiunctus graui auctori vendibilis fieret. Hos sibi Thomistas adsciscit in Patronos, quia celebriores illi aduersantur.

Quod verò sanctum Antoninum, Caietanum, Syluestrum, & Armillam pro se stare scribat Gallegus, fidem non meretur, & falsi conuincam articulo 4. nec leue argumentum est, quod ex illis nulla verba referat Amadæus: neque enim causæ quam vrget, adeò negligens est, vt potiora illorum testimonia, quam nouitij illius Thomistæ, ignoraret aut taceret, cum Gallegi verba, quasi cedro digna exscribat.

Præter morem, Auctores Italico & Hiſpano ſermone ſuo inſerit libro; atque inde iunior quidam Theologus, ſuſpicabatur non eſſe genuinum Teophili, quod illi eſſet inſolens, citare & referre Auctores qui Latinè non ſcripſiſſent, ſed leuior eſt coniectura, quàm vt eleuare poſſet argumenta, quæ ex illius officinâ prodiiſſe monſtrabant: niſi validiora occurriſſent.

ARTICVLVS TERTIVS.

Conſenſus Franciſcanorum cum Dominicanis, & Subtilis Scholæ cum Angelicâ, de vſu probabilium ad legem reſtringendo.

NEceſſarium duxi huic articulo, & noſtris in tractatum Amadæi de opinione probabili animaduerſionibus, conſenſum vtriuſque familiæ & ſcholæ, de vſu probabilium ſecuro, demonſtrare: vt vnâ reſponſione inde petitâ, refellam infinita argumenta, ex Franciſcanorum teſtimoniis; quæ ad iſtas propoſitiones muniendas, non magis ſincerè, nec minus præter horum authorum mentem: quàm Dominicanorum & Thomiſtarum paſſim adſciſcuntur; vt vtrinſque ſcholæ, comperto hâc de re ſenſu, iudicet æquus Lector, quid veri habeat Quæſtio Facti, inſtituta à P. *de Champs*, ſuis in Ianſenium libris, ſatis noto; cum vno breui opuſculo contendit laxitates ab antiquis, aut extraneis Theologis probabilitatum inductas, à ſuis coercitas, & ad ſeueriores regulas fuiſſe correctas.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Sententiæ Scoti fundamentum.

LIcet hæc refelli poſſint ex iis, quæ vltimâ parte Diſputationis ſuperioris diximus: vbi accuratè inueſtigauimus antiquorum mentem de vſu probabilium, & certis argumentis demonſtrauimus, omnes ad vnum ante Bartholomæum Medinam, capitaliter huic laxitati fuiſſe aduerſatos, & nihil opus habuiſſe emendatione, & reſtri-

ctione recentiorum: aliqua etiam ex Scoto singularia, & miræ cautelæ attulimus. Verum tanti apud me est ad hanc controuersiam, vnde pendet æternitas, Subtilis cum Angelicâ Scholâ, in hanc rem consensio, vt ad illam firmandam nullum sim laborem detrectaturus. Sed eo nos leuauit ex Franciscanæ Familiæ, & Scoti Academiâ, recens quidam author, pio & erudito magis, quàm longo de hac controuersia opusculo, nuper, vt creditur, Tholosæ edito: ita enim solicitè & anxiè sese occultanit hic Scotista, fugiendæ vt puto gloriæ, quam breuissimo scripto maximam & perpetuam meretur; (neque enim alia potest esse causa fallendi homines) vt nullum voluerit sui vestigium, ex editionis anno, aut loco extare: sed quo se diligentius abdidit, eo videtur clarius innotuisse, Franciscanum esse piissimum & profundum Scotistam, qui Patris sui sanctitatem resipiat, sui Magistri subtilitatem ferè æquet, & vbique eius mentem assequatur. Itaque quid Franciscana Familia, siue quid Scotus, quem sibi in magistrum delegit, quid eius Discipuli sentiant, aut sentire oporteat, de probabilitatum vsu, laxandus-ne sit an restringendus, nullo labore, emolumento ingenti, summa voluptate longè honestiori, illa quam mentitus Capucinorum Exprouincialis, dicebat se ex Amadæi lectione percepisse, licebit discere ex huius Franciscani dissertatione, cuius in gratiam Lectorum hîc compendium & medullam dabo.

Primo remotis ambagibus, aduersariorum sophismata, quibus exactè refellendis, multum nobis temporis amissum est, vno verbo excludit, definitione opinionis probabilis, de qua disputandum suscipit præmissa, & controuersiæ statu reuocato ad sensum nostræ quartæ regulæ, agi de opinionibus probabilibus, hinc pro lege, salutis & honesti causâ, inde pro commodo, rem licitam, aut illicitam esse contendentibus; possit mens vno aut duplici iudicio practico vtrique propositioni contradictoriæ assentiri, & pronuntiare vtramque partem contradictoriam esse licitam, ex propriis rationibus, & non esse licitam, ex rationibus partis oppositæ. Controuersiæ statum his verbis constitutum, §. 7. illustrat exemplo serui, clam subripientis bona sui domini in solutionem suæ mercedis: de illo igitur quæritur, non quidem, an possit esse dubius,

& perplexus, propter rationes hinc inde oppositas,neque, an reiectâ vnâ parte, possit alteram eligere: vtrumque enim quilibet nostrum id fieri posse in se experitur: sed an auditis rationibus pro vtraque parte, possit formare duplex,aut vnum iudicium practicum,quo sibi persuadeat, vtramque partem, vt actu sibi propositam, esse verè probabilem; scilicet, illud quod surripit furtiuè à Domino, esse suum, & non suum: teneri ad restitutionem, & non teneri: vnde indifferenter ex duabus partibus simul propositis, possit licitè quam voluerit amplecti, habendo simul consensum paratum ad alteram partem, vt securam ad salutem.

Toto vero opusculo, siue vrgeat aduersarios, seu respondeat, non aliud argumentum versat, quàm quod nos primâ classe reposuimus, ex principiis syndereseos repetitum; idque non totâ eâ amplitudine, quâ prosecuti sumus, iuxta varios mentis gradus; sed eâ tantùm parte vrget, quam Mercorus ex Delugo, & D. Fagnanus ex Castropalao obiiciunt Sanchez, qui hanc controuersiam grauissimam de vsu legitimo vtriusque partis contradictoriæ, ad eum statum reuocant, quo subtilissimus ille Scotista deduxit. Quare vt certâ methodo, quas fusius profert probationes digeram, ad duo argumenta reuoco: quorum primum potest hac forma proponi. Ad licitum cuiuscunque opinionis probabilis assensum, & vsum, necessarium est, mentem vtrique parti contradictoriæ assentiri absolutè vt veræ, & vt falsæ; quia iudicium opinionis probabilis practicum est, veluti conclusio deducta ex principiis syndereseos de rebus agendis: cuius illationi assentitur, & vi illius transit in assensum rei illatæ, vt veræ & licitæ; aut secus, vt falsæ & illicitæ: atqui repugnat intellectum assentiri vtrique parti contradictoriæ. Maiorem propositionem concedunt aduersarij; quare Sanchez licet renuat posse intellectum ex principiis intrinsecis habere assensum vtriusque partis contradictoriæ: admittit tamen elici posse à principiis extrinsecis, id est, ab authoritate Doctorum, qui alterutri parti fauent.

Id verò omninò repugnare probat noster author; primò ex Scoto §. 9. quia, inquit, in contradictoriis negatio non solum remouet affirmationem, sed etiam ipsam rem affirmatam: ideò nullo tempore, nec reipsâ, nec cogi-

tatione intellectus, duæ contradictoriæ possunt simul esse veræ. Idem declarat §. 1. ex Scoto in 4 Metaph. quæst. 3. vbi interpretatur hoc commune dictum, contradictoria non posse intelligi, aut vix: quia non possunt, inquit, simul concipi vt vera cum assensu, quamuis nihil vetet apprehendi sine assensu. Ideò, inquit Scotus, contrariæ opiniones possunt esse in mente apprehendente, non iudicante. Eodem § 11. occupat responsionem aduersariorum, contradictoria non esse quidem absolutè vera in se sed collata ad nos, quia vera apparent: contra ille instat, veritas rerum posita est in conuenientiâ ad suum exemplar, & ad ideam diuinam, vel est ipsamet res, vt relucet in intellectione diuinâ, sui causâ; At certum est vtramque partem contradictionis non esse determinatè veram in ideis, & rationibus æternis: Ergo nec potest vllâ ratione à nobis vtraque pars concipi, & iudicari vera, sed ad summum illatum altera disiunctiuè.

Idem argumentum confirmat §. 12. Non minus repugnat, propositiones contradictorias de moralibus, simul veras esse, seu licitas & non licitas: quam de rebus ad speculationem pertinentibus; Atqui istarum vtrique repugnat veritatem inesse, vt probat Scotus ex Arist. 4. Metaph. vbi contra Pytagoreos asserentes quæcunque apparent esse vera, arguit Philosophus: si ita sit, contradictoria simul fore vera; quia pluribus diuersa operantibus, si quilibet verum assequatur, idem erit simul verum & falsum coniunctim & diuisim. Probat verò primam propositionem ex eodem Scoto. Veritas cuiuscunque conclusionis seu moralis, seu speculatiuæ, continetur principiis, vnde deducitur: & si illa sint subalterna seu subordinata, referuntur tandem ad vnum primum principium & immediatum, cuius veritas & rectitudo est per se nota; vel à præcepto diuino, quale est istud: *non licet subripere rem alienam inuito domino*; illud verò principium non potest continere vtramque contradictionis partem, nempè rem ad subripientem iure pertinere & non pertinere.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Aliud fundamentum Scoti.

SEcundum argumentum multò vberius & elegantius prosequitur per plures Paragraphos, cuius summam hac forma propono: si mens eodem, aut diuerso iudicio practico possit assentiri vtrique parti contradictoriæ vt rectæ & licitæ, sequitur constituendam esse quintam conscientiam, quæ omnia dubia practica dirimat his duobus *est & non est*: ea verò conscientia noua est, inaudita, repugnans, & diuersa à quacunque alia conscientiæ specie; ergo cum tot vitiis scateat, est omnino abiicienda. Primam argumenti propositionem explicat §. 7. & probationem iam insinuauimus; Opinio probabilis posita est in iudicio practico ex principiis synderescos in regulam rei agendæ: at conscientia ex D. Thoma & Bonaueutura, quid aliud est quàm conclusio illata ex principiis rationis, & per discursum admota directioni agendorum?

Minorem fusè probat §. 9. & pluribus consequentibus vsque ad paragraphum 14. Argumentis omnibus præmittit velut solidum fundamentum, conscientiæ definitionem quam §. 7. ait vix differre ab opinione probabili tutâ, seu legi consentaneâ, sicut dicemus progressu argumentorum; quibus aliud præstruit fundamentum, à partitione conscientiæ §. 8. secundum Scoti principia, in quatuor veluti species diuisæ. Cum enim conscientia sit participatio legis æternæ & quasi Vicaria Dei, si probè fungatur suo munere, & Dei nomine vera præcipiat bona, ac mala vetet, primam constituit speciem conscientiæ rectæ seu legi æternæ consentaneæ; à quâ non putat Scotus recedere conscientiam, cum actus quoad speciem indifferentes permittit & indulget: vnde censet existere secundam veluti speciem conscientiæ indifferentis, vt dictat opus, nec determinatè bonum moraliter aut malum. Dissentit S. Doctor à Scoto hac specie conscientiæ, quam non agnoscit, ex alio principio, de actibus quoad speciem indifferentibus, quos mali aut boni contendit ratione imbui oportere, cum singulares fiunt & indiuidui. Sed hac controuersiâ semotâ, quæ nihil ad nostram refert, conscientiæ

tertiam speciem facit, recessit à diuinâ lege; cum per errorem suadet malum, & euadit in peruersam; seu quod idem est, in erroneam. Si verò mens hæreat, & paribus argumentorum momentis, hinc inde librata, in neutram partem vergere velit aut possit, fit quarta species conscientiæ dubiæ. Ad superiorum aliquam reuocantur aliæ species: probabilem quæ stat pro lege ad rectam, quæ verò stat pro libertate ad peruersam referimus, vel ad dubiam, ad quam pertinet scrupulosa.

Qui intimos animi recessus Theologi ac Philosophi, longè accuratiùs rimati sunt, & lustrarunt, quàm antiqui & recentes Mathematici, & Astrologi, cœli, terrarum, & maris spatia emensi sint; hos tantum mentis humanæ, seu conscientiæ, status ac gradus distinxerunt: ad quem verò superiorum, putant aduersarij pertinere suum illud iudicium de vtraque contradictionis parte, falsâ & verâ, recta & illicita?

Illud noster Author accuratè excludit ab omnibus speciebus conscientiæ enumeratis §. 11. quo enim nomine hanc conscientiam appellas? Non scrupulosam, quæ non torquet animum anxiâ religione, sed potius omnem auellit & semouet scrupulum; nec excogitata dicitur à suis Authoribus, nisi ad mentis tranquillitatem. Non accensebunt etiam conscientiæ erroneæ; cum contendant conuenientem esse rectæ rationi. Nec minus longè abest à conscientia indifferenti; quia hæc determinata est ad vnam partem contradictionis; altera abstrahit ab vtraque parte, vel potius vtramque complectitur. Eodem argumento euincitur, ad conscientiam dubiam non reuocari, quia hæc suspendit operationem, illa dirigit, & ad eam impellit.

Dices, ad rectam spectare: sed ab illâ multis nominibus excluditur; maximè, quod recta vnam tantùm contradictionis partem præscribat; ista verò vtramque complectatur; cum tamen repugnet, simul quamlibet illarum veram esse & falsam; quod reputat opinans, nec attendit necessarium esse illarum alterutram esse malam & falsam: ac proinde, dum vtrique assentitur, vt veræ & bonæ; rerum nomina, & naturas permiscet, lucem tenebras, malum bonum appellat.

Si ad vllam ex enumeratis conscientiæ speciebus, re-

duci possit hæc recentiorum conscientia, ad dubiam magis accedere, ac proinde periculosam esse, & peruersæ proximam, demonstrat noster Author §.9. Quia reliquæ conscientiæ species, alteram contradictionis partem respiciunt: recta quidem, opus conforme legi; peruersa, dissentaneum ab illâ; indifferens opus determinatum quidem diriget, sed expers bonitatis & malitiæ moralis; dubia verò vtramque contradictionis partem spectat, & dum assensum suspendit, impedit operationem: quod verius & efficacius existere debet, quam à dubia, ab hâc quintâ conscientiâ recentiorum: nam conscientia dubia respicit vtramque partem contradictionis disiunctiuè tantùm, & ideò timet operari, nec stante dubio potest se accingere operi: aliàs eligeret peccare, hoc ipso quod peccandi periculum non recuset, aut fugiat: illud verò conscientia quam impugnamus, auget magis quàm dubia; quando quidem positiuè assentitur, partium alteram, cuius delectum permittit, malam esse & falsam. Dices conscientiam hanc, aut opinionem recentiorum, nihil differre à conscientiâ probabili, quam hic Author reuocat ad primam speciem conscientiæ rectæ. Sed §.10. inde amolitur hoc argumento, quod conscientia verè probabilis designet voluntati vnam contradictionis partem, semotâ alterâ; quod minimè conuenit recentiorum probabilitati, vtramque partem approbanti. Deinde, hic Author non agnoscit opinionem probabilem, nisi sit iudicium practicum, ex synderesеos principiis deductum, conformius legi æternæ: quam definitionem latè & eruditè explicat paragrapho 4. & tribus sequentibus.

Sed ad huius grauissimæ difficultatis enodationem, ac lucem, obseruari velim; probabile (de quo toties dictum, nec res adhuc exhausta est) bifariùm sumi: primo latè, pro quocunque verisimili, quod rationibus non sit destitutum, quæ aliud sentientibus negotium facessant, qualia sunt plura placita Philosophorum, & Hæreticorum contra res fide receptas, de prouidentia, de immortalitate animorum, &c. quibus quamlibet argumentis verisimilibus muniantur, nefas sit assentiri. Præter hæc verisimilia improbanda, quæ lato sensu dici possent probabilia, sed improbanda; strictiori significatu vocabuli, probabile dicitur, quod verè probari possit: idque iterum dupliciter, vel

assensu tantum, vel assensu & vsu; itaut probari possit, & vsurpari. Itaque probabile toto suo, quo latissime patet ambitu, tribus gradibus contineri & distingui conuenientissimè potest, extremis duobus scilicet, & vno medio. Extremorum primus & remotissimus est eorum verisimilium, quorum assensus & vsus periculo non caret & vitio: & ad illum gradum referimus quæcunque finem vltimum hominis, & subinde immortalitatem animorum, Dei vnitatem, existentiam, & prouidentiam, impugnant placita & argumenta; quorum licet non occurrat solutio positiua euidens, id est, quæ falsi conuincat aduersarios, omnis tamen illis assensus denegandus est. Alterius extremi gradus, sunt ea probabilia, quorum assensus & vsus innoxius est, & legitimus: huius ordinis sunt opiniones quæcunque probabiles negatiuè & positiuè tutæ, vt stant pro lege & salute, à qua omnimodam à peccato, & à malo, immunitatem habent. 3. Denique, & medio gradu ac statu, continentur probabilia, quorum assensus nihil mali habet, sed vsus periculo non caret: itaque potest innoxiè illis assensum adhibere, sed non perinde tutum est ea vsurpare, seu ad opus & ad vsum reuocare; cuius generis innumera dedimus exempla: eoque pertinent, quæcumque diximus speculatiuè, non practicè probabilia, qualia reputamus quascumque aduersatij ingeniosè excogitant opiniones, pro commodo contra legem pugnantes, quibus nihil subtilius ad exercitationem ingeniorum, nihil periculosius ad vsum & ad salutem.

Has omnes nostræ distinctionis partes egregiè illustrat exemplum accommodatissimum, & pluties repetitum venatoris, cui ad ingressum syluæ, occurrit vel certa fera agrestis, incertus masne sit an fœmina, vel quid aliud apparet se in syluis motans; & dubius hæret, ferane sit syluestris, an mansueta, vel homo; nec in has omnes partes desunt argumenta, quibus singulæ probabiles fiant; sed verisimilius sit illi, feram esse syluestrem, non tamen sepositâ omni formidine, ne mansueta sit, an homo. Quid ad ista? permittimus venatori horum omnium opinari quid libuerit, & ad arbitrium assensum præbere parti quæ magis arriserit: at longè aliud est de vsu: neque enim licet ad opus aduocare. Quare dicerem has omnes partes probabiles speculatiuè, & quoad assensum, noxias

esse & periculosas, ad vsum reuocatas, ob formidinem adiunctam, ne dum creditur probabiliter fera syluestris, sclopo aut telo, domestica suo domino chara, aut homo interimatur.

Non existimo vllum, hanc nostram probabilium diuisionem in tres gradus, eorumque constitutam distinctionem, negaturum. Sed hîc mirari subit recentiorum Theologorum fiduciam, quâ iura diuina dispensant, & resoluunt multo largius & liberalius, quàm humana: damnant homicidij, aut grauius iniuriæ venatorem, qui probabilius reputans se feram syluestrem, & vagam impetere, nihil moratus formidinem suæ opinioni adiunctam, ne fortè displodat aut iaculetur in feram domesticam, aut hominem, reuera homicidium admittat; nihil tamen dubitant ab omni metu peccati & damnationis eos liberare, qui opiniones sequantur probabiles, cum formidine, tum innatâ ipsis, tum ab aduersis opinionibus probabilioribus ingestâ, ne à salutis viâ abducant, & grauiter impingant in legem diuinam; idque multo probabilius sit, quàm à lege & à salute non esse dissentaneas.

Quare vt rem absoluam, & aliquam lucem conferam profundissimæ disputationi nostri Scotistæ, obseruandum est vltimo; cuilibet opinioni probabili, cuiuscumque sit generis & ordinis, aliquid subesse formidinis, ne res secùs se habeat, quam opinamur & credimus; eaque formido aut dubitatio, ex triplici capite existit, ab ineuidentiâ mentis ac rei; atque inde oriuntur dubitationes de mysteriis fidei, quas non excludit omnino fides; sed tantùm eas, quæ vincant & trahant in oppositum, vt ex Scoto docet noster Author §. 6. Nascitur etiam hæc formido à debilitate argumentorum, quibus munitur opinio: vel tandem ab aduersæ paribus, aut validioribus fundamentis: licet verò huiusmodi formidinem aut dubitationem, omnis opinio aut obscura cognitio adiunctas habeat, non tamen eodem sunt loco habendæ; nam cum opinio fauet legi, & consentanea est fini vltimo, ac recto in illum appetitui, nihil morari oportet huiusmodi dubitationes, & procul amandanda est omnis formido; quia huiusmodi opinionis, tum assensus, tum vsus omni caret periculo peccati & damnationis; quod cum nequeat amoueri & abstergi ab aduersis opinionibus, summæ mihi videtur esse

fiduciæ, ne dicam temeritatis, ista superioribus æquare, quoad securitatem salutis & innocentiam.

Ex his omnibus agnoscet facilè eruditus Lector profundam mentem Scotistæ nostri, & quam sequitur diuersam à nostrâ methodum: nos de probabilibus egimus toto suo ambitu, eaque definiuimus, vt hos tres gradus accuratè distinctos complectuntur. Hîc verò Author assumpsit explicandum, & definiendum probabile, omninò practicum, seu assensu & vsu probandum; illudque accuratè definit, quatenus est iudicium prudens legi, fini vltimo, & recto sapientum in illum appetitui conforme, quod formidinem sibi adiunctam nihil moretur, nec impediat certam destinationem, & directionem boni operis: quare illam formidinem dicit simplicem esse, non firmam dubitationem; & ad intellectum speculatiuum pertinere; quia non impellit ad operationem. Addit etiam acutè, esse diuersi generis à iudicio practico, quod istius determinatio actualis sit, eiusque conformitas ad rationem reputatam rectam actu cognoscatur: difformitas verò de quâ est formido, & veritas opposita, concipiuntur solum vt possibiles: quod tamen satis est, vt opinio adiunctâ illâ quasi radicali formidine, ex Aristotele sit quoddam debile, & infirmum. Atque ex hac Philosophi sententiâ, idem Author ex Scoto §. 15. corrollarium infert summè hîc notandum: cum ex Arist 4. metaph. textu 18 se habeat opinans ad scientem respectu veritatis, eodem modo quo infirmus ad hominem sanum; sicut, inquit Scotus, homini infirmo allaborandum est magis quàm sano, valetudini recuperandæ, ita etiam de opinantibus statuendum est, quod minimè, inquit Doctor subtilis, contingeret, si idem posset esse verum & falsum. Scoti dictum egregiè eius discipulus ad rem subiectam vsurpat: si vtraque, inquit, pars contradictionis esset licita, & probabilis prudenter, seu probanda, assensu & vsu, ad quid opus longâ disquisitione, vt cognoscamus quid tuto fieri possit aut debeat?

Atque hinc validissimum arripit argumentum, contra quintam conscientiam, paragr. 14. vsque ad 18. à testimonio omnium antiquorum, & recentium maximè Scoti, & D. Thomæ; quibus propositâ dubitatione de rebus controuersis moralibus, & variis argumentis veri-

similibus, & validis, hinc inde dubitationem augentibus, nunquam vlli Antiquorum venit in mentem, ad hæc dubia responsio Recentiorum, perinde facilis ac necessaria, si tutam putassent: liberum cuique esse, opinionum ex aduerso pugnantium, quam placuerit sectari, quòd verisimilibus argumentis nulla destituatur: at nulli vnquam antiquorum ita visum est respondere sibi tutum esse: imo Scotus in 3. distinct. 25. quæst. 1. monet ideo *bene videndum in moralibus, cum inter se Doctores altercantur, antequam aliquid asseratur*; idem monet quæst. 2. in prologum: dubiis ex Scripturâ emergentibus, quorum cognitio necessaria sit ad salutem, an scilicet aliquod peccatum mortale detur, in Scripturâ non expressum, nec ab vllo Interpretum deductum, *à talibus*, inquit Scotus *debet homo sibi cauere, ne dum se exponit periculo, incidat in peccatum; & si negligat de salute sua inquirere, dum exponit se periculo peccati ex genere suo venialis, mortale interdum incurrat, ex negligentiâ aut temeritate.* Plura addemus ex eodem Scoto & Authore paragr. sequenti.

Ad finem huius compendij, obseruari velim summam scientiarum omnium cum Theologia cognationem. Nulla videtur à Theologia remotior dialecticis quæstionibus: certum tamen est, & ex modo dictis constare potest, omnium controuersiarum, seu dogmaticæ, seu Ethicæ Theologiæ, velut originem repeti à duabus Dialecticæ quæstionibus: quarum 1. disputat Aristoteles de legibus propositionum contradictoriarum, an perinde propositionum huius oppositionis de futuro contingenti, altera determinatè sit vera, altera falsa, vti omnes admittunt, cum propositiones contradictoriæ fiunt de re præsenti, aut præteritâ, vel absolutæ necessitatis. Thomistæ post Philosophum, negant, semoto Dei decreto, hanc contradictoriarum legem conuenire propositionibus de futuro contingenti, ob manifestum à cæteris discrimen: quod huiusmodi futuris, nullum determinatæ veritatis subsit fundamentum, quale competit necessariis ab ipsâmet naturâ; præsentibus aut præteritis ab ipsa determinatione præsentiæ ratæ, aut iam præteritæ irreuocabiliter. Recentiores ab Aristotele, & à nobis dissentiunt: atque ex hoc modico dissidio Logicæ, sparsa est in omnes Theologiæ partes, primum de scientiâ Dei, deinde de prædestina-

tione, subinde de prouidentiâ, & de gratiâ dissensio perpetua.

Non omninò dissimilis est origo controuersiarum de parte morali, etiam ex Logicâ: Ad illius finem disputant Dialectici de demonstratione, ac subinde de scientiarum vnitate, euidentiâ, & ab aliis habitibus distinctione; an scilicet differat ab opinione, quâ ratione cum illâ stare possit, aut pugnet. Inde existit controuersia, quæ tota ad speculationem, nihil ad mores videbatur pertinere, an eâdem de re per diuersa media, demonstratiuum vnum, probabile alterum, mentis assensus opinatiuus, & scientificus, possint conuenire, simulque stare. Negant Thomistæ omnes, ex certo principio de lege artis syllogisticæ, quod vi medij, vnde infertur conclusio, sequatur assensus, non solum illationis, sed etiam rei illatæ: vnde deducunt repugnare euidentem, & probabilem eiusdem rei assensum: quod perinde est, ac rem pro indubitatâ habere, & cum formidine, ne secùs sit, illi assentiri. Recentiores nihil morati quamlibet diffidentes in speciem, scientiam & opinionem, eas conciliant vi diuersorum mediorum: atque ex hâc controuersiâ omnino speculatiuâ, quasi ex scintillâ incendium, conflata est hæc cæterarum omnium origo de re morali disputatio, de conscientiâ probabili, quam recentiores contendunt stare, tutam de vtraque parte contradictoriâ: quod toto opusculo egregiè impugnat Scotista noster, & si quæ ex illo omissa sint, addemus §. sequenti.

Articvlvs Qvartvs.

Responsio ad quæstionem facti de opinione probabili.

S. Thomas nonnullis Iansenij asseclis visus est adeò longè ab Augustini de gratiâ & prædestinatione sententiâ recessisse, vt sentiant, & interdum obmurmurent, tanto discipulo magistrum omninò inexploratum, neque lectum, nisi in Gratiani decretis, aut Petri Lombardi libris. Nescio an vlciscendæ huius grauis iniuriæ D. Thomæ illatæ, & vicem Iansenistis reponendi causâ, Author

quæstionis facti, cuius examini nos accingimus, ad calcem operis de libero arbitrio editi, nomine Antonij Richardi asserat, & multis probare nitatur, nec Augustinum Iansenio lectum, nisi apud Caluinum, & ex solis huius hæretici libris esse notum. Non admodum placent huiusmodi accusationes, aut defensiones; quæ magis suis Authoribus nocent, quàm iis in quos agunt. Vtrumque dictum omnem fidem superat, nec secundum mihi credibilius est primo. Sed qui huiusmodi paradoxa proferunt, hoc solum emerentur, vt vix etiam cum vera dicunt, fidem exigere possint, aut inueniant.

Non ausim dicere paris esse, vt sic loquar, improbabilitatis, à recentioribus Societatis Theologis laxiorem probabilitatum vsum, aliquâ sui parte arctatum, intra strictiores metas, ac Augustinum numquam D. Thomæ lectum, nisi in Magistro sententiarum, vel Iansenio in Caluini libris; sed dissimulare etiam nolim, mihi maximè suspectum fuisse, vbi primum legi assertum, nec propius à vero, quàm superius paradoxum abesse; quod paucis breui totius quæstionis examine demonstrabo, vbi secreuero quibus conuenire nos oporteat, & de quibus aliqua possit esse dissensio.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Expenduntur notanda.

QVoad notanda, quæ primo capite ad totam quæstionem præmittuntur, duo obseruo: primum quod notando 1. habetur veluti fundamentum totius quæstionis, nempè ad conciliandam opinioni probabilitatem, duas ex Suare conditiones requiri, vt scilicet nihil contra illam conuincens afferatur, deinde vt firmo aliquo nitatur fundamento, mihi omninò suspecta est vtraque conditio, imò prima absolutè falsa est. Nam si opinio non desinat esse probabilis, nisi contra se habeat aliquid euidenter conuincens, in tuto erunt opiniones contra immortalitatem animæ, contra originem mundi è nihilo, aliasque fidei veritates, quæ cum ex Nominalibus, & Caramuele, demonstrari nequeant, nihil conuincens afferri potest contra opiniones ipsis aduersas, ac proinde si stet prima

conditio, verè probabiles erunt & tutæ. Quare dico opinionem desinere esse probabilem, si contra stet dubium graue, ne sit aduersa legi & saluti.

Secunda etiam conditio vix admitti potest: neque enim firmum dici debet fundamentum, quod pari aut validiori impetitur: Atque hoc notando euerso, planè corruunt duæ propositiones, quarum causâ instituta est disputatio. Negamus è duabus opinionibus probabilibus, posse nos sequi minus tutam, & minus probabilem, quia deest illi duplex conditio necessaria ad probabilitatem tutam, & expeditam; nempe ne contra illam stet dubium graue, quod persuadeat magis aduersari legi, quàm conuenire, & quod sit validius fundamento.

Non magis placet quintum notandum, quo verborum ambage, inuoluitur distinctio per se aperta, duplicis generis opinionum moralium, spectantium vel ad res ex solo præcepto, vel ad res efficaciâ medij, & subinde ex præcepto saluti necessarias. Videntur autem eo notando, opiniones de rebus efficaciâ medij necessariis excludi à quæstionibus iuris, & reuocari ad quæstiones facti: quod omninò alienum est à mente Theologorum, & à veritate; cum necessitas & efficacia rerum ad finem consequendum, sit fundamentum iuris, quo res præcipiuntur: quia sunt necessariæ ad officium implendum, & ad finem propositum consequendum.

His præmissis, propositæ quæstionis duplex pars, aut sensus distingui potest: primus est, plures è Societate Theologos improbasse vagum probabilitatis vsum, nullis metis coercitum, & certas illis præscripsisse. Secundus sensus, & status quæstionis esse potest, hoc illis singulare esse, & à cæteris aliorum ordinum Theologis antiquis, vel recentibus, laxatæ probabilitati vltra omnem modum, certos fines præscripsisse: primo sensu quæstionem hoc paragr. sequenti, alio sensu expendemus.

Quod ad primam quæstionis partem attinet; vltrò concedimus quod disputatione 1 sect. vltima declaratum est, plures huius instituti Scriptores, temperasse probabilitatis vsum, & neminem de illo iustius sanciuisse Paulo Comitolio, quem secundo gradu sequutus Suares, laxitates probabilitatum, seu duas propositiones de sequendâ opinione minus tutâ; & minus probabili, correxisse qua-

tuor exceptionibus, de Sacramentorum ministris, de Iudicibus, de Medicis, de Scholarum Professoribus. Suarem, & Comitolum secuti sunt plures eiusdem instituti Scriptores, qui latè referuntur toto capite octauo.

Sed ad examen illius capitis, obseruo duo; primum Suarem & alios parum consequenter ad sua principia, has metas adhibuisse. Vel enim omninò hæ duæ propositiones, quas propugnat ille Author, erant abiiciendæ, vel immerito Sacramentorum Ministros, Iudices, Medicos, scientiarum Professores fraudant communi iure, è duabus opinionibus probabilibus, sequendi minùs tutam, & probabilem: & qui hoc ius statuunt, nullâ exceptione adhibitâ, videntur magis consentaneè quàm Suares, ita docuisse; imò fortè minùs periculosè: quia cum illa probabilitas adeò vaga, & effrenis, sui horrorem incutiat tot absurdis & malis, quæ secum trahit & importat, qui illa submouent, seruato principio vnde prorumpunt, horrorem mali, non venenum minuunt, & immedicabilius faciunt.

Cæterum has quatuor exceptiones, à Suare & aliis, laxæ probabilitati appositas, latè refutauimus disput. 2. totâ sectione 3. Sed nemo breuius & neruosius impugnauit, nostro Scotista §. 21. *Quo nitatur*, inquit, *fundamentò, hæc exceptio, non facilè intelligi potest. Nunquid æque chara est mercatori, mil ti, &c. Sua anima ac Sacerdoti, & Iudici sua? Nunquid paris est periculi peccatum in nundinis, bello, &c. Ac in Tribunalibus, Templis, & Pharmacopoliis admissum? Est-ne minoris noxa, pœna æterna damni & sensus, homicidij & furti, quàm iniqua sententia causâ inflicta? Aliis-ne regulis conscientiæ Medicorum, Iudicum, & Sacerdotum, aliis militum & mercatorum metienda est; vt istis laxissimus probabilitatum vsus permissus, illis prohibitus sit? Alium-ne Deum colunt? Si recta regula conscientiæ est probabilitas quæcunque, quidni ad omnes pertineat? quidni illo iure omnibus communi viuere liceat? In totum ergo damnanda est, aut perinde omnibus permittenda est hæc regula.*

Paragraphus Secundus.

Resoluitur secunda pars quæstionis facti, quoad antiquos Scriptores Theologos.

Altera pars quæstionis facti in eo posita est: an hæ quatuor exceptiones, vsus vagi probabilitatum, singulares sint Suaretio, aliisque Societatis Scriptoribus; quasi cæterorum ordinum Theologi recentes, & antiqui, omnes ad vnum, ne excepto quidem D. Thomâ, & Scoto, indulserint licentiam probabilium nullo fræno coërcitam. Si id obtendat Author quæstionis, vt videtur præ se ferre, rem scribit longè incredibiliorem duobus paradoxis superioribus, D. Augustinum S. Thomæ ignotum, nec lectum, nisi in Gratiani Canonibus, sicut nec Iansenio, nisi in Caluini libris. Compertum enim est, effrenem illam probabilitatem, esse superioris & nostri sæculi inuentum, idque probo iisdem testibus ab Authore quæstionis aduocatis.

Didacus Aluares pag. 10. cum elogio citatus, dispur. 80. in 1. 2. duas tantum de vsu probabilitatum sententias refert; primam seueriorem, quæ delectum tutæ tantum pro lege opinionis permittit; & in patronum illi asciscit Caietanum: alteram laxiorem, quæ tutum facit arbitrarium vtriusvis opinionis probabilis vsum, eamque refert in Bartholomæum Medinam suum conterraneum, & hoc etiam nomine illi videtur addictior: Ergo ante Medinam, ignota erat opinionis pro libertate deligendæ licentia: Ergo ante Medinam sola regnabat sententia Caietani seuerior, & tutam reputans solam pro lege opinionem, quam secutus est Comitolus, & gloriatur se à D Thoma sumpsisse, non inuenisse suo marte: nec opus fuit exceptionibus Suaris, quæ laxarunt potius quam restt[illegible]int hanc licentiam, iuxta illud: *exceptio firmat regula[illegible]ontrarium*; nam si solis Sacramentorum Ministris, Medicis, Iudicibus, & artium Magistris cautum sit, ne opinionem minus tutam & probabilem sequantur, id cæteris hominum pleno iure licebit.

Ius verò vagum probabilitatum, ante metas à recen-

tioribus constitutas, superioribus sæculis obtinuisse, quatuor omninò testimoniis comprobat auctor: primum ex Leone a Diuo Antonino decerptum est 1. part. tit. 3. cap. 10. § 10. Leo quidem Epistola 91. docet in dubiis & obscuris, sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inuenitur aduersum. Hic primus ex antiquitate locus, demonstrat inopiam argumentorum ex SS. Patribus, quâ laborant aduersarij: sed illum egregiâ arte Rhetorices fucat Author, his primis tertij capitis verbis: *Si Sanctorum Patrum testimoniis argumentari liberet, plura se prolaturum præclara & insignia.* Si tot suppetant, cur vnum tantùm refert, qui nihil prorsus ad rem faciat? Nihil verius Leonis verbis; in dubiis nihil sequendum quod Euangelio, & decretis SS. Patrum aduersetur: quia aliàs in hæresim, aut in errorem delaberemur. Sed putasne hâc Leonis sententiâ doceri, nihil esse mali aut periculi, si sequamur ea de quibus meritò dubitamus, an repugnent Euangelio; imò ita esse, probabilius credimus: Ergo locus hic Leonis nihil prorsus facit ad opinionum laxitatem. Et si hic vnus ex millibus; è totâ antiquitate delectus, ad rem subjectam ineptissimus sit, quid præsidij sperare possunt ex SS. Patribus? Nec magis beneuolos Scholasticos habent: vnum D. Antoninum citant, & in illo Albertum Magnum, Paludanum, cui potest adjungi alter eiusdem nempe instituti relatus appendice ad disputationem, Ioannes Nider, qui plures ex antiquis refert, scrupulosis remittentes opinionis probabilioris & tutioris delectum, & inquisitionem, & iubent, contenti sint minus tutâ & probabili, & in cuiuslibet Doctoris Classici consilio acquiescant. Tertius additur testis Panormitanus in caput *Capellanus, de feriis*: Vbi eximit à peccato non seruantem ius præcepti, cum variæ occurrunt opiniones, licet postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & quam secutus sit, minus subtiliter se inuestigasse. Panormitano consentientem inducit Syluestrum. Tandem ex omnibus Antiquis qui ante superius sæculum floruere, capite 4. affertur ex Dionysio Carthusiano decretum aliquod Sorbonæ, iuxta regulas laxioris probabilitatis formatum.

En quò tandem reciderit quæstionis pars grauissima,

de sensu antiquitatis, quoad hanc controuersiam, vnde æterna salus pendeat. Ad singula testimonia paucis respondeo. Ad Antonini primum, iam obseruatum est, hunc Scriptorem, à Thomâ Sanchez reponi inter Authores, qui stant pro delectu opinionis probabilis ex lege: Nec dubia est eius mens eo ipso quo citatur loco 1 parte, titulo 30. ibi enim suscipit curandos conscientiæ timoratæ scrupulos, & ex septem remediis, quæ accuratè præscribit, quarto loco est opinionis alicuius tutæ electio: scrupulosi enim omnia immutant vel in maius augent; & inde tuta quæque timent. Ex triplici causâ fit illorum morbus penè insanabilis, nempè, bona quæque aliorum collatione minora, inter mala reponunt, peccata leuissima, lethalia reputant, pericula remotissima, vt proxima & inguentia fugiunt, leuissimis dubiis torquentur. His omnibus malis accedit postremum, nempe pertinacia contra salutaria consilia.

Huic morbo implicatissimo efficacia adhibet remedia D. Antoninus, resecatis tribus causis vnde existit: monet primo, illud axioma: *In dubiis tutiorem partem eligendam esse*, ad scrupulosos non pertinere, vt præceptum, sed ad summum vt consilium, quia timent minora bona quasi mala, & ab illis sibi cauent quasi à peccatis: quare in illos conuenit exemplum cœlibatus collati matrimonio, cui præferendus est ex consilio non ex præcepto, quia matrimonium per se licitum, est status cœlibatu imperfectior: ideo illi postponi potest ex consilio, non autem debet ex præcepto. Ad huiusmodi rerum genera pertinent scrupuli anxiè religiosorum, qui reputant se grauis peccati reos, nisi obmisso minori bono ad maius aspirent. Aperit etiam aliam huius morbi causam, interpretatione illius Ecclesiastici 30. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Id enim verum habet, cum periculum graue est & imminens ex dubio rationali, non leui, qualia sunt quæ scrupulosos distinent & torquent. Quare in remedium illius mali, auream apponit D. Antoninus regulam, quam tacet aut truncat Author quæstionis, quia eius causam iugulabat: agendo contra leue dubium, non peccat qui adhæret opinioni alicuius Doctoris, *& habet rationes probabiles pro ipsâ, magis quàm pro opposita opinione.* Hæc ex D. Antonino verba expressa cur tacentur? Accusatur VVendroxius temeri-

tetis & audaciæ in corrumpendis, deprauandisque SS. Patrum testimoniis, & ex hoc vno loco Antonini creditur manifestè conuinci criminis falsarij : nolim suscipere defensionem VVendroxij : sed non possum dissimulare, meliori fide egisse quàm aduersarium, qui datâ operâ interpolauit locum D. Antonini, vnde contra eius sententiam constabat, ex mente Doctoris, non excusari à peccato, qui cum formidine contra legem agit : *nisi habeat rationes magis probabiles, pro suâ quàm pro oppositâ opinione :* Ergo ex Antonino non licet sequi opinionem minùs probabilem, stantem pro commodo, contra probabiliorem pro lege.

Pertinaciam timoratæ conscientiæ contra salutaria monita, (quæ est tertia huius morbi causa,) curat ex Alberti Magni regulâ, sentientis posse fratrem simplicem, sequi consilium Doctoris magni nominis : & addit ibidem sententiam D. Thomæ Quodlibeto 8. damnantis peccati mortalis quidquid fit contra legem ex conscientiâ probabili, si eâ de re sit graue diffidium inter Doctores, nihil obesse scrupulosis : licet enim eius mentem eo Quodlibeto non omninò explicet, tamen remedium quod inde depromit, & ex Alberto Magno, efficax est contra huiusmodi morbum; qui vt plurimùm nascitur ex dubiis de apicibus iuris, quorum ait ignorantiam esse excusabilem. Si quis enim dubitet de vi præcepti amoris Dei super omnia, an per vitæ decursum aliquando liget, & sit implendum, non est dicendus scrupulis angi, sed dubio grauissimo; quo neglecto, si præceptum non impleat, incurrere poterit peccatum lethale. Scrupulus esset, si ex opinione Scoti dubitaret, an graue esset peccatum, aliquod festum præterire, omisso amore Dei super omnia : & qui ex huiusmodi dubiis & leuibus scrupulis, de iuris diuini apicibus, ex ignorantiâ aliquid admitteret, non censetur incurrere in Regulam D. Thomæ, & in legem diuinam, sed posset tuto hoc dubium deponere.

Ista præscribit Antoninus eò loci scrupulosis, quasi pueris & infirmis, quæ si permittantur peruicacioribus, & contra legem diuinam rixosis, non remedia illis, sed venena propinantur. Hoc enim multo intempestiuius est, quàm si præscriptum viuendi genus pueris, & infirmis, à sanis & à validis vsurpetur. Adde D. Antoninum non ita

indulgere scrupulosis, quàm velit illos & grauioribus, & probabilioribus argumentis, suas res peragere, quæ inualescant aduersus scrupulos, & dubia leuia quibus torquentur. Ergo ex eo loco verius Sanches D. Antoninum in patronum tutæ pro lege opinionis, quam aduersarius in minus probabilis vindicem asciscit: quandoquidem non excusat à peccato etiam scrupulosum: *nisi quatenus rationes habet pro opinione quam sequitur, magis quàm pro oppositâ probabiles.*

Sed longè apertius hanc nostram sententiam docet 2 p. t. 5. c. 10. part. 2. vbi præmissâ distinctione triplicis dubij, nempe iuris facti, & personæ, has statuit regulas verè aureas. Si certum sit factum, incerto Authore, potest sententia certa ferri, nullo nominatim designato; secundum illud: *neminem iudicetis suspicionis arbitrio*; sed potest tantùm generatim pronuntiari, qui delictum indubitatum admisit, excommunicatus sit, nisi intra indictum tempus resipuerit.

Si verò factum ambiguum sit; tum abstinendum est à sententiâ, si graue inde consequatur alterius damnum: *nam indecens est ex Gregorio in re dubiâ certam ferri sententiam*: neque enim spoliari debet quis possessione rei, cuius ius est ambiguum, donec certò constet rem ad illum non pertinere. At si nulli noxa immineat, ambiguo facto nihil vetat certam ferri sententiam, absque præcipitationis vitio: vt cum dubium est, an quis sit ritè baptisatus, aut ordinatus, an hostia sit consecrata, iterari debet Sacramentum, quia ex S. Leone: *non putatur iteratum, quod ignoratur esse factum.*

At si dubium sit de iure, nec de illo conueniant Doctores; tum inquit, periculosissimum est rem definire, si expressa desit authoritas Scripturæ vel conuincens ratio. Quid verò tùm facto opus censet D. Antoninus? Tutiorem viam esse consulendam, & eligendam: monet tamen cauendum à censurâ aduersæ opinionis, quasi hæretica sit: & nos etiam hanc cautelam adhibemus, neque enim aduersarios damnamus, quasi hæresim doceant, sed periculosa & timenda.

Nec verius aut sincerius asciscitur Syluester in patronum harum propositionum, quas omnino euertit, eodem quo citatur Ver. Opinio q. 2. Vbi quærit cum est

varietas

varietas opinionum, cuinam sit adhærendum. Respondet variis constitutis regulis verè aureis, quibus meritò dicebat quidam Romæ vir eruditissimus, Syluestrum paucissimis verbis exhausisse grauissimam controuersiam. Igitur, cum opiniones Authorum dissident, si illarum vna habeat pro se legem, vel antiquam & probatam consuetudinem, eoque præsidio aduersa destituatur, ex primâ regulâ, statuit illam isti præferendam esse: quia ex iure *minimè mutanda sunt, quæ certam sententiam semper habuerunt.* Vel opinionum vtraque, legis præsidio, perindè munitur, aut destituitur: Et tum ex secundâ regulâ, quâ fieri potest, sunt conciliandæ, vt vna aliquo, altera alio loco, & tempore obtineat: *quia conueniens est iura iuribus concordare*: si conciliari nequeant opiniones, ex tertiâ regulâ conuenit sequi communem: quia in causâ dubij, pro multitudine præsumendum est, & communis opinio Doctorum inducit probabilem errorem, nisi rationabiliter conuinci possit falsi: communis autem ea habetur opinio, quæ traditione, aut glossâ confirmatur, nec deest authoritas Doctorum.

Si verò incerta sit opinio communis, ob diffidentium Doctorum parem ferè authoritatem, docet Syluester ex quartâ regulâ, quidquid sit de foro seculari, in foro conscientiæ sequendam esse, quæ validioribus rationibus firmatur: Et si vna nitatur rigori scripto, altera non scriptæ æquitati, ex quintâ regulâ, docet præponendã benigniorem, quæ scilicet faueat iuramento, religioni, Sacramento. Si diffideant moderni ab antiquis, istos ex sextâ regulâ monet esse præponendos, quia temporis diuturnitas videtur aliquam authoritatem attulisse, nisi nouis rationibus antiqua opinio falsi conuincatur: quod hactenus non contigit in nostrâ controuersiâ.

Quid ex his Syluestri regulis potest colligere quæstionis Author, quod sibi faueat, cum apertè doceat, in foro conscientiæ anteponendam opinionem validioribus argumentis, & antiquorum testimoniis confirmatam. At, inquies, aliis locis aliud scripsit. Sed vbinam? primum eodem Verbo q. 1. vbi ex Panormitano, tradit secutum opinionem alicuius Doctoris non subtiliter inuestigatam, excusari à peccato, quandiu falsa non apparet, quamuis progressu temporis falsi conuincatur. Respondeo

hoc Panormitani assertum admitti à Syluestro de iuris apicibus, quorum supra diximus excusari ignorantiam, maximè si ad res iuris positiui spectet, & sit difficilioris inquisitionis, & opiniones dissidentes vtrinque legis præsidio destituantur.

Obiicitur alter locus verbo Confessio 2. n. 3. vbi habet, qui opinatur probabili ratione, quid, non esse mortale, non teneri ad illius confessionem. Sed eodem loco antidotum apponit, definitione rationis probabilis, quæ scilicet appareat vera omnibus, aut maiori, aut saniori parti: sed hactenus non est euictum, id probabilitatis genus conuenire propositionibus, de quibus disputamus. Refertur etiam verbo Scrupulus: sed eò loci D. Antoninum de hoc argumento disserentem exscribit, aut in compendium redigit: & cum ex eodem D. Antonini loco, euersa sit arbitraria probabilitas, quid ad illam confirmandam trahi potest ex compendio D. Antonini à Syluestro accuratè confecto?

Ex antiquis, qui ad initium superioris sæculi, aut paulo ante vixerunt, præter Paludanum de quo infra, vnum tantum superest. Facultatis Theologicæ Parisiensis decretum, cui hactenus non sit responsum. Eo vero, ad suam sententiam confirmandam, nihil illustrius proferri posse ait aduersarius: at ego contra sentio, nihil illi capitalius aduersari: Rem iudicet æquus Lector, quæ ita se habet, teste Dionysio Carthusiano in 4. sent. dist. 25. q. 3. Quæsitum est à Theologis Parisiensibus, an mulieri studio salutis, & vitæ perfectioris, institutum religiosum ambienti, ingressus permitti posset, receptâ gratis pecuniâ ad victum necessariâ, in Monasterium, cuius præscriptus esset Monialium numerus, par suis reditibus, nec plures alere posset, nec subinde vllam recipere, nisi ferret secum ad victum necessaria.

Ad hanc quæstionem duo respondent sapientissimi Theologi: primum videri id licere, si fiat sine fraude, aut vllâ vi, nec eiicienda sit puella, nisi pecuniam numeret. Sed quod hodiè receptissimum est, vt nulla in Monasterium virgo admittatur, nisi collatâ dote, visum est quid habere simoniæ; quare ad fugiendam, aut semouendam, huius vitij suspicionem, tandem respondent tutius esse nullam recipi vltra numerum præscriptum: quia non

habet Monasterium quo illam alat, nec tutum putant eo nomine quidquam recipere. Poterant-ne viri timorati apertiùs damnare laxitatem opinionum, quàm correctâ & retractatâ priori opinione, quæ videbatur recedere à rigore, magis quàm ab æquitate legis? Faceret ad mentem aduersarij, decretum, si postremam responsionem primâ correxissent; at secus accidit. Ergo timebant sibi ab opinione minus tutâ, quamuis fortè magis probabili.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Dirimitur vtraque quæstionis pars testimoniis recentium Thomistarum.

DVo aut tria monuimus esse huius quæstionis capita. Obtendit primò aduersarius, concordes esse recentes Theologos, maximè Thomistas, antiquis, quoad liberum & licitum vsum opinionis minus tutæ, & probabilis pro commodo, omissâ tutiori, & probabiliori pro lege. Secundò contendit hunc delectum, vno consensu docuisse omnes, nullis metis coercitum, & primos Societatis Theologos, pluribus exceptionibus emendasse, nostra, aut superiorum temporum errata. At Thomistæ iisdemmet locis quibus referuntur, expressis verbis, scribunt sententiæ de minus tutâ, & probabili opinione sequendâ, principem & primum Authorem esse Bartholomæum Medinam; addunt se ab antiquis, qui illum præcessere, Theologis dissentire. Præterea iisdemmet locis quibus citantur, occuparunt omnes exceptiones Suaris qui dicitur primus vsum probabilitatum inter certos fines cohibuisse, immo plures addiderunt exceptiones: Ergo falsa est Thesis quoad singula capita, idque sigillatim demonstro.

Quoad primam partem, Aluares semel & iterum, primum inter Episcopos cap. 3. deinde inter recentes Thomistas cap. 5. citatus, disput. 80. in 1. 2. controuersiam de vsu probabilium in duas diuidit sententias, recentem vnam Authore Medina, antiquam alteram, duce Caietano. Ergo recentes Theologi & Thomistæ dissident ab antiquis, quoad licitum vsum minus tutæ, & probabilis opinionis.

Exactiùs Doctores antiquos, à modernis dissentientes enumerat Lopes 1. p. c. 120. num. 20. vt ex mendo præli habet quæstio: & Caietano negant periculo carere delectum minus tutæ, & probabilis contra legem, addit Sorum, Cordubam, Nauarrum: his adjungit Martines, Conradum & Canonistas omnes. Sed multo plures refert Ildephonsus: superioribus enim addit Adrianum, Syluestrum, Armillam, Tabienam, Rosellam (id est omnes Dominicanorum veteres Summas) Soto: extraneorum verò Canonistas ad vnum omnes, è Theologis Gabriel, Henricum, Almainum, Maior, Gomes, Corneio. Notat etiam pro laxiore opinione citari à Suare D. Thomam in 4. dist. 28. Paludanum dist. 36. Sotum lib. 3. de iustitia quæst. 6. articulo 3. quibus locis nihil prorsus habent in gratiam probabilitatum.

His omnibus testimoniis falsi conuincitur primum caput quæstionis facti, nempe antiquos Doctores consentire recentibus, quoad liberiorem vsum probabilitatum: cum isti expressis verbis asserant, se ab antiquâ & receptâ doctrinâ recedere, de tutioris delectu necessario ad salutem. Et sanè ad Scholæ nostræ bonum referebat, taceri magis, aut dissimulari hunc dissensum, quam ne dicam fingi, vel augeri in maius: & si potuissent conciliari discordes sententiæ, omninò id tentandum erat, ne viderentur antiquam & auitam Scholæ nostræ doctrinam immutare, & deserere.

Nec veriùs est secundum caput quod obtenditur, effrænem licentiam probabilium, ab antiquis & nostris Theologis inductam, variis exceptionibus à Suare primum, deinde ab aliis eiusdem instituti Scriptoribus correctam. Contra hanc quæstionis facti partem, alterum pronuntio, & demonstrandum suscipio, omnes, opinionis Medinæ, seu laxæ probabilitatis, à Suare castigationes præscriptas, fuisse à Banne Medinæ successore, eiusque primariæ Salmanticensi Cathedræ suffecto occupatas; pluresque alias additas à nostris Thomistis.

Bannes sua in 2. 2. Commentaria edidit anno 1584. id est, decem ante editionem tomi 5. Suares in 3. partem, & 14. annis ante Vasques Commentaria in 1. 2. prælo data. Bannes verò loco citato. Quæst. pagina 21. Commentarij in 1. 2. q. 1. art. 1. dubio 3. Medinæ sui decessoris laxiorem

de probabilitatis vsu sententiam correxit, constitutâ distinctione opinionum duplicis generis; earum scilicet, quæ versantur circa actiones exercendas, seu circa res ex solo præcepto necessarias: & earum, quæ de rebus ipsis agunt, vt v. g. an domus de qua lis est, propria sit, vel aliena: & hoc ordine opinionum continentur res necessariæ vt media ad salutem, vel quemlibet finem honestum consequendum. Opinionum prioris ordinis cum Medina delectum concedit arbitrarium, & permittit opinionem sequi minus probabilem, relictâ probabiliori: id vero negat de opinionibus secundi generis, ad quas referuntur opiniones, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem, ad iudicia publica, ad vim & efficaciam remediorum, quibus morbi curantur. Ergo ex hoc principio à Banne constituto deduxit Suares correctiones vagæ probabilitatis.

Bannem sequitur Nugnus citatus eadem paginâ: nec probatâ, aut improbatâ eius conclusione, quoad opinionum primi generis liberum delectum, eo gratis concesso, ait ab hâc regulâ generali, *esse quamdam famosam exceptionem in Sacramentis administrandis*, non licere sequi opinionem minus probabilem, sed adhærendum certæ & tutiori.

Vtrumque Thomistam quoad has exceptiones sequitur Ildephonsus citatus pag. 24 sed non bonâ fide: quia eius conclusio dimidiata refertur. Sic verò habet verbis omissis: *Quando verò opiniones versantur circa res vel circa factum, tum præferenda est opinio probabilior, si sequatur ex minus probabili aliquod incommodum, vel damnum, ex Charitate, vel Iustitiâ vitandum.* Immò addit: *Si damnum sequatur ex probabiliori opinione, sequenda est minus probabilis, eo quod tutior est, vt vitetur damnum.* Ergo hic Auctor negat licere sequi opinionem minus tutam, & probabilem, si immineat damnum ex charitate vitandum: at non caret periculo huius damni, opinio pro libertate minus tuta, & probabilis, quamdiu stat probabilior pro lege: quia verisimilius est legem eo delectu violari, quàm seruari illæsam: Ergo abstinendum est ex Ildephonso, ab opinione minus probabili pro libertate, cum habeat adjunctum probabilius periculum, & damnum prævaricationis legis, à charitate vitandum. His exceptionibus & correctionibus Me-

dinæ opinionis, nouam adhibet Aluares cautelam, non licere sequi opinionem pro libertate, si aduersâ pro lege sit notabiliter probabilior. Hanc exceptionem impugnat Corneio, sed defenditur ab Ildephonso.

Gregorius Martines omnium in speciem laxissimus, reipsâ aliis seuerior est: permittit quidem delectum opinionis minus speculatiuè probabilis, dummodò practicè probabilis fiat: sed adeò alienus est à regulâ nuperâ, cuilibet opinioni tutam probabilitatem conciliante, vnius Doctoris suffragio, aliis reclamantibus Theologis, vt contra contendat, non euadere practicè probabilem, etiam magno Doctorum numero, nisi accedat grauissima, ac penè conuincens ratio. Sic, inquit, opinio Theologorum Bethicæ Prouinciæ, æstimantium pretium frumenti lege publicâ taxatum, posse citra culpam prætergredi mercatores, non esse probabilem practicè, quia reclamant Theologi Castellani. Addit probabilitatem securam & practicam, de cambiis, non posse statui suffragio illorum, qui commodum ex cambio percipiunt: quæ regula funditus euertit securitatem nouarum opinionum, ex suorum Auctorum suffragio repetitam: quia nulli, vel certè pauci sunt huiusmodi opinionum cursores, qui ex huiusmodi inuentionibus non expetant gloriam, auidius quàm Trapesitæ lucrum ex suis cambiis.

Censet itaque non posse eligi opinionem quamlibet speculatiuè probabilem contra legem, nisi fiat practicè probabilis. Hâc distinctione nodum quæstionis ad viuum secat, & soluit; & antiquos Theologos cum modernis conciliat. Rem paucis explico, reuocatâ distinctione probabilis, supra explicatâ, latè & strictè sumpti: & huius iterum probabilis quoad assensum tantum (quod speculatiuè dicimus probabile) & probabilis quoad assensum & opus; id verò Martines vocat practicè probabile. Hæc duo postrema probabilium genera adeò diuersa sunt, vt interdum quod est in supremo probabilitatis speculatiuæ gradu, excludatur in totum à probabilitate practicâ. Nihil verosimilius hâc Caietani opinione, validam esse formam baptismi his verbis: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & ab vtroque Procedentis*: nihil eodem genere improbabilius, seu maius dubium, aquâ roseaceâ, aut ex sale expressâ in materiam Baptismi assumptâ, & tamen istius materiæ im-

probabilis speculatiuè, vsus practicè probabilis est, atque omninò adhibendus puero morituro, si desit aqua elementaris. Formæ verò Baptismi *in nomine Genitoris*, &c. speculatiuè probabilissimæ, improbabilis est vsus practicè, quamdiu occurrit memoriæ forma communis Baptismi in Ecclesiâ recepta.

Hâc sententiâ, seu distinctione Martinez sic explicatâ, nihil verius, nihil accommodatius sedandis Theologorum dissensionibus. Cum hoc Thomistâ concedimus, licere opinionem nullius, aut minimæ probabilitatis speculatiuæ eligere, & vsurpare, dummodo practicè probabilis sit; id est, stet pro lege, & subinde careat omni periculo peccati, hâc ad minus excusatione, quod necessaria sit ad maius euitandum malum. Quid enim est probabile practicè? Diximus alio loco, à probabili speculatiuè distingui, sicut voluntatem consequentem Dei ab antecedente, ex circumstantiis adiunctis, quas probabile speculatiuum excludit, attentis solum rei principiis. Probabile vero practicum pertinet & porrigitur ad quascunque, rei de quâ opinamur, accidentarias circunstantias. Mentem meam aperio, toties vsurpato venatoris exemplo, nouâ obseruatione locupletato, quam locus hic exigit, & quæ ad factum Lamechi Cainum incautè occidentis, accedit. Hactenus obseruauimus quidem, si probabiliter feram reputet, quam ferire possit iure, cum formidine tamen, & dubio paris, aut etiam minoris similitudinis veri, hominem esse; esto assensus prioris partis speculatiuè probabilior sit, practicè tamen omninò est improbabilis; quia nequit ad vsum licitè deduci, neque excusare venatorem, si feram sagittâ, aut glande plumbea impetat cum periculo homicidij. Si tamen ipse venator & graui, & probabili dubio, ne quod sibi apparet, vrsus sit, aut latro, qui in se insurgant, nisi illos occupet; ex graui metu assensus probabilis speculatiuè, accedit ad probabilitatem practicam, quâ licet sagittam ex arcu, aut glandem ex sclopo emittere, ascendæ mortis causâ; ad quod ius habet etiam cum periculo alieni damni. Ex quibus omnibus colligere est, veram mentem Martinez, aliorumque Thomistarum, cùm permittunt opinionis speculatiuè probabilis, & minus tutæ delectum, si practicè probabilis euadat, non solâ in ipsam probabilitatem parem, aut minorem, aduersæ opinionis

pro lege, reflexâ cogitatione (quod volunt recentiores & ridendum, aut potius summè timendum est,) sed adiunctó graui damno alieno, aut proprio, quod lex vetari velit, quale est, mortis impendentis venatori ab vrso, aut latrone, probabiliter se occisuris, nisi occupentur. His circunstantiis quibus lex aliqua ferè nunquam deest, totum pondus accedit probabilitati, vnde secura & tuta fieri possit, non à seipsâ, vt post Medinam primum huius inuenti Authorem, contendunt recentiores multi, & negant expressis verbis D. Thomas, ex antiquis D. Antoninus, Syluester, Caietanus, qui ex professo conttouersiam tractarunt; & negant ex 2. regula Syluestri, opinionem quamlibet probabilem pro libertate, omni legis præsidio destitutam posse inualescere, & tutam fieri contra aduersam opinionem lege munitam. Si verò neutra opinionum careat suâ lege pro quâ pugnet, ex eadem regula diximus conciliandas esse huiusmodi opiniones, vt interdum vna, aliquando altera obtineat. Paludanus, Viguerius, Victoria, qui pro laxioris opinionis securitate referuntur, rem tantùm attigerunt obiter: quare, sunt interpretandi ex regulâ Syluestri, tum licitum esse vtriusque opinionis vsum, cum neutri deest sua, lex quam implendam esse contendat.

Atque hoc sensu Paulus de Blanchis recens Thomista citatus pag. 14. docet licere Sacerdoti ordinario, seu delegato, depositâ propriâ opinione etiam probabiliori, pœnitentem absoluere, secutum diuersam minus probabilem; quod explicat exemplo rei conuicti publico iudicio criminis morte puniendi, cuius iudex priuatim scit falsò accusatum & omninò immunem: Scotus negat posse legitimè à Iudice ad mortem damnari; D. Thomas asserit debere: vtraque Sententia munita est suâ lege; Scoti quidem, ne insons occidatur, D. Thomæ vt publicæ & authenticæ probationis ratio habeatur, etiam cum detrimento priuato; & iam supra diximus confessarium D. Thomæ discipulum, non posse negare Iudici absolutionem, qui reum morte exemerit, nec illum pœniteat, ex sententiâ Scoti, quia vtraque opinio cum legi faueat, practicé probabilis est. Atque hoc vnum vult Paludanus citatus pag. 8. & ad illum sensum interpretor aliquot Theologos diuersorum Ordinum, qui absoluendum Confessario contendunt reum adhærentem opinioni à suâ diuersæ: id concedam, si

vtraque opinionum pœnitentis & confessarij, pro aliquâ lege pugnet.

At si dissensio opinionum sit, pro lege & pro libertate pugnantium, liberum delectum relinquimus ex D. Antonino, & Syluestro, si opinionum pugna eò deducta sit, quo solent promouere scrupulosi, vt opinio pro lege leuem ingerat tantùm dubitationem, ridendam potius, quam dissoluendam, nec maiori, aut pari, vel paulo minori probabilitate debilitet aduersam pro libertate; & si collatio fit, non mali alicuius, sed boni tantum, quale est matrimonij collati cum cœlibatu: scrupulosi enim sibi fingunt, id omne mali rationem habere, si maiori bono locus superfit.

Cæterum Thomistæ etiam recentiores, licet Bartholomæo Medinæ aliquantulum faueant; nunquam tamen eò delapsi sunt, vt expressis verbis docuerint, opinionem pro libertate paulò minoris, aut paris, cum aduersa pro lege probabilitatis, securam esse, seu practicè probabilem, quod præter citatos quatuor, aut quinque, expresſè docet Ludouicus Lopes, relatus pag. 20. Nam vbi sententiam Bartholomæi Medinæ explicuit, quæ id videtur merito solius probabilitatis vindicare, annotat Yuabes satis eruditè obseruare, licitum esse eligere opinionem probabilem ad actiones, seu contractus; secùs verò, cum in dubio versamur, de rebus ipsis; præcipuè si magni sint ponderis, & pertineant ad salutem; quales sunt sine dubio, ad illam necessariæ, ex solo præcepto: quia in his eligenda est probabilior. His omnibus recentioribus Thomistis, addo duos magni nominis, Ioannem Martinez de Prado, & Arauio, quos sibi aduersari Amadæus non diffitetur: ne alienus est ab iis restrictionibus Ioãnes à S. Thom. vt Mercorus explicat 3. p. art. 7. Cùm verò reliqui Thomistarum, qui citantur cap. 5. Thomas Mercado, Nazarius, Candidus, obiter tantùm hanc controuersiam delibarint, interpretandi sunt omninò iuxta mentem eorum qui fusiùs & accuratiùs de illâ scripserunt: vt nunquam practicè probabilis, seu tuta sit opinio pro libertate, quamdiu stat contra, æque, aut magis probabilis pro honesto.

Ad hunc communem sensum Scholæ nostræ trahere nititur Mercorus loco citato Bartholomæum Medinam: quamuis, vt verum fatear, videatur aliis Thomistis paulo

inde remotior; cum Ildephonsus, Lopez, & reliqui, quorum mentem explicuimus, principem faciant nuperæ huius opinionis, ab antiquâ seueriore omninò diuersæ. Quare videtur mihi Medina, maiori quadam fortunæ in Scholis, quam nominis similitudine, cum Molina conuenire; & quam iste in Theologiæ partem dogmaticam induxit, inuentâ à se, vt in Domino gloriatur, scientiâ mediâ futurorum, supercomprehensioni causarum secundarum innixâ, doctrinæ de scientiâ Dei, de Prædestinatione, de Gratiâ à SS. Augustino, Bernardo, & Thomâ, traditæ immutationem, eamdem inuexit in Theologiam Moralem Bartholomæus Medina, assertâ securitate salutis, & immunitate à peccato, opinionibus pro libertate etiam minori probabilitate pugnantibus, aduersus opiniones de rebus ad salutem, ex præcepto, aut necessitate medij adhibendis. Atque vti Molinæ, præter totam Societatem, innumeri ex aliis familiis adhæserunt; ita in Medinæ nuperum inuentum pedibus manibusque iuerunt multò plures & longè apertius ex aliis, quàm ex nostra Familia relati ab Authore cap. 6. Ex Augustianâ quatuor, Salonius, Aragonius, Ludouicus de Beja, Basilius Pontius. Ex Carmelitana tres, Corneio, Lezana, Vrbanus ab Ascensione. Ex Cisterciensi Lorca, Petrus à S. Iosepho, Malerus. Ex Benedictina, Sairus. Ex Franciscana, Angles, Pelbartus, Villalupensis, Ioannes Pontius, Hauzeur. Ex Capucina, Basseus à Cotiolano, Caspensis, Gesualdus. Ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis, Leander à S. Sacramento. Ex Hierosolymitanis, Garcias. Ex Clericis Minoribus, Auersa. Ex Theatinis, Diana, Pasqualigus, Marcus Vidal, Lanfrancus. Ex Barnabitis, Botius, Homobonus. Ex Sommachis, Spinula. Ex Oratorio, Merula, Guazzinus, & Ianuarius.

Non dubito, quin Medina, si superstes esset, miraretur se tantâ discipulorum, & assectarum turmâ, nihilo Molinæ inferiorem; nec minus stuperet, se extraneis magis acceptum, quàm suis, qui nonnisi multis castigationibus emendato adhæserunt, vt iam pluribus testimoniis comprobatum est: atque hinc existit nouæ causa admirationis, quam non dubito, prudens Lector, tuum animum subituram; quid sit, quod cum hæc de tutæ opinionis pro lege & salute delectu, regula comperta sit SS. Patrum,

maximè Augustini, & Bernardi, nec non etiam Scoti mens; hanc Scriptores ex Dominicanis plures, & longè acrius inuestigarint, & propugnent, quam ex ipsismet Familiis, quæ Augustinum & Bernardum parentes agnoscunt, & Scotum Magistrum elegerunt, vnde etiam illis nomen adhæret. Hæc obseruatio latiùs patet quàm de probabilitatis securitate disputatio, & ad plures alias de Prædestinatione & de Gratiâ pertinet; sed in promptu causa est, quod D. Thomas, in cuius verba iuramus, SS. Patrum, maximè Augustini, & Bernardi, mentem, sensum, ac spiritum, (vt ipse morti proximus loquebatur,) optarit, & assecutus sit, & tutam vbique, tum ad fidem, tum ad mores, sectatus sit doctrinam; falso gloriaremur eius discipulorum nomine, nisi vbique in SS. Patres, quos coluit vt Magistros, reuerentiam præferremus; nisi mordicus illorum sententiis adhæreremus, n si doctrinam vbique sanam, & moribus Christianis conuenientissimam, sectaremur. Videor enim Angelicum Doct rem nos verbis Christi compellanrem audire; *in hoc co noscent omnes vos meos esse discipulos*, si Sanctissimis Patribus Augustino, & Bernardo auscultetis, si eorum sensus accuratiùs r memini, si vbique *meliora & viciniora saluti* sequamini; aliosque doceatis. Hæc ad minus bona reportamus à studio, & proposito sectandi D. Thomam, quod Theophilus alibi *seruile, & pecuinum genus obsequij* vocare non dubitauit.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Respondetur generatim toti Opusculo.

THomam Morum celeberrimum Angliæ Cancellarium, & Martyrem, ferunt audito sub specie peregrini Erasmo exclamasse, qui se alloqueretur, Erasmum esse, aut diabolum. Non dissimili coniecturâ priore editione vsus, istud Opusculum retuli in Theophilum Raynaudum; quasi non ab alio proficisci potuisset, quàm ab illo librorum maximo helluone, & Lugduni scribente, in Bibliothecâ Societatis instructissimâ, & in maximo totius Europæ Emporio: vnde licuit ex toto orbe Bibliopolarum operâ comparare libros huic farragini conficiendæ.

Sed plane deceptus sum: nec satis attendi, nullibi gentium ex eodem instituto deesse viros, qui cum Raynaudo paria faciant, seu lectione, seu scriptione librorum: nec deesse Bibliothecas locupletissimas, quæ Lugdunensem prouocent, & vincant; & cum ab eâ suspicione facilè deduci potuissem diuersitate styli, quod Theophilus Bannem, Candidum, & alios Dominicanos, non nisi per conuitium Fratres & Fraterculos soleat vocare, hic perhonorificâ appellatione Doctissimos, Reuerendissimos compellet; sed suspicabar, variatâ in speciem personâ, eandem ludi fabulam: & ante apertis conuitiis laceratos, pessimo calumniarum genere, cum laudum fuco proscindi Dominicanos; sed gaudeo me deceptum, & errorem cum aliquâ etiam gloriatione eiuro. Cæterùm vt ad rem veniamus, accurata Responsio ad singula loca, difficilior est, quàm vt tentari queat: & esset sine dubio Amadæo timenda, si à nobis sperari posset; sed in tuto se positum putat, & extra tel jactum, quod vix centesimam partē ad manum habeamus librorum, quibus abutitur ad suam causam: quamuis expedita sit ad omnia solutio, ex antiquis Theologis ante Medinam & Sanches, nullum referri qui ad rem faciat, & permittat arbitrarium, & vagum probabilitatis cuiusque vsum: recentiorum è nostris obscuri nominis, vel ambigui sensus, ferè omnes esse, nec extraneorum vnam esse mentem, sed inter se digladiari: & quamuis re conuenirent, cum de iure naturali & diuino agitur; antiquos Patres, & Theologos, qui tutiorem partem in dubiis ex præcepto sequi iubent, anteponendos esse recentioribus, qui id consilij esse volunt.

Opusculum confecit Amadæus quindecim Tractatibus, & viginti quinque supra centum propositionibus de rebus totius Religionis grauissimis, de Peccatis, de Charitate, de Eucharistia, &c. quæ omnes stent pro libertate, interdùm pro libidine, contra legem; & adeò compertæ nouitatis, ne quid aliud dicam, vt nullum antiquorum Patrum qui assentiatur, vllo opusculi loco citatum legerim. Quid hoc rei est? Ignorarunt-ne ista Sancti Patres, aut tacuerunt? & si de his aliquando illis sermo fuit, adeò ne contempti sunt & deiecti, vt nullam illorum rationem habuerit Amadæus, & in recentioribus citandis sedulum, piguerit aliquando veteres retulisse.

Quamuis aliæ deessent causæ damnationis huius opusculi, tanto SS. Patrum quem præfert contemptu, longè grauiorem eâ quâ transfixum est, censuram cõmerebatur, hoc tantum nomine, quod propositiones centum viginti quinque à se collectas auctor, nequiuerit, aut neglexerit, alicuius SS. Patrum suffragio munire. Dices fortè nihil de his scriptum ante Scholasticorum sæculum, sed noua esse illorum inuenta, quibus doctiores & ditiores euasimus: verius dixisses audaciores. Non dubito illis multa omninò intacta; quod pro obscœnitate verborum, saluo aurium honore, nequeunt efferri. Quid si D. Hieronymus pudendas, & putentissimas quæstiones relatas læsâ verecundiâ, & reuerentiâ publicâ, legeret? Nonne idem in illas, quod olim in Sabinianum scriberet? *Habeto lucrum sceleris: non possum tibi ingerere quod scripsisti. Proh nefas! non possum vltra progredi; Prorumpunt lachrymæ, antequam verba, & indignatione pariter & dolore, in ipso meatu faucium; spiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tulliana? Vbi torrens fluuius Demosthenis? Nunc profectò muti, & vestra lingua torpesceret. Inuenta est res, quam nulla eloquentia explicare queat. Repertum est facinus, quod nec minus fingere, nec scurra ludere, nec Atellanus possit effari.*

Nonnullos audiui testantes, selecto quæstionum Syllabo, præ scelerum quæ excusantur, aut eleuantur, atrocitate, cohorruisse. Ecquis neget eos, qui flagitia extenuando suadent more serpentis, qui probabilitatum lenociniis Euam seduxit, grauius peccare, & periculosius agere, magisque timendos, quàm qui in aperta scelera impellunt? Has malas artes non satis cauet Amadæus, dum libidinum & flagitiorum genus omne, quæ eleuant, refert argumenta, ne ab iis ipsorum immanitate deterreamur. Si ita nedum impunè, sed etiam cum spe laudis & præmii, liceat moralem Theologiam scribere, & colligere nullo adhibito remedio, cauendum magis erit à Casuistarum, quàm à lasciuissimorum Scriptorum, quàm à Catulli, Petronij, & Aretini lectione: Nam longè modestius, minusque licenter, quàm Scriptores, quorum testimoniis collectas opiniones munit.

Sed ne magis videar conjecturis, Rhetorum more, quàm argumentis, & Dialecticæ legibus agere; summam

totius libri, & nostrarum Responsionum, ad finem huius articuli, sequentibus explicandam subiungo Quidquid virium & veneni habent ista collectanea, hoc vno syllogismo continetur. Opinio quæcumque pro libertate stans, authoritate alicuius Doctoris, vel ratione verisimili facta probabilis, hoc solo nomine tuta est, etiam si repugnet aduersa opinio probabilior pro lege. Atqui propositiones 126. ex libris Theologorum excerptæ & traductæ, quasi errorum & flagitiorum semina, habent vtrumque, vel alterum probabilitatis gradum, ab authoritate Theologorum, maximè ex Dominicanis, & interdum D. Thomæ, vel ab argumentis verisimilibus: Ergo immeritò damnantur quasi periculosæ. Ergo tutissimæ sunt, & paris ad salutẽ securitatis, cum opinionibus pro lege stantibus.

Hoc vnum est quod obtendere videtur Amadæus. Decurrat Lector, totum opusculum, expendat quæ ad singulas propositiones honestandas congeruntur, agnoscet hoc vnum esse argumentum: non desunt Authores moderni, qui has propositiones defendant, nec rationibus verisimilibus destituuntur: Ergo probabiles sunt & tutæ, quæmuis pro libertate pugnent, perinde ac si pro lege starent.

Nostrarum Responsionum hæc summa est: falsissimam esse argumenti primam propositionem, & secundæ eam partem, qua dicuntur huiusmodi propositiones muniri principiis & testimoniis D. Thomæ; ac proinde nullam esse consequentiam, & periculosissimum quod infertur assertum. Si post superiores disputationes aliqua superesset dubitandi causa, illam omninò tolleret Amadæi opusculum. Quis enim non sibi timeat, non abhorreat, ab ea cuiuscumque probabilitatis securitate, ex quâ tot scelerum immanitates eleuãtur, tot turpitudines honestentur? Confectâ iam præcipuâ controuersiæ parte, de probabilium securo vsu generatim, non est quod admodum curemus; an quas defendit Amadæus assertiones, alicuius Doctoris suffragio, vel ratione verisimili muniantur, cum diuersissimæ sint probabilitas & securitas opinionum, atque ex diuersis capitibus repetantur: sed cum D. Thomam passim, eiusque discipulos, obtorto collo trahat ad suæ sententiæ consortium, explorabimus quâ fide id molitus sit.

Articulus Quintus.

Animaduersiones in Tractatum de peccatis.

POteram à longiori testimoniorum D. Thomæ examini supersedere, cum demonstratum sit vltimâ parte superioris disputationis, Patrum, aut Doctorum neminem, magis Sanctissimo Præceptore, abhorruisse à licentiâ opinionum probabilium contra legem : quandoquidem nullam illarum reipsâ falsam, dissidentibus inter se Doctoribus, patitur in peccati excusationem trahi, quâcumque probabilitate, aut ignorantiâ. Quid hoc dogmate inconcusso D. Thomæ, capitalius aduersatur consiliis & principiis Amadæi ? His adde; ex innumeris & ingentibus D. Thomæ scriptis, nullam excerpi potuisse, à P. Ferrerio diligentissimo Scriptore, assertionem Moralem probatam à D. Thoma pro libertate, quamdiu aduersa pro lege stabit probabilis opinio. Quis ergo credat Amadæo, ingentem messem ex D. Thomâ, huiusmodi opinionum pollicenti?

Paragraphus Primus.

Expenduntur testimonia ex D. Thoma relata, tribus prioribus Propositionibus.

IOannes Sanctius omnium nostri sæculi Scriptorum laxissimus, multa edidit Christianæ pietati incommoda; idque inter cætera, quod primum apponit Amadæus, nihil peccare eos qui à diuinis inspirationibus dissentiunt; & perperam se huius repulsæ (quam *carentiam correspondentiæ* vocat, qui passim elegans videri vult Amadæus) dum confitentur apud Sacerdotem, se quasi alicuius culpæ accusare nonnullos. In hunc Theologum, Salazar ex Societate Scriptor non ignobilis, zelo Religionis accensus insurrexit, & communem sensum, ac morem Christianorum, se accusandi de inspirationũ diuinarum neglectu, piè & eruditè defendit. Vellem ad manum habere huius Authoris scripta, in Amadæum Sanctio, quam Salazaro similiorem vtilissima, de repulsâ inspirationum.

Paucis respondeo verissimum esse quod affert ex D. Thoma in 2. Sentent. dist. 39. quæst. 3. art. 3. ad 6. *Cum conscientia dictat alicui, quod bonum est facere aliquod opus consilij; si non facit, non peccat, quia non apprehendit illud vt bonum debitum, & præcepto subiacens.* Hoc tamen non prohibet, quin simus rei ob repulsas diuinas inspirationes, non solum ex contemptu, quod admittit Amadæus, sed etiam ex negligentiâ profectus nostri. Hæc enim duo sunt vitæ Christianæ fundamenta, in viâ Dei retrocedendum & cadendum, nisi progredi nitaris; nec posse seruati mandata, nisi interdum aliquid boni à te exigas, quod sit consilij, non præcepti, neque ab illicitis cessari, nisi aliquando à licitis abstineas. Quare licet non damnem peccati, dissensum ab inspiratione aliquâ singulari, quæ ad altiorem perfectionis gradum vocet; non tamen excusarem à culpâ, si quis apud se statueret, nullum dare locum cogitationibus, quæ suggererent bonum à Deo commendatum, non præceptum. Nam præter quod huius propositi Author & tenax vix potest excusari à contemptu diuinatum inspirationum; est supra vires naturæ corruptæ, etiam gratia sanatæ, res ad viuum ita secare, vt ab illicitis & inconcessis voluptatibus sibi temperet, qui semper permissis indulserit, & à lethalibus peccatis se cohibeat, qui venialia, aliosque defectus nihil curarit. Nemo Christianæ pietatis non omnino expers, & sanæ mentis, ab omni culpâ absoluet eum, qui ex Amadæi regulis ita comparatus sit, vt nullam inspirationem admittat, nisi rei ex præcepto ad salutem necessariæ; reliquas quæ Dei nomini consulunt bona, abiiciat.

De his præstaret Rodigues ex Societate Scriptoris legere cap. 6. primi Tractatus, quo multa congerit ex Augustino, Bernardo, aliisque SS. Patribus, vt probet dictum Sapientis: *eum qui minima negligit, paulatim defluere:* & Augustini Epist. 143. *nos tamdiu non relabi retrò, quamdiu ad priora contendimus, & descendere, vt cœperimus stare: nostrumque non progredi reuerti esse: & si velimus non redire, currendum esse.* Nescio quâ ratione ex his SS. Patribus, excusabit ab omni culpâ Amadæus suam *carentiam correspondentiæ* ad diuinas inspirationes, quâcumque ratione contingat; siue per puram omissionem, siue per actum positiuum. Sed quidquid sit de his scholæ minutiis, hic fidem

fidem in Amadæo desidero. Author à me laudatus eodem capite refert D. Thomam 2. 2. quæst. 184. art. 5. ad 2. hoc de statu religiosorum decernere; eos mendacij & dissimulationis reos esse, si suscepto statu perfectionis, non comparatæ, sed quærendæ, ab illius intentione & studio animum reuocent, contenti eo gradu virtutis quem consecuti fuerint, omnis progressus curâ abiectâ. Hoc peccati damnat D. Thomas; quod non fuerat tacendum Amadæo, nisi sentiret excusari ab omni culpâ inspirationum repulsam: nec satis attendit eo scripto fastidium rerum spiritualium, torporem ad salutem & profectum induci, horum malorum inuidiam in Dominicanos deriuari, à quibus longissimè absunt D. Thomæ vestigia secuti.

Paragraphvs Secvndvs.

De ebrietate, & metu mortis.

HÆc leuior est culpa Collectoris, præ corruptelis, quibus secundæ & tertiæ propositionis suffragium ambitur. S. Doctoris, eiusque discipulorum hæc vbique sententia est, potissimum 1. 2. quæst. 100. art. 8. bonum hominis honesto contineri, quod illi conueniat ex Cicerone, quâ cæteris præstat animantibus. Nam vt egregiè Ecclesiasticus c. 13. *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat.* Ipsâ hominis institutione, quâ corpus & appetitum rationi Deus subiecit, honestum vbique quærendum est, id est, bonum virtutis consentaneum homini, quâ ex ratione viuit, eâ necessitate sectandum præscripsit, vt ne dicam ipsi homini, aut vlli creaturarum concesserit, sed nec sibi etiam seruauerit facultatem, boni rationis lædendi, & relaxandi; & eâ lege à naturâ hominis repetitâ sancita sunt omnia ferè vitæ humanæ officia, quibus prohibemur, ne facultate loquendi præ cæteris animantibus collata ad nostros sensus, iis qui nos audiunt & interrogant sincerè aperiendos, ad mendacia abutamur. Hinc etiam brutis præstamus, vt communem cum illis comedendi, aut generandi appetitum, intra metas à ratione constitutas cohibeamus, & cibum potumque ad vitæ incolumitatem seruandam, non ad voluptatem adhibeamus. Longè maiori opus est vi, ad frænandum generationis

appetitum, ne voluptatem captet, nec liberis det operam, nisi certâ lege, quam nefas sit vllâ quacumque causâ violare. Hinc fit omnium Scriptorum consensu, damnandam quamcumque voluptatem lethalis peccati, quæ ab iis metis recesserit: neque vllâ authoritate posse honestari fornicationem, id est, cum non suâ, seu solutâ copulam, sicut nec adulterium cum aliena coniuge, multoque minus immunditiam, mollitiem, aliasque id genus præposteras libidines, quibus facultas generandi à suo fine longissimè abducitur.

Eodem loco reponit S. Doctor, & ad easdem regulas exigit, cibi ac potus vsum: hoc solum discrimen intercedit, quod cibus priuatum cuiusque, generatio commune speciei bonum spectet: atque hinc non minus damnanda est comessatio, & ebrietas, quàm scortatio, & immunditia. Ebrietatis vitium ex duplici capite D. Thomas asciscit 2. 2. quæst. 150. art. 2. quod ab honesto, id est, à bono rationis aberret immoderata, & nimia compotatio, quâ ab hominis sorte abimus in bestialem, aliisque peccatis fimus obnoxii: & hoc est alterum caput, vnde repetitur ebrietatis damnatio & noxa. Sed vt ad primum redeamus.

Illud elegantissimè explicat S. Doctor Art. citati responsione ad 3. Cum cibum & potum sumi oporteat, vt conuenit incolumitati corporis; inde fit, inquit S. Doctor, vt potus sano superfluus, infirmo sit moderatus, atque excusari, & honestari possit potus ebrietati proximus & sanitati recuperandæ ex præscripto medici necessarius. Neque enim recedit à lege temperantiæ, quæ potui moderatur, vt confert ad valetudinem. Sed an sit ad hoc necessaria largior potatio, Medicorum est, non Theologorum id decernere; & vbi constitutum fuerit, nihil mali & culpæ subest copiosiori vino, quod sano superfluum, ægro tamen valetudini reparandæ opportunum, moderatum est.

Hoc S. Doctor omnesque eius discipuli, de officiis vitæ humanæ & Christianæ statuunt; quibus ex eorum, omniumque Philosophorum sententia, aliud addendum: tanti apud illos esse, quod vocamus *honestum*, *seu bonum homini, quâ homo est, consentaneum*, vt anteponi præcipiant cuicumque bono illi aduerso; neque deseri sinant, aut lædi, vllo infamiæ, aut mortis metu. Hinc docent,

vitam non esse redimendam, vel leuissimo mendacio, multo minus copulâ cum solutâ, aut alienâ: neque etiam ebrietate, quamuis contendat Amadæus post Lessium, non minus licitam & innoxiam esse ebrietatem, vt mortem fugias à tyranno intentatam, quam vt ex præcepto Medici cureris. Contra Caietanus negat idem vtrobique iuris esse: discrimen est: ebrietatem præceptam à Medico, temperatam esse, & sobriam, neque a fine, natura, & lege constituto recedere; imo ad illum conferre, & omninò necessariam esse: à tyranno autem imperatam, esse exertationem à suo fine, & à rectâ ratione: vnde virium, minæ nec tollunt, nec minuunt, aut excusant, nisi velis impunè & innoxiè fieri quodcumque præcipitur, impendente mortis periculo. Hæc est mens Caietani.

Ebrietatis eadem prorsus est, quæ furti, homicidij, & fornicationis ratio; quamdiu actio quæ illi subest, à fine & ratione recedit, nullâ authoritate, nullis minis, excusari potest: non certè magis, quàm voluntaria emissio seminis, quàm cum alienâ illegitima copula, quàm res aliena inuito domino sublata, quàm homicidium insontis; & illi planè Theologi decipiuntur, qui horum quæ enumerauimus, præceptorum vim abrogaram censent, cum iussu Dei, vel sententiâ Iudicum, & iusto bello, fit cædes hominum, cum permissi sunt Hebræi bona Ægyptiorum secum deferre, & Oseas missus est ad mulierem fornicariam. Nihil huiusmodi præceptorum æquitati detractum; sed materia illis omninò subducta est. Neque enim cum Decalogo vetatur homo occidi, alienum rapi, aliena mulier appeti, & contrectari, largius vinum potari, in totum hæc actionum genera prohibentur; sed vt certis continentur metis, à quibus si semoueantur, nihil spectant ad præceptum: atque ita Decalogo cautum est, ne occidas insontem, vel eum in quem nullum ius vitæ & mortis, à Deo, vel authoritate publicâ acceperis, vel ex iustâ defensione tibi comparatum sit. Eadem est interpretatio furti, cum fœminâ copulæ, aut nimiæ potationis, vim semper habere peccati, quam nec Deus tollat, nisi materiam præcepto subjectam mutet; vt aliena & soluta, fiat coniux, aut si ad te pertineat aliquo titulo, quod erat alterius domini; & vinum copiosius saluti & vsui rationis noxium, ad valetudinem restituendam commodum sit & necessarium.

Hinc conuelluntur, quæ habet Amadæus propositione secundâ, perinde ebrietatem honestari minis tyranni intentantis mortem, nisi vino te ingurgitaueris, ac Medici ita præscribentis sanitatis causâ. Nullum, inquit, ex Lessio ebrietatis discrimen intercedit: par est vtrobique necessitas moriendi. Sed esto, inquit Caietanus, longè tamen alia est ex morbo, alia ex tyranni furore. Illa materiam præcepti mutat, & potationem sano immodicam, & noxiam, facit ægro moderatam, salubrem, & medicam: atque inde lex naturalis, remedium creat ægritudini curandæ. Quid verò ad hoc tyranni rabies? ebrietatem, inquis, inducit arcendæ morti necessariam. Sed multum refert, an id habeat ex innatâ virtute, an ex tyranni malitiâ. Illud ebrietatem putat Caietanus honestare: istud verò non magis quàm mendacium, quàm homicidium, quàm furtum, quàm fornicationem.

Huius grauissimæ controuersiæ triplex omnino gradus est. Primus, negantium licitum esse vllâ ratione copiosiorem vini potum, siue indictâ extrinsecus necessitate minis tyranni, siue intrinsecus à sanitate recuperandâ, cui potus seruit. Altero gradu extremo Amadæus contendit, honestari potum ad ebrietatem vsque, ex vtroque capite. Media est sententia Caietani explicata, à quâ recedit Aluarez, & primæ adhæret: atque ita interpretatur D. Thomam, nosque cum illo, reuerentiæ & obseruantiæ gratiâ in quosdam Theologos, quibus magis placuit, ex Aluare, quàm ex Caietano interpretatio.

Quod ebrietati indulget Amadæus, hoc de furto, homicidio vltro concedit; ea regula quam ait traditam à D. Thoma quodlib. 5. art. 17. & quodlib. 11. art. 27. vnde Tractatu de iustitiâ & iure infert, propositione 8. Christianos captiuos sub Turcarum dominio militantes, posse cum ad nos accedunt, *Christianorum domos perfringere, deuastare, & bona subripere, ad euitandam mortem, eis non exequentibus, imminentem.*

Quid verò iis locis docet S. Thomas, vnde adeò atrox in Rempublicam Christianam infertur cum Palao consectarium? Quodlibeto 5. quærit, vtrum pecunia mutuo accepta, sui redimendi causâ è latronum manibus, restituenda sit creditori.

Respondet, quamuis ad extremam necessitatem re-

dactis, omnia sint communia, nec maior impendere possit, eâ quâ premuntur, qui à latronibus captiui tenentur; non tamen ex illâ liberatum eximi à pecuniâ soluendâ: quin potius eo arctius ad id astringit, quo illi subuentum est grauiori periculo laboranti. Quare in extremâ necessitate constitutis, omnia sunt communia ad subleuandam indigentiam, si nihil habeant suum, quo sibi subueniant: si verò suppetat aliquid proprij, debent suis bonis vti, & ab alienis abstinere: nam ridiculus esset, inquit S. Doctor, si quis famem extremam patiens, nollet contingere panem sibi in arca repositum, causatus alienum ad se pertinere ex lege extremæ necessitatis, quâ omnia fiunt communia: ita est, si nec ex propriis, nec ex mutuò acceptis amicorum bonis, nequeas te à periculo liberare: at si te redemeris pecuniâ mutuo acceptâ, restituenda est creditori, qui numerauit, & officio charitatis, & iustitiæ satisfecit, pecuniâ mutuo, non gratis datâ. Extremæ indigentiæ, & impedimenti mortis periculo, hoc vnum concedit D. Thomas, vt ex alienis bonis cum tua desunt, panem ad fugiendam mortem sumas, non pecuniam ad delicias, & opulentiam.

A Palao tibi permittit externis bonis proximi vti, prout est necessarium, ad vitandam extremam necessitatem; sed illa vastare, capere, & asportare, tradereque minanti mortem, est tibi necessarium ad illam vitandam: Ergo id facere potes, neque dominus illarum debet esse inuitus, sed potius debet ex charitate consentire. Quæ consecutiones? D. Thomas extremam famem, paremque egestatem patienti permittit buccellam panis alieni, ad sustentandam vitam comedere: Ergo mihi licet eo necessitatis articulo, Christianam Religionem euertere? Quodnam monstri hoc genus est? At inquis, si nec per me, nec per amicos possum à mortis periculo extrinsecus impendente me liberare, tum fient omnia communia ex D. Thoma. Quid hoc est, omnia communia? id est, licebit terram cœlo miscere, Ecclesiam perditum ire, nulli rei sacræ parcere, si ita necesse sit, vt euadam saluus & incolumis? Cum hæc portenta attendo, appositis quibusdam D. Thomæ verbis confirmata, videor mihi legere historiam Euangelicam, Homeri & Virgilij centonibus contextam: Neque enim minus aliena sunt à D. Thomæ verbis, quæ illi

effinguntur paradoxa, quam à sensu Poëtarum Gentilium, veritates Euangelicæ, & nunquam audita Christi miracula. Quamuis Amadæus scribat, D. Thomam mirâ sui ingenij perspicuitate, nihil intactum relinquere, & pro sententiâ Palai apertissimè stare videri: at contra contendo capitaliter aduersari, nec posse trahi ad interpretationem Palai de bonis ex necessitate communibus, citra perniciem Religionis, & ruinam principiorum doctrinæ Angelicæ.

Extrema necessitas ex mente D. Thomæ, omniumque Sapientum, dat ius in bona externa proximi, & semouet metas, quibus iure gentium diuisa sunt bona, prius iure naturæ communia. Sed quis dicat ius conferre in vitam insontium, in Rempublicam, in Ecclesiam, & omnia vitæ humanæ ac Christianæ officia conuellere? Hoc enim vno consectario, Amadæus & Palao euerterent regulam Apostoli, *non esse facienda mala, vt eueniant bona*, ad proprium commodum: de medio tollerent virtutum Cardinalium fortitudinem nobilissimam: omnia officia subditi in Principem, ciuis in patriam, Christiani in Ecclesiam, & ordinem charitatis prorsus labefactarent. Hæc omnia consequi mala, ex relatâ interpretatione bonorum ab extremâ necessitate communium, euidentius est, quàm vt pluribus demonstrem. Quis enim neget, nihil iniquius, quàm ad bellum iniustum militare, & insontes occidere, &c. Quem verò Christianorum latet, nequissimum esse bellum à Turcis Ecclesiæ illatum? Et hoc, si Superis placet, licebit captiuo Christiano prosequi, vsque ad internecionem omnium Christianorum, & Euangelij excidium. Deinde certum est fortitudinis partem præcipuam esse, causam iustam defendere, cum mortis contemptu: & ex illâ ciui, Reipublicæ, Christiano, Ecclesiæ bonum commune tutandum, cum vitæ dispendio. At Palao ab his certissimis regulis & officiis, eximit eum, qui sibi mortem timet; eiusque fugiendæ causâ, permittit quæcumque illud consectarium habet. Quidni plura? Quidni Regem prodere? Quidni patriam funditus euertere? Ne dicam stationem deserere: pro quibus omnibus officiis mors millies esset oppetenda: Et quod deterius est, magisque apud me execrandum, D. Thomam pro his impietatibus stare apertissimè, asseritur. Quamuis multa in opusculo Ama-

dæi pij omnes damnent, illud sanè non postremum est, quod vnum hac appendice prosequor, D. Thomam per summam iniuriam in tot scelerum & turpitudinum patrocinium ascisci.

Paragraphvs Tertivs.

De aliena mortis desiderio, tertia Propositio, ex Tractatu, 10. de Charitate, & 7. ex Tractatu de Iustitiâ.

Sed vix potuit peius quidquam moliri Amadæus, interpolatione & corruptelâ quæstionis 76. ex 2. 2. & 3. sent. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 4 Ex his duobus locis tentat deducere, licitum esse desiderare alteri mortem, de illâ gaudere, *non quatenus illi mala, sed quatenus tibi bona, vt ei in bonis succedas.* Atque vt malam fidem, manibus contrectandam subiiciam: attende, Lector, quid D. Thomas his locis statuat: Priore de maledicto disserit, & sumpto disputationis exordio, ab etymologia nominis, ait maledicendi peccatum bifariam admitti, efferendo nempe, aut imprecando malum. Primum enunciatione fit, cum vitium, quo quis caret, illi affingis, aut occultum quo laborat, euulgas: & hoc ad detractionis peccatum pertinet. Atque hoc primo diuisionis membro seposito, ad aliam quæstionem, alterum in duo genera partitur, in imprecationem ex imperio, cum malum iubes inferri; vel ex voto, cum optas morbum vel mortem: idque rursus bifariàm, si ex odio inimici, malum illi impreceris; vel si ad bonum commune, aut aliud maius referas; ex regulis iustitiæ, & charitate in illum cui videris imprecati.

His ita explicatis, duas conclusiones statuit S. Doctor, primam, maledictum ab odio hominis profectum, nunquam peccato carere: alteram, maledictum legitimum esse, ex affectu boni iusti: vt cum Iudex reum damnat, ad quas commeruit pœnas; cum Ecclesia filios rebelles anathemate ferit; & cum Prophetæ zelo diuinæ gloriæ, impios diris deuouent: vel ex malo vtili, puta, inquit S. Doctor: *Cum aliquis optat peccatorem pati ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vt melior efficiatur*

vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset.

Vides quas leges maledicto præscribat S. Doctor, vt innoxium suo Authori fiat; quas perfecti odij, id est, Christianæ charitatis sanctissimam regulam dixeris. Quid verò illa D. Thomæ sententia, commune habet cum deterrimis desideriis, quibus habenæ laxantur mortis insontium, vt inde commoda nostrâ capiemus, aliorumque adeamus hæreditatem; id est, vt ex illorum miseriâ ditemur, & beati simus? Sed mirare artes Amadæi: ex illo copiosissimo Articulo hæc tantum verba excerpit: *Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius, sub ratione boni, sic licitum erit.* Quare dissimulat verborum contextum & sensum? Ad quem amabo, refert D. Thomas illud bonum vtile, cuius causâ licere ait maledictum? Nonne ad illum cui imprecatur, vt melior efficiatur, vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset? Sed ex Amadæo longior patrum vita, nocumentum est filiis, ne ad hæreditatem fruendam festinent. Absit vt aliud malum velim huic Scriptori, quàm ne fides illi habeatur vlla, & ne apud Deum det pœnas tot falsationum.

Nec ex 3. sententiarum minus aperta est, aut magis ferenda corruptela responsionis ad quartum, cuius hæc summa est & medulla, quæ plus habet pietatis & eruditionis, quàm integri nonnullorum libri. Bonorum quæ prosequitur charitas, quædam æterna sunt, & sui causâ amantur; alia sunt temporalia & caduca, quæ non sui, sed æternorum gratiâ quæruntur: & hoc maximè ab æternis differunt, quod inter se pugnent; quia prosperitas vnius, alterius inducit aduersitatem: vnde quia Charitas ordinem habet, & plus debet quisque se, quàm alium; propinquos quàm extraneos; amicos, quàm inimicos, & bonum commune multorum, quàm bonum priuatum vnius diligere; potest quis saluâ charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere si contingat; non quâ est malum illius, sed quâ est impedimentum bonorum alterius, quem tenetur plus diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ. Cur postrema verba subticuit Amadæus?

Sed quid inde commodi habet, vt licita fiant nequissima desideria alienæ mortis, ad lautiùs viuendum? D. Thomas statuit, tum licere malum optare, cum impedimento est alterius bono, quod magis diligendum sit ex Charitate,

Sed quid ista, ad corruptissimam cupiditatem, quæ bonis aliorum inhiat ex illorum morte captandis? An ex charitate, nostrum tenemur bonum temporale magis diligere, quàm proximi? An non potius charitas huiusmodi bonorum prodiga in alios spargit, & hoc ab auaritiâ differt? Sed non aliud nosse, aut tutari genus charitatis videntur, Scriptores aliquot quàm cupiditatem, quæ ex alienâ morte, & miseria lucrum captet, ad æternam damnationem, à quâ Sanctissimus Doctor abhorret, aliosque deterret.

Nec aliud sentiunt, nec sentire possunt Thomistæ quos refert: & id habet expressè Zanardus, cum ait licere puellæ viro solicitanti, velle infirmitatem ne se amplius vexet. Serra multas ex Dianæ corruptelas affert, nec probat; sed ait, damnari peccati mortalis à Nauarro desideria propriæ vel alienæ mortis; dedecus, paupertatem, aut quodlibet aliud infortunium declinandi causâ. Sed cur Amadæus Lectorem remittit ad S. Vincentium sermone in S. Ioannis festum? Absit verò vt summus concionator Apostolicus, huiusmodi desideria, ex D. Thomæ regulis execranda probet. Soti etiam verba refert, quibus probat licere Turcæ mortem & clades omnes imprecari, vt ab eius tyrannide liberemur, quamuis fortè non probentur verba Soti. Quid verò ista, ad filiorum vota de morte paternâ, quæ Amadæus honestat, ex commodo paternæ hæreditatis, vt possint genio indulgere?

SECTIO SECVNDA.

De speciebus Temperantiæ.

QVAMVIS adhuc in limine hæreamus nostræ disputationis, & ex 126 propositionibus, sex tantùm attigerimus; ex his tamen paucissimis animaduersionibus potes, Christiane Lector, agnoscere, quantum lateat periculi in hâc collectione opinionum; quibus cùm nullum sit adhibitum remedium, illas meritò dixeris classicum aduersus omne genus virtutum. Equidem Prudentia de medio sublata est, permisso omnium probabilitatum vsu

quid enim infensius Prudentiæ regulis, delectu opinionum, quas verius putes malas, falsas, & diuinæ legi ac saluti repugnare? Nec melius consultum est Fortitudini, & Iustitiæ. Cum mortis contemptu eluceat maximè Fortitudo, nec eam detrectare possis, cum instat aliquod vitæ humanæ, & Christianæ implendum officium. Ita mortis terrorem auget Amadæus, vt illi omnia Iustitiæ iura decedere contendat; nec vllum seruandum esse, quod sit cum mortis periculo coniunctum, quasi vita mortalis cum muscis communis summum bonum sit nobis.

Ab hoc virtutum excidio, Prudentiâ duce omnium extinctâ, Fortitudine & Iustitiâ desideratis, videtur Temperantia ex fuga superstes respirare aliquantulum, grauissimo tamen vulnere confossa. Nam cum duplici parte constet, esculentorum & poculentorum moderato vsu, quem sobrietatem vocamus, & ab illicitâ venere, continentiâ, & castitate: sobrietas, eodem quo reliquæ virtutes, euertitur metu & periculo mortis, cuius fugiendæ causâ ebrietas perinde, ac innocentium cædes permittitur: vna superest castitas, cui videtur pepercisse, & aliquam illius habuisse rationem. Neque enim ausus est scribere mortis periculo, quod extremam necessitatem, quâ omnia fiunt communia, vult intelligi, id est, ex eius interpretatione, quâ omnia virtutum iura ruunt, & profligantur, licitam esse scortationem, aut mollitiem. Vna ergo superest castitas, quæ victitet: sed cum ex communi omnium Sapientum sententiâ, virtutes solitariæ nullæ sint, nec possint stare aliarum consortio & præsidio destitutæ: iis terrore mortis superatis, necesse est ipsam castitatem concidere. Præterea nouem quæ ex hoc primo Tractatu supersunt propositionibus, quasi quibusdam telis lethalibus feritur, & totidem confoditur vulneribus: quæ nullâ arte sanentur, maximè si Probabilistarum dogmata obtineant.

Articvlvs Primvs.

De Castitate.

Communis quidem est Theologorum opinio ex Sanchez libro nono quæst. 17. conclusione 5. quamuis licitum sit manum, aut quamlibet aliam partem corporis

ſibi amputare, ad vitam tuendam, pollutionem tamen procurare nefas eſſe, etiam mediis aliàs licitis, nec honeſtari poſſe vllo bono fine, etiam ad vitam ſeruandam. Huius diſcriminis, ait Sanchez, difficillimum eſſe probationem aliquam afferre, quæ rem conficiat: quare ex Amadæi. & Probabiliſtarum regulis, cum res nec manifeſtis Scripturæ teſtimoniis, nec euidentibus argumentis probetur, quid vetat, quin probabilibus opinionibus vtrinque tutis annumeretur? Neque enim ſatisfaciet contumacibus, aut minus docilibus, & ſequacibus ingeniis, quæ nec Sanchez probatur communis ratio huius diſcriminis, inter ſeminationem extra coniugij vſum, & amputationem membrorum; quod cum ex inſtitutione naturæ, partes omnes corporis ad indiuidui incolumitatem ſint comparatæ, earum adminiſtrationem permiſſam eſſe homini, non quaſi domino, vt poſſit ad libitum eas à corpore diuellere, ſed more legitimi miniſtri naturæ, cum neceſſe fuerit, ad totius corporis ſalutem; ſeminis verò ad totius ſpeciei, non vnius hominis bonum inſtituti, negatam eſſe vllâ quâcumque occaſione extra thorum coniugalem ſpargendi facultatem. At ſi ita habeat, inquit Sanchez, naturæ lex, nuſquam conceſſum eſſet inhiberi generationem, quod multis exemplis putat ſe falſi conuincere.

Primum eſt coniugis, quem abſoluit à reddendo debito, ſi coniunctum fuerit cum vitæ diſpendio: illi etiam permittit ex Medicorum conſilio, pharmacis ſemen reſoluere: quidni etiam effundere extra coniugalem congreſſum; cum generatio perinde reſolutione, ac depulſione ſeminis impediatur? Tertium exemplum eſt puerperæ, cui concedit ex communi Theologorum ſententiâ, nondum animatum fœtum vi pharmacorum à corpore amoliri: qui tamen propius, quàm ſemen ad generationem accedat. Quartum exemplum ſumit ab ipſâ naturâ, cuius ſæpe motu, ipſi Authori naturæ aſcribendo, ac proinde legitimo, fœtus quaſi pars corporis noxia depellitur ad vitæ incolumitatem, quem arte iuuare non plus mali habet, quàm Iudici latronem ad crucem damnanti opem ferre. Neque enim minus innoxia eſt vis naturæ, ſemen aut fœtum noxium corporis depellentis, quàm Iudicis ſententia, latronem in crucem agentis.

His argumentis & exemplis, reiectâ communi Doctorum argumentatione, singularem addit Sanchez, cui non facile assentient Probabilistæ peruicaciores: semen scilicet extra thorum coniugalem spargi, à naturâ prohibitum esse; quod voluptatem adeò intensam adiunctam habeat semen dum ab animanti decidit, vt illam habituri sint homines pro summâ felicitate; & si semel permissum fuerit, quâcunque aliâ de causâ emitti, timendum sit ne illud prodigendi scortationibus, adulteriis &c. sicut nec sanguinis profundendi homicidiis, bellis, nullus finis sit futurus: quæ mala vt caueantur, censendum est, naturam negasse seminis iacturam etiam in extremo vitæ periculo positis. Nihil verò horum impendet, ab aliarum partium liberiori administratione; quod dum resecantur, grauissimi dolores premant, qui nedum à prodigâ, sed etiam à necessariâ, membrorum amputatione homines coërceant.

Paragraphus Primus.

Principia quibus ius Castitatis munitur.

ITa Sanchez communem omnium sententiam putat sefulcire; casurâ, si vulgari ratione tantùm niteretur. Sed hæc leuiora sunt, quàm vt tantæ causæ molem sustineant: nisi ex nostris principiis solidiora ponantur fundamenta. Atque vt mentem meam aperiam: censeo, apud Probabilistas, quorum dux est Sanchez, hæc argumenta, parum, aut nihil valere; apud nos verò esse efficacissima: quæ proinde, ab aduersariis sunt nobis tanquam à minus iustis possessoribus vindicanda. Huius iuris nostri causa in promptu est, à contrariis de probabilium vsu regulis. Aduersarij omnem securitatem opinionum ab ipsâ probabilitate repetunt: & cum opinionum inter se pugnantium ea sit conditio ex Caramuele, vt mutuò se potius iuuent & confirment, quàm conficiant, id est, hoc ipso, quod assertio aliqua efficiatur probabilis, aduersa in eodem ordine constituatur; ac proinde vtraque secura sit: Non puto Sanchez ita suas cogitationes adamare, vt argumentationem singularem, quâ communem fulcit, aut corrigit,

credat vim habere demonstrationis, cum ad summum probet conueniens fuisse ita statui, non tamen necessario sic fuisse à naturâ cautum: Ergo ex regulis Sanchez, contraria institutionis naturæ interpretatio probabilis manet, ac subinde tuta. Verum ex nostris principiis, licet probabilis sit tantùm pro legis iure contra libidinem argumentatio, propositum omninò conficit: quia iam demonstratum est, securitatem opinionum, cum vtrinque probabiles sunt, à solâ lege sumi debere. Et cum generationem propugnet Sanchez, ex lege naturæ contra libidinem; illi omninò adhærendum est; nec iis, qui aduersam quamuis probabilem opinionem sequerentur, securitatem à peccato, & à damnatione polliceri auderet.

Vindicatam itaque nobis probationem Sanchez, placet illustrare luculento exemplo. Abstinentia à carnibus indicta est Carthusianis, Benedictinis, Dominicanis, aliorumque Ordinum pluribus Religiosis; hoc tamen discrimine, vt Carthusianis non liceat ab illo instituti rigore recedere, etiam causâ fugiendæ mortis: aliis verò permissus sit esus carnium, ad infirmitates curandas. Ex hoc discrimine aliud profectum obseruare est, vt quinto, aut sexto iam sæculo, ad nostrum vsque diem Carthusiani vixerint, sui instituti tenacissimi; nec opus fuerit vnquam instaurari nouis sanctionibus, cæteri verò ordines ruerint ex concesso aliquâ occasione carnium esu; vt oportuerit eorum disciplinam, multis casibus inde obnoxiam, identidem reparari, breui etiam iterum & iterum perituram, nisi aliqua ratione Carthusianorum constantiam imitentur. Ita de seminis voluntario fluxu, arctissimâ lege naturæ cohibendo pronuntio: nam datâ vel minimâ occasione, aut rimulâ, ad perniciem generis humani cui comparatum est, difflueret semen in omne genus libidinum: & si ab hâc regulâ nostris principiis validè constitutâ recedamus, timendus est tori generi humano, qui Ordinibus Religiosis casus contigit, ex esu carnium aliquâ specie necessitatis concesso.

Hæc rationum & exemplorum munimenta, imparia essent comprimendæ hominum libidini, nisi validiora adderemus ex sensu Ecclesiæ, Sanctorum Patrum traditione, & Theologorum vnanimi sententia. Atque huic legi, tot præsidiis munitæ, nulli tenacius Dominicanis adhæ-

fere: Nec in eâ solum scriptis propugnandâ, sed etiam exemplis confirmandâ eluxerunt: E multis duo attingam. Cardinalis Hannibaldus ex familia Prædicatoria, ad purpuram assumptus, nobilitate sanguinis, ex antiquis Romanis Consulibus, & morum sanctitate celebris, sed notior dicatis eius nomini secundis D. Thomæ in Magistrum sententiarum commentariis, quæ prioribus collata posteriores curas dixeris; cum eo genere morbi laboraret, qui non aliis curari posset remediis, quàm quibus putridum semen cum aliqua titillatione eiiceretur: maluit vir religiosissimus mori, quàm eiusmodi remediorum vsu diutiùs viuere. Hoc licet in Sacerdote religioso, suâ non careat laude exemplum, decedit tamen multis partibus recentiori, quod nostrâ ætate, toti orbi præbuit Philippus 3. Hispaniarum Rex, cognomento Pius: cui addendum censeo etiam Casti, quod vnus decessorum, Alphonsus nomine consecutus est. Principi vix ad quadragesimum annum prouecto, suadebant Medici remedium præsentissimum, depellendo putrido semini, quo post obitum vxoris castissimæ lethaliter laborabat; sed Confessarij ex Dominicanâ Familiâ, magis placuit, quàm Medicorum consilium, & rejecto quod semen cieret remedio, gloriosissimè martyr castitatis occubuit. Hæc sibi Dominicani assumunt, hæc aliis suggerunt consilia; præstare mori, quàm vllo fluxu seminis euocato fœdari, & ex auitâ disciplinâ, ante D. Thomam in Ducem & Magistrum Ordini diuinitus datum, castimoniæ incorruptionem, vitæ mortali prætulerunt, & toto pectore auersati sunt, quas hoc Tractatu, & altero de Matrimonio propositiones turpissimas collegit Amadæus. Videtur quidem nonnullas damnare: sed ex probabilitatum regulis, testimoniis Doctorum, & rationibus verisimilibus sic munit; vt dum improbare videri vult, confirmet, & suadeat. Vtinam longiùs abesset à Sauli in cognatum Stephanum crudelitatis exemplo, aut specie: Doctorum castitatem profligantium, vestes & indumenta seruare videtur, & omnium manibus cœlestem hunc thesaurum dilapidare propositione 4. quâ ex Sanctio excusatur à peccato mortali; pollutio non intenta, licet præuisa, in cogitationibus turpibus & actibus inhonestis, si postea in somnis sequatur: videtur quidem omnium Theologorum nomine ex Societate, eam detestari his

Scriptor; sed illi securitatem astruit à trium Theologorum suffragio, & à ratione ex Caramuele efficacissimâ, cui non est dignatus verbo respondere.

In eo Sanctius ponit Quæstionis nodum, & (vt loquitur) *litem*; quod aduersarij fateantur participare labem pollutionis, illum qui habet cogitationem turpem, siue aspectum, in quo præuideatur: *At nos*, inquit, *non admittimus; quia non præuidetur in causâ efficaciter influente:* nam quæcumque causa, potentior est præsens, quàm dum abest. Sed non aduertit Caramuel, semen à dormiente decidere multo facilius, quàm à vigilante: vt sola imago rerum turpium, quæ inter dormiendum occurrit, fluxum prouocet, quem comprimere potuit vnus corporis stantis situs. Tertium huius Propositionis patronum aduocat Acatium ex nostro Ordine, quasi Sanctio assentiatur, insinuatâ vno verbo eius ratione, ab inefficaciâ causæ. Huic patrocinio fulciendo adjungit aliquid dictum à Paludano in 4.dist.9.q.3.n.6. vbi peccati venialis tantùm eos damnat, qui appetunt delectationem pollutionis nocturnæ, quod sciant non esse peccatum, nullo modo illam appetituri, si subesset peccatum: Benè est, quod remedium huic malo adhibeat ex D. Thomâ in eandem dist. damnante peccati mortalis quamcumque delectationem pollutionis deliberatam; sed satiùs fuisset tacere Paludani nomen, vel eius verba ad communem ex D. Thomâ sensum trahere, quem facilè admittit locus Paludani; cùm hypotheticè tantùm disputet, & actum delectationis suspendat, quasi diceret: delectarer, si cogitatio hæc vacare culpâ posset. Mirum est sanè, nos in alieno oculo festucam ita anxiè inquirere, qui in nostro trabem non sentimus. Minutissima sunt, quæ Amadæus ex Paludano carpit eorum collatione, quæ ipse probat & docet.

Paragraphvs Secvndvs.

Ad Propositionem vndecimam. An peccata contra Castitatem fieri possint venialia paruitate materiæ.

Hvius Propositionis grauissimæ examen præmitto ad superiores responsioni, quod ad illarum discussio-

nem sit maximam lucem allaturum, & quas hic Amadæus offucias ac tenebras spargit depulsurum. Longo ordine recensuit Theologos, qui à peccato mortali excusant ob paruitatem materiæ, oscula, contactus, & omnia lasciuiæ irritamenta, etiam studio caprata, vt tot testium nube Lectoris tentet iudicium. His subjungit huiusmodi doctrinam à Sanchez retractatam, omnes Societatis Scriptores execrari; extare Claudij Aquauiuæ Societatis Præpositi Generalis præceptum, quo cauet ne vllus è Societate, etiam vt tolerabilem hanc doctrinam vllâ ratione doceat, aut aliis suadeat. Ait etiam circumferri decretum Clementis VIII. quo hæc opinio relegatur ab omni sanâ doctrinâ. *Ad populum phaleras.* Crederem ista ex animo fieri, nisi pro inconcusso dogmate posuisset, nihil huic propositioni deesse authoritatis, & rationis ad securam probabilitatem.

Excusarem improbum & inutilem laborem in conquirendis Authoribus, qui faueant improbandæ opinioni, nisi bona fides abesset, & inuitos traheret ad erroris consortium. Ex duobus agnosce, Lector, quâ fide reliquos citet. Bonacinam laudat quæst. 4. de Matrimonio, puncto 10. num. 13. quo loco nihil ad rem, quia peccati mortalis damnat spontaneam commotionem spirituum ad pollutionem, vel ad magnam distilationem: si autem, exeat in exiguâ quantitate, cum nullâ vel leui commotione, dicit ex Sanchez contra Rebellum non esse curandum, cum sit veluti quidam sudor fluens, nec subinde veram rationem seminationis habeat, quæ pertineat ad luxuriam. Vbi Amadæe, apud Bonacinam peccatum luxuriæ ex paruitate materiæ factum veniale? Quod verò refert ex Dianâ, contra se nominatim insurrexisse Franciscum Arauxum Dominicanum, ex primo Salmanticensi Professore factum Episcopum; quod videlicet in rebus venereis, negaret paruitatem materiæ, hoc omnem fidem superat. Credo equidem miratum Arauxum, Dianam adeò sui dissimilem; vt cum vbique D Thomam deserat, & largissimè hominum indulgeat cupiditatibus; hic seuerior D. Thomæ adhæserit: sed ab Arauxo fuisse hâc de causâ nominatim impugnatum, in hac vnicâ controuersiâ D. Thomam secutum, quis credat de assertore D. Thomæ acerrimo, & fidissimo discipulo?

Eam

Eam verò esse perpetuam D. Thomæ sententiam peccatum luxuriæ à paruitate materiæ, nunquam veniale fieri: præter quod ex multis locis comprobari potest, id euidentius constat ex quæstione 15. de Malo; quâ elegantissimè hanc rem duobus prioribus articulis prosequitur: Primo quidem articulo hanc statuit conclusionem, quemlibet actum luxuriæ vitiosum esse, aut ab interna concupiscentiæ motu inordinato, aut ab ipsomet actu per se malo: id probat argumento profundissimo, quod hâc formâ perstringo. Peccatum quodcumque contingit, vel vitio potentiæ, & cupiditatis à rationis regulâ subductæ, vt cum auarus sua bona ardentius amat, & tenacius seruat; vel peccatum positum est in ipsomet actu, & rei illicitæ concupiscentiâ, quale est auari, qui bonis inhiat alienis. Atqui luxuriæ & libidinis peccatum, potest ex alterutro, vel vtroque capite, à rectâ ratione, & à fine recedere. Ergo vtriusque vel alterutriusque generis malitiâ inficitur. Primi quidem, cum vir vxorem suam deperit, & ad illam accedit nimio æstu accensus; tum enim censetur peccare ex internâ concupiscentiâ, quod leuius peccatum est, præ altero, cum à fine generationis humanæ fit recessus: quod, inquit S. Doctor, contingit ex quocumque vsu, & motu partium genitalium, extra & præter maritalem congressum: nam illæ partes corporis, & semen à naturâ comparata sunt vt ad finem, ad procreationem, & institutionem filiorum homini conseptaneam; ea verò tantum esse potest, si fiat à mare & fœminâ legitimo matrimonij vinculo coniunctis: & hoc docet natura exemplo animantium; nam quæ fœtus educant partito inter patrem & matrem onere, qualia sunt quæ nidificant, vagos fugiunt concubitus, & mas sibi fœminam deligit, cui adhæret ad pullorum educationem: ab hâc lege homini magis quàm animantibus necessariâ, recedit quicumque vsus seminis, partiumque genitalium extra coniugium.

Rationem illustrat S. Doctor solutione 9. argumentorum: sed obseruanda est potissimum responsio ad tertium quo probatur malitiam luxuriæ, non posse peti neque à potentiâ, à quâ naturalis exit actus, neque à materiâ, quia videtur fœmina ad illum vsum creata, neque à fine, quia potest esse honestus, vt cum quis suscipit prolem Deo consecrandam, neque à malo vsu seminis, quia ex Aristotele,

est quid superfluum, sicut sudor, aliaque excrementa: Ergo nihil habet luxuria mali, aut contra naturam. Ex his omnibus capitibus demonstrat S. Doctor luxuriam peccatum esse: ratione quidem potentiæ, à regulis rationis, ex nimio ardore concupiscentiæ, subductæ: à materiâ, quia actus conueniens generationis requirit mulierem, non quamcumque, sed matrimonio iunctam: aberrat etiam à fine, nec corrigitur intentione aliquâ accidentariâ, sicut nec furtum animo dandi eleemosynam admissum: Semen autem licet sit superfluum ad nutritionem, est tamen necessarium ad generationem prolis, & speciei perennitatem; ideò malè comparatur sudori, quem nihil refert quacumque ratione effluat, quia inutilis est, tum ad nutritionem, tum ad generationem. Ad id verò quod conclusioni additur; Respondet D. Thomas solutione ad septimum: peccatum luxuriæ repugnare interdum naturæ animalis, qualis est mollities, & quilibet fluxus præter commixtionem maris, & fœminæ; quia nihil inseruit ad generationem, quæ fit in quolibet genere animantium, copulâ vtriusque sexus: fornicatio autem dicitur esse contra naturam propriam hominis, cuius est generationem referre ad conuenientem prolis educationem. Ex conclusione superiori deducit S. Doctor arr. 2. quasi corrolarium, luxuriæ actum à solo principio, seu internâ cupiditate vitiosum, esse culpam venialem; malum verò à seipso, seu à re concupitâ, non carere peccato mortali, nisi ex imperfectâ deliberatione: quia actus ex primo capite malus, quo vir ad vxorem accedit nimio voluptatis æstu, non exit fines matrimonij, nisi tantus sit, vt nullo Dei respectu prorumpat in desiderium alienæ: tum verò malus fit ex secundo capite, à re illegitimâ concupitâ, & perinde se habet, ac gulosus non contentus suo cibo superfluè vti, sed gustat etiam furtiuos, & lege prohibitos: Ergo quamdiu manet actus, solâ internâ cupiditate vitiatus, venialis tantum culpa est.

Quod verò lethalis sit, si transeat in appetitum illegitimæ, vltra maritalem commixtionis, egregiè probat ratione superiori: quia recedit à fine constituto generationis, in maiorem noxam proximi, quàm furtum: nam si quis reus sit peccati mortalis, sublatis furto rebus externis proximi, ad vitam sustentandam comparatis ex Eccl. 34.

Panis egentium vita pauperis, qui defraudat illum, homo sanguinis est: cum semen humanum propius accedat, magisque sit necessarium ad vitam sustentandam, quam virtute continet (& ideò ait Aristoteles esse quiddam diuinum) certum est inutili & inordinato fluxu seminis, magis in hominem peccari, quàm quolibet furto. Illud verò peccati genus ait S. Doctor reuocari ad præceptum Decalogi, quo adulterium prohibetur. Nam vt inquit resp. ad 3. & ad 4. cum Decalogus traditus sit populo, ea peccata damnat, quæ nemo communis sensus compos neget esse mala. His verò continentur, à Moïse, & à sapientibus deducenda & docenda fornicatio, aliaque luxuriæ genera, quæ obscurioris sunt malitiæ, & difficilioris inquisitionis. Fornicationem verò, aliaque seminis humani dispendia voluntaria, lege diuinâ & naturali damnari, egregiè probat resp. ad 12. à discrimine inter cibum & semen; quod cum ille institutus sit ad bonum priuatum hominis, cuiusque arbitrio permissum est sibi eum eligere: semen verò cum ad bonum commune spectet, quod fit lege magis sanciendum quàm priuatum, hinc fit semen non posse administrari, nisi ex præscripto legis, vt conducit ad filiorum procreationem ex legitimo matrimonio. Et cum lex magis spectet quæ conueniunt tempori, & magis quæ fieri vt plurimum solent, quàm quæ rarò & casu contingunt; Hinc S. Doctor resp. ad 13. ait, sub lege antiquâ vacandum fuisse propagationi generis humani; sub lege verò gratiæ propagationi spirituali insistendum: quia id requirit diuersa ratio temporis. Hinc etiam ait responsione ad 12. & 14. legem non attendere educationem prolis ex fornicatione conuenientem; quia rarò & casu accidit; sed eam statuere & vrgere, quæ per se nata est sequi ex legitimo matrimonio: atque eius impedimenta amouere communia, non quæ casu ex senectute, & ex morbis accidunt.

Ex his S. Doctoris principiis, deducimus in re venereâ nunquam dari paruitatem materiæ, vt in aliis generibus vitiorum; quæ actum per se, & à re concupitâ inordinatum venialem efficiat, quia id habet expresè ad calcem Articuli. Appetitus, inquit, interior bonitatem, aut malitiam accipit, ex eo quod appetitur: inde est, quod etiam appetitus huiusmodi actus inordinati peccatum fiat,

si sit completus, id est, si fiat ratione deliberatâ : alioquin est peccatum veniale. Ergo in genere luxuriæ, non agnoscit culpam venialem, nisi ex imperfectâ deliberatione, non ex paruitate rei concupitæ.

Deinde resp. ad 16. negat excusari peccati mortalis, delectationem & cogitationem morosam de fornicatione ex genere suo mortali : nec fieri venialem, nisi deliberatio rationis sit imperfecta ; quæ cum aduenit, per consensum deliberatum, redit ad naturam sui generis, id est, ad peccatum mortale. Amplexus etiam, oscula, & tactus, quamuis videantur longius abesse à congressu fornicario, aut fluxu seminis extra vsum legitimi matrimonij, damnat tamen peccati mortalis, Resp. ad 18 *In quantum ordinantur, inquit, ad actum fornicationis, consequuntur consensum ; in quantum autem ordinantur ad solam delectationem consequuntur consensum in delectationem, qui est peccatum mortale : & ideo vtroque modo sunt peccata mortalia.* Quamuis enim non sint secundum suam speciem mortalia, sicut fornicatio, adulterium, & mollities : id tamen habent secundùm quod ordinantur ad prædictos consensus. Ex quibus hoc argumentum elicio : oscula, amplexus, tactus, vt ex libidine fiunt, tendunt vel ad commixtionem fornicariam, vel ad fluxum voluntarium seminis, vel ad delectationem veneream : Atqui semper mortalia sunt peccata, ex D. Thoma : Ergo nullâ ratione possunt excusari à peccato mortali. Hoc tamen differunt à fornicatione & fluxu seminis voluntario, quod ex se indifferentes sint, & ex fine amicitiæ, vrbanitatis, & salutationis causâ, fieri possint more loci : nec sint mala, nisi ex adiuncto periculo, à quo purgari nequeant, nisi aliquo fine legitimo honestentur.

Cur verò paruitas materiæ, in aliis peccatorum generibus admittenda, hinc excludatur : non occurrit alia ratio idonea, quàm quæ superius insinuata est ab intensissimâ voluptate his actibus adiunctâ ; quæ cum difficilius cohiberi possit intra certos & legitimos fines, quàm quæ furto, & cibis admiscetur ; & vbi semel admissa est, rationem absorbeat, lege naturali & diuinâ cautum est, ne vel minimæ locus detur, animum vbi subierit excæcaturæ. Hanc rationem fundamentalem illustrant quæ habet argumenta, & exempla Mercorus, parte ter-

tiâ art. 15. statum quæstionis explicat his verbis : *Stantibus duabus opinionibus extremis, vna qua omninò negat dari paruitatem materia in venereis ; altera qua affirmat, & statuit osculi delectationem, pro leui computandam esse ; quaritur, an tertia opinio media eligi possit, vt leuis culpa sit v. g. breui morulâ delectari in contactu vnius digiti ?*

Respondet quamcumque delectationem veneream, etiamsi physicè sit modica, à naturâ prohibitam esse sub mortali: consequenter negat posse dari consensum deliberatum de aliqua delectatione leui, qui sit culpa leuis.

Id verò probat ex sensu naturæ, omniumque Legislatorum, quibus solemne est, dum noxium ab innoxio ægrè distingui potest, eâdem pœnâ quâ prohibent noxia, vetare etiam innoxia, idque exemplis illustrat. Lege prohibetur ad tranquillitatem publicam, & cohibendis bellis ac pugnis repentinis, quæ ex irâ & simultate nasci solent, arma deferri ; sed quia difficillimum iudicium est, an quis armatus incedat ad ornatum, & necessatiam defensionem, vel ad dimicationem, aut aggressionem iniustam, quicumque accinctus armis deprehenditur, subiicitur legis pœnæ, licet euidenter probet se arma sumpsisse ad iustam defensionem. Aliud exemplum affert à naturæ lege, quæ prohibet ne coniuges sejungantur, sed in perpetuâ vitæ societate degant, ad educandam prolem ; nec tamen licet à vitâ coniugali secedere, cum nulla spes superest, nouæ prolis suscipiendæ, aut educandæ cura : sed cum difficillimum sit iudicare quandonam eò deuentum sit, & facilè possit error obrepere : ideò lege naturæ coniugum societas perpetua est : quia legitima diuortij causa obscurissima est.

His exemplis probat obiter Mercorus falsam esse nonnullorum regulam ; legem, tum omninò tolli, cum finis & causa legis desierit : at contra, natura ratam vult esse & firmam legem, quamuis causa, quæ legi locum dedit, sublata sit ; de his maximè rebus quæ difficilioris sint examinis. Quid verò obscurius, quid lubricum magis, & periculosum, quàm venerea delectationis momenta appendere, cum delectatio ipsa sit quoddam præstigiarum genus ? Nec dicas leuem esse materiam libidinis, manus contactum, aut osculum, cum interdum osculo vnius, quàm alterius congressu, magis quis afficiatur. Valet hîc etiam ratio D. Tho-

mæ, cibi certum delectum permissum arbitrio cuiusque, quod eius priuatum bonum spectet; delectationem autem veneream ad bonum commune pertinere, & ideò naturæ lege sanciendam, cum aliunde difficillimè frænari, aut discerni possit: Ergo censendæ sunt omnes eâdem lege prohibitæ, extra coniugium.

Rem illustrat Mercorus exemplo vacui, à quo in totum natura abhorret, nec vel minimum patitur, ne rerum compago dissoluatur. Quamuis fortè à vacuo modico non esset timenda mundi ruina; non tamen natura finit, vllum à nobis induci: quod nostrum captum fugiat, quo gradu vacuum posset rerum ordinem turbare. Cum verò non minus obscura sit, aut periculosa voluptatis venereæ administratio, quam vacui, vtramque homini negatam dicimus lege naturæ.

Atque hinc facile soluuntur duo argumenta Caramuelis; primum petitur à comparatione aliatum virtutum, in quibus frequens est materiæ modicæ designatio; quidni etiam hîc locum habeat? Rationem discriminis dedimus, quod in re venereâ electio grauioribus pateat periculis & difficultatibus. Falsum est, etiam quod vniuersim assumit Caramuel, materiam minimam & leuem, non esse grauibus pœnis, & peccatis opportunam; cum reum peccati mortalis faciat Ecclesia, eum qui ante cōmunionem vnam amigdalam gustauerit, vel guttam aquæ vino consecrando non infuderit. Et quis nesciat vnius pomi esu, Adamum totius generis parentem, fuisse peremptorem? nihil ergo vetat naturam vnius modicæ delectationis venereæ vsuram prohibuisse, hâc de causâ grauissimâ, quod facilis sit error delectus delectationis grauis, quam leuem putes, & quæ in grauissima mala cæcos præcipitet.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Corrollaria quibus reliquæ huius Tractatus Propositiones refelluntur.

REfutatis, quæ supersunt ex hoc Tractatu, Propositionibus falsissimis, & scandalosis, addendum est superibus, ex doctrinæ D. Thomæ principiis, istud apud

S Doctorem certissimum; rerum quæ cient venerem, & fluxum seminis, duo esse genera: primum ad luxuriam pertinet: qualia sunt verba amatoria, aspectus rerum turpium; aliæ sunt diuersi ordinis, vt cibus, equitatio: maiorem verò curam adhibendam, ad euitandum fluxum seminis, ex primo quàm ex secundo rerum & actionum genere. Rursus postremum hoc rerum genus diuidendum est, in eas, quæ necessariæ sunt, & vtiles, qualis est Confessionum audientia, contrectatio partium secretiorum à Chirurgo ad curandos morbos: aut quæ interdum malæ, vt ludus, potatio largior, vsus ciborum calidiorum qui cient venerem.

His ita constitutis, vt à certioribus initium ducamus.

Prima regula est apud omnes recepta: ab his omnibus generibus actionum prorsus abstinendum esse, cum variis experimentis compertum est, vix posse frequentari citra consensum in voluptatem veneream ex fluxu seminis. Tum enim Christi documentum vt præceptum vrget te: *Si manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te.*

Altera regula æquè certa est, à rebus secundi generis, maximè si necessariæ sint, & vtiles ad vitam, & societatem humanam, cessandum non esse, quamuis habeant adjunctum diffluuium seminis, si absit periculum consensus: tum enim censemur pati, non optare voluptatem; & aliunde illius sensum omninò inuoluntarium, & innoxium facit ius re illâ vtendi.

Hâc regulâ continentur, quæ ex communi sententiâ Theologorum variis consectariis explicat Sanchez lib. 9. disput. 4. à num. 4. ad 10. Immò addit fluxum seminis præmissum ex actione à circumstantiis malâ, non habere reatum luxuriæ; vt cum quis ex Confessionibus captat vanam gloriam, vel ex cibo nimiam voluptatem: tum quia hæ circumstantiæ accidentario adjunguntur feminis diffluuio: tum quia damna non sunt imputanda iure suo vtenti, sicut cum Iudex admiscet iram, & vanam gloriam iustæ reorum castigationi. Eâdem de causâ experto ex equitatione sibi semen decidere, non est pedibus iter agendum.

Grauior est difficultas de eo genere actionum, quibus accidentario adjungitur illud diffluuium, nullâ tamen

necessitate, aut vtilitate honestantur: imò vt plurimum malæ sunt; vt ludus, nimius potus, aut somnus. Prima Theologorum sententia, & ex Thomistis Medinæ, Zumel, Soti, Lopez, est eiusmodi rebus non necessariis, aut venialiter malis vtentem, reum esse peccati mortalis luxuriæ, si malit pati difluuium seminis, quàm ab huiusmodi rebus cessare. Putat tamen Sanchez hanc sententiam ex mente D. Thomæ, eiusque discipulorum, Antonini, Caietani, Armillæ, Syluestri, Ledesmæ, sic moderandam esse; vt venialis, aut mortalis sit culpa, prout fert conditio rerum, vnde seminis fluxus existit: quia S. Doctor statuit pollutionis grauitatem, à causâ esse omninò metiendam, iuxta illud D. Augustini lib. 22. contra Faustum: *Loth non quantum incestus, sed quantum ebrietas præcedens meruit, in culpâ fuisse.*

Hæc ex Sanchez placuit referre: non quod illi omninò assentiar, sic mentem D. Thomæ, eiusque discipulorum, interpretanti; quasi tota præuisæ pollutionis grauitas, ita sit à causâ vnde proficiscitur, vt ipsius præuisæ periculum, malitiam causæ non augeat, nec vnquam è veniali faciat lethalem; hoc enim omninò falsum esse statim ostendam: sed è re nostrâ visum est fore, ista obseruasse ex Theologo Societatis multo doctiore & accuratiore, Amadæo; vt inde agnoscant omnes, nihil in hac re Thomistas aduersario fauere, sed per summam iniuriam trahi in alienos sensus: quandoquidem plures ex illis damnant peccati mortalis, eum qui à rebus licitis, sed non necessariis, aut venialiter malis, nolit abstinere, quamuis sentiat inde secuturum seminis fluxum.

Cæterum regulam D. Thomæ malè omninò interpretatur Sanchez, dum putat ex re venialiter per se malâ, fluxum seminis fore tantum venialiter culpabilem: nam D. Thomam, art 5. ex qu. 54. 2. 2. & ex 3. part, quæst. 80. art. 7. attentè legenti, constat hanc regulam ex causâ veniali per se nunquam nisi venialem nasci, limitari oportere ad actiones, contactus, cogitationes, quæ ex subreptione, aut imperfectâ deliberatione, venialis culpæ reatum habent. Nam delectatio, & præuisio secuturæ pollutionis è venialibus per se fiunt culpæ lethales: neque hoc negat Sanchez Concl. 1. num. 15. dum ita habet: *tunc solum reperitur culpa mortalis ratione pollutionis præuisa, nec*

intenta, quando absque vrgenti necessitate exercetur actio ex naturâ suâ turpis, & per se tendens ad actus venereos excitandos, pollutionemque consummandam.

Sed immeritò addit hanc suam assertionem esse contra Authores trium sententiarum quas distinxit, & vltimæ facit Authorem D. Thomam, in alienum sensum, detortâ eius regulâ, cuius vetam interpretationem refert ipsemet Sanchez ex Nauarr. Sum. cap. 16. Vbi ex legitimâ mente D. Thomæ pollutionem docet esse mortalem, cum quis se illius periculo exponit, admissis turpibus cogitationibus, earumque delectatione, aut se connet sationibus immiscet, & fœdat turpibus contractibus, qui ad illam prouocant. Addit eiusdem lethalis culpæ reum esse, qui aliqua comedat vt sibi pollutio eueniat.

Animaduersionem Sanchez in illum Nauatri locum probo; dum de rebus primi generis venerem per se mouentibus sermonem facit, nihil aliud exigere, vt ille fluxus sit culpa lethalis, præter voluntatem huiusmodi causas admouendi: vbi verò agit de rebus secundi, & tertij ordinis, quæ sunt extra luxuriæ genus, vt esus calidorum, nimia compotatio, petit voluntatem expressam sese excitandi: atque ea est legitima interpretatio regulæ D. Thomæ, ex causâ pollutionis, eius grauitatem metientis: & ad illam tandem sententiam communem Scholæ nostræ satis accommodatè trahit Sanchez verba Henriquez, Suarez, & Vasquez: summéque gaudeo Theologos ex Societate præcipuos, nobis assentiri. Ex quibus.

Paragraphus Quartus.

Ex superioribus rejiciuntur quinque Propositiones ab Amadæo falsò D. Thomæ adscriptæ.

Educo contra quintam propositionem, falsum esse, falsoque ascriptum D. Thomæ, ex eius principiis malè probari, *pollutionem non intentam, licet præuisam in conuersationibus otiosis, & verbis amatoriis, non esse culpam lethalem, nec sub mortali, quemquam teneri has causas remouere.* Falsam esse quoad omnes partes hanc assertionem demonstrant, quæ diximus de mente D. Thomæ.

eiusque discipulorum: & iterum id euinco hoc argumento. Vel excusas à peccato mortali præuisam pollutionem ex verbis otiosis, & amatoriis, ratione imperfectæ deliberationis, vel materiæ modicæ; sed ex neutro capite est legitima excusatio: non ex vltimo, quia in rebus venereis, nullam D. Thomas admittit materiam modicam, quæ leuem faciat culpam: primum etiam caput præcludit ipsamet propositio: neque enim subreptio, aut imperfecta deliberatio locum habet, cum suppetit tempus cogitandi, & deliberandi de colloquiis amatoriis semouendis, ne semen decidat cum sensu voluptatis venereæ. Non immoror interpretandis,quos refert Amadæus Thomistis: quia non sunt censendi, quidquam docuisse alienum à mente sui Præceptoris.

Eodem argumento refello sextam propositionem; *inter sponsos de futuro, licita esse oscula, & amplexus, etiam cum periculo pollutionis, si inurbani, & austeri taliter habendi sint.* Non licet etiam ex ipsomet Sanchez citra mortale peccatum, dare operam rebus primi generis,cum instat periculum fluxus seminis: atqui non carent illo periculo oscula, amplexus; & præterea ad genus luxuriæ pertinent: Ergo reatum peccati mortalis incurrit quisquis se illis immiscuerit, præuiso pollutionis periculo. Neque enim potest excusari à peccato lethali, paruitate materiæ; quia ipsemet Amadæus censet nullam dari in re vereneâ: neque imperfectâ deliberatione; cum suppetat tempus maturius deliberandi de semouendis huiusmodi causis. Leuior est austeritatis, & inurbanitatis suspicio, quàm vt sponsum à tam graui onere leues fugiendæ immunditiæ, præsertim cum alia non desint officia minus periculosa, & magis casta, ad beneuolentiam & vrbanitatem testandam.

Si dicas ex singulari opinione Caietani, ab aliis Theologis receptâ, sponsis permissum esse aliquem voluptatis venereæ sensum, quasi illecebras ad coniugalem affectum: Esto; sed ex omnium sententiâ, incipit esse malus, cum habet adiunctum periculum pollutionis, etiam inter coniugatos: Ergo multo minus ferendus est, aut excusandus inter sponsos. Et mirum est Sanchem, & Amadæum, cum imminet immunditiæ periculum, amplexus permittere, non oscula inurbanitatis fugiendæ causâ: quasi

maior ex istis, quàm ex totius corporis complexu, venereæ voluptatis sensus existat.

Hinc etiam inferimus, falsam esse & periculosam septimam propositionem: *sentienti magnum pruritum in verendis, licitum esse ad semen corruptum expellendum, & pruritum sedandum, eas refricare etiam cum periculo pollutionis.* Exemplis ex Dominicanâ Familiâ, Cardinalis Hannibaldi, & Philippi Regis Hispaniarum, hanc assertionem, & ex illâ calumniam in Dominicanos supra depulimus. Hîc etiam habet locum, quod ex Sanchez retulimus, discrimen inter amputationem partis putridæ corporis ad vitæ incolumitatem, & seminis expulsionem vi remediorum: illam aliquando, istam licere nunquam. Adde si locus detur distinctioni seminis putridi & incorrupti, nullum fore finem, & modum spargendi seminis; quia omnes, quo grauantur putridum esse causabuntur: & ne quis dubitet periculosissimam esse hanc assertionem, sat fuerit annotare ex Amadæo, correctam fuisse à Sanchez, & à Diana.

Hinc etiam refellitur octaua propositio: *à lanugine, vel sanguine menstruo, propria verenda mundare, non esse lethale, etiam si prauideatur futura pollutio.* Hæc enim actio est primi generis cum superiore quæ ciet fluxum seminis: & si iis leuibus de causis, permissum sit arbitrio cuiusque, menstruum sanguinem, & putridum semen depellere, laxantur habenæ libidini.

Quæ nonâ propositione refert Amadæus ex variis Thomistis, nihil mali aut falsi habent: quia castissimè loquuntur de partium secretiorum aspectu, & contactu. Non est verò omittendum quod scribit Amadæus ad finem num. 41. Doctores Societatis seueriores esse Caietano, Medina, &c. quia indistinctè aspectus turpes propter delectationem, si in eâ sistatur, damnant peccati mortalis; quasi Caietanus & cæteri Thomistæ aliud sentiant: vel enim illos interpretatur de delectatione venereâ morosâ, vel de quâcumque aliâ perceptâ ex conuenienti partium corporis compage & conformatione; primo sensu nullus Thomistarum negat aut negare potest, nisi à D. Thoma discesserit, huiusmodi veneream delectationem esse peccatum mortale, cum nequeat excusari paruitate materiæ: secundo verò sensu, falsum est huiusmodi in-

ſpectionem, & ex illâ delectationem noxam eſſe lethalem. In quo ergo diſſentiunt Doctores Societatis à Dominicanis?

Num. 5. Caietanum carpit cum Catharino, quod in Summa Ver. *Periculum peccandi* ſcripſerit acceſſum ad locum, *vbi eſt periculum peccandi mortaliter propter aſpectum, &c.* non eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, *quia ex ſuo libertatis arbitrio reſtat peccare mortaliter, etiam præſentibus talibus occaſionibus peccandi.* Hæc ex Caietano refert Amadæus non bonâ fide ſuo more, omiſſis quæ Caietanus inſerit his verbis: *Et hoc quidem ſi ſine vrgente neceſſitate ſit, ad incautelæ peccatum ſpectat.* Catharinum virorum illuſtrium demorſorem, & præ cæteris Caietani Maſtigam imitatur duriore eius verborum interpretatione, cum poſſet locum explicare de periculo remoto, non proximo ad peccandum: quo ſenſu omni caret cenſurâ.

Præterea nullus ad peccandum locus eſt periculoſior ſcenâ, & ſpectaculis mimorum: vnde deflet Saluianus ſui ſæculi Ieremias ſingulis ferè libris de Prouidentiâ, laſciuiam omnibus ſenſibus hauriri: & tamen acceſſum ad hiſtriones eximit Amadæus à peccato mortali ex Sanchez, qui aſſerit comœdiis intereſſe, non eſſe mortale, *etiamſi res turpes repræſententur, ſi audiantur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili in peccatum mortale, & ſi audiantur ob delectationem curioſam, non laſciuam, ex ipſis rebus turpibus contingentem*: nec moratur alios, qui comœdiarum frequentiam damnant lethalis peccati, *quod ſoluendo mercedem hiſtrionibus, ſis cauſa, vt in ſtatu peccati mortalis vitam degant.* Id verò excuſat cum Baldello hâc futiliſſimâ ratione: *ſi quis accedat vbi hiſtriones ſat pecuniarum ex aliis, qui ad theatrum confluxerunt, corroſerint, quæ poſſit eſſe merces idonea.* Hæc longè periculoſiora ſunt, quàm quæ periculoſiſſima ait ſcripſiſſe Caietanum.

Sed in hoc laudandus Amadæus, quod in Antidotum huiuſmodi corruptelarum, addiderit ex D. Thoma 2.2. q. 168. art. 3. ad 3. hæc aurea ad rem iſtam dirimendam verba. *Officium hiſtrionum quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati; dum moderatè ludo vtuntur, id eſt non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & in temporibus indebitis, &c. vnde illi, qui*

moderatè illis subueniunt, non peccant, sed iustè faciunt, mercedem ministerij eorum, eis retribuendo. Si autem superfluè sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones, qui illicitis ludis vtuntur, peccant, quasi eos in peccato fouentes. Vnde Augustinus super Ioannem dicit, quod donare res suas histrionibus, vitium est immane, nisi fortè aliquis histrio esset in extrema necessitate. Hoc Angelicus Doctor.

Paragraphvs Qvintvs.

Contra Propositionem X. de osculis ob delectationem sui, non copulæ, morosam captatis.

EA non esse mortalia, ex D. Thoma totis viribus insincera omninò fide, nititur probare Amadæus Propositione illâ decimâ, cuius occasionem dedit Comitolus, omnium ex Societatis Scriptoribus tutissimus, quem ægrè ferrem trahi ad laxorum partes; neque verba ex illo relata non minus casta quàm elegantia hoc patiuntur: sic enim habet. *Quando osculum, & amplexus honestè initur, citaturque in osculantibus, aut his, quibus suauium datur voluptas, quæ non ad tactum venereæ voluptatis, sed primarum, secundarumque qualitatum, qualis est leuitas, & mollitudo, refertur; eaque nimis est, meo quidem animo peccatum non est pronuntiandum mortiferum.* Quibus verbis semouet Comitolus omnem venereæ voluptatis sensum, neque admittit diuersum ab eo quem capere quis posset, ex osculo manus, aut vultus senis, vel lactentis pueri.

Qui non aliâ ratione afficeretur osculo mulieris, non damnarem peccati, excusarem etiam à culpâ, si præbeantur oscula vt olim in Ecclesiâ ad charitatem mutuo fouendam, & testandam, si absint à sensu voluptatis venereæ, vel à consensu in illam, cum consurgit, nec omninò extingui potest, sed est inuoluntaria. Prioris generis oscula, in charitatis ac beneuolentiæ argumentum vsurpata, videtur mihi sponsa commendare, quibus diuini Epithalamij caput vltimum orditur his verbis, *quis mihi det te fratrem meum, &c.* Huius alloquij animæ sanctæ, aut verius naturæ humanæ ad verbum æternum, nostrâ carne induendum, sensus est ex Delrio; tanto cœlestis sponsi visendi,

& fruendi æstu feror, & ferueo, vt omnis moræ impatiens, diem illum optem, qui mihi fœlicissimus illucescet, cum dabitur te coram videre, te amplexari, te osculari, quâ libertate solet castissima soror, fratrem adhuc matris vbera sugentem. Nec ex illis amplexibus, & osculis, vllo tangitur libidinis sensu, nec suspicionem aliis ingerit vllius inhonesti affectus.

Præter hoc innoxium genus osculorum, reliqua damnant Thomistæ cum suo Magistro, peccati mortalis; quæ aliquo libidinis sensu titillant huiusmodi oscula carpentem; quamuis non referat ad opus, seu ad copulam quamcumque fornicariam, aut adulteram, vel præposteram: licet enim, vt loquitur Schola, ex intentione operantis, non tendant huiusmodi actus libidinosi ad congressum, non tamen desinunt eò referri ex fine operis: quia vt profundè dicit S. Doctor quæst. citat. art. 5. ad 2. quamuis oscula, & tactus, vt seiuncta à copulâ sunt, vel illius appetitu, & sistunt in morosâ delectatione ipsiusmet actus, quatenus est pars, aut initium copulæ, non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine ad adulteriũ, ad fornicationem, aliasque luxuriæ species, ut est radix huiusmodi impedimenti; & ex hoc habent rationem peccati mortalis diuersæ speciei, provt tendunt ex fine operis, ad illos actus luxuriæ, cuius sint pars & initium, & ad illarum malitiam reuocantur, quamuis non referantur re ipsâ ad opus.

Hæc Caietanus subtilissimè & eruditissimè, nec minus cautè & castè explicat, soluitque argumentum Amadæi, quo in aduersam sententiam, nititur per summam injuriam trahere D. Thomam, vt laxatæ de castitate disciplinæ à suis auertat, & in illum deriuet inuidiam. Mirum est, illum vno verbo insinuare, & nullo refellere responsiones Caietani inexhaustæ eruditionis, ad suum hoc futile argumentum. Delectatio non est mala, nisi mala sit operatio vnde captatur: sed oscula & amplexus secundum se non sunt opera mala: Ergo non est mala delectatio, quæ ex illis captatur. Minorem dicit esse D. Thomæ & eius Discipulorum.

Sed non aduertit, tres esse huiusmodi actuum ad copulam præuiorum gradus. Primus est cum fiunt nullâ intentione, nec titillatione voluptatis; quo statu nihil mali

habent : secundus à primo summè distans, est cum præter adjunctam libidinem, toto impetu fertur ad commixtionem illegitimam, vt operis & operantis finem : tertius gradus inter hos extremos medius est, cum delectationi ex proprio actu quis adhęret ex fine operantis, licet ipse actus ex innatâ delectatione, tanquam suo pondere, feratur ad copulam, vt ad finem operis.

Primo gradu, oscula, & tactus, omnes eximunt à quocumque peccato : secundo omnes damnant mortalis: tertio verò gradu, quidquid dicat Amadæus, D. Thomas, eiusque Discipuli dicunt illis subesse peccatum mortale. Et contra hanc assertionem, vt legitimam D. Thomæ sententiam, multa obiicit Martinus de Magistris, quæ accuratè soluit Caietanus articulo citato : & expressam ait S. Doctoris mentem esse, oscula & amplexus propter solam delectationem tactus cum non suâ, esse peccata mortalia : quia consensus in huiusmodi delectationem, est consensus in delectationem fornicationis, quamuis non tendat ad opus : & licet ab eo qui huiusmodi actus exercet, auferatur relatio ad congressum, & futuram illius delectationem, non tamen potest fieri, quin ipsa quæ tunc consequitur delectatio, sit initium & pars illius, & eiusdem ordinis moralis cum illâ : ac proinde qui consentit in delectationem horum actuum, censetur consentire in delectationem concubitus : Nam si fruens delectatione fornicationis cogitatæ, peccat mortaliter ; non potest ab illâ noxâ eximi, qui consentit in delectationem fornicationis inchoatæ ; ac proinde osculum, & amplexus cum solutâ, propter solam delectationem, referuntur ad fornicationem, quæ in his continetur, vt finis in principio, vel totum successiuum in sui parte primâ.

Atque hinc facilè soluitur argumentum Amadęi : oscula & amplexus non sunt secundum se mala. Primo gradu constituta esto : secundo, & tertio, falsissimum est : imò sunt peccata mortalia, reducenda ad eam luxuriæ speciem, quò feruntur : & sicut delectatio morosa est peccatum mortale, quia procedit ex eodem motiuo, vnde existit concubitus, contra bonum naturæ, atque ita delectatio morosa de fornicatione adulterij sapit illius malitiam ; sic delectatio ex osculis & amplexibus, reuocanda est ad luxuriæ species, ad quas nata sunt inseruire, & suo pondere

feruntur; licet quis nolit vltra progredi, sed in solâ ex tactu, aut osculo, titillatione sistat.

Atque hinc etiam soluitur aliud Amadæi argumentum, quo contendit ex D. Thoma tactus & oscula non aliud genus malitiæ habere, quàm quod à futurâ copulâ mutuantur: hoc omninò falsum est: habent enim similem morosæ delectationi, quæ non desinit esse mortalis, quamuis non tendat ad ipsum opus. Sed grauior difficultas & calumnia nos ad se vocat.

Paragraphus Sextus.

Ostenditur immanitas peccati nefandi aduersus 12. Propositionem, quâ asseritur minus esse furto triginta regalium.

Placuit nonnullis veterum & recentiorum Scriptoribus, ludere & lasciuire, rerum vilissimarum aut deterrimarum encomiis. Quidam febrem, alij caluiciem, alij stultitiam laudandam susceperunt: quidam etiam pro Nerone & Busiride Apologias & Panegyricos scripserunt. Sed hi omnes videntur mihi leuius Auctoribus ab Amadęo relatis peccasse, hâc vnicâ propositione, quâ omnium Sapientum, omniumque gentium sententiâ, diuinis iudiciis, & castigationibus ac suppliciis confirmatâ, peccatum flammis expiandum, vix flagro dignum censent: cum infra triginta regalium furtum ponunt. Idque ex principiis D. Thomæ putant demonstratum, hoc argumento, cuius Author sit Vasquez Commentario in art. 4. quæst. 71. ex 1. 2. Peccatum censet S. Thomas eo grauius, quo nobiliori virtuti aduersatur; at furtum lædit iustitiam, quæ ex eodem D. Thoma pręstat Temperantiæ, cum quâ pugnat quæcumque species luxuriæ: Ergo furtum triginta solidorum grauius est quâcumque specie luxuriæ: iuxta illud, minimum maximi ordinis & generis superioris, maius est maximo ordinis inferioris: ac proinde furtum vnius aurei quod satis est ad mortale peccatum, superat incestum cum matre, bestialitatem, &c. Stupenda planè & nullo modo ferenda hæc ingeniorum petulantia, quæ nullis potest modestiæ & pudoris metis cohiberi. Quis non execretur illos,

illos, qui dum Theologiam moralem, id est, vitæ humanæ & Christianæ regulas scribere se profitentur, lasciuiunt magis, quàm Poëtarum & Sophistarum nequissimi, sibi permiserint in laudandis rebus ludicris & pessimis, ad ingenij exercitationem, & ostentationem eloquentiæ?

Quis explicare possit, hinc, quæ portenta errorum & vitiorum deducat genus illud Sophismatum? Argumentum quod refertur ex Vasquez, desidero in editione Antuerpiensi quâ vtor, siue id nunquam scripserit, siue pudor coegerit eradere: nec tamen puduit Amadæum, aut quos citat Auctores, propugnare & iactare. Errorum verò & scelerum quæ inde nascantur monstra, Lector! ex infinitis hæc pauca accipe. Argumenti in axiomate Philosophorum insinuato. vis posita est; quæ superioris sunt ordinis, vel illi aduersantur, meliora esse, aut deteriora, iis quæ infra iacent; si id vniuersim admittamus, nullâ adhibitâ restrictione, vt videtur contendere Amadæus; quid vetat, quin aliquis Sophista aut Probabilista concludat grauius peccari occisâ vnâ muscâ, quàm cœlo terraque in cinerem redactis? Eo enim grauior est ruina cuiusque rei, quo nobiliorem gradum occupat: Atqui musca viuit, ac proinde toto orbe aspectabili, eo discrimine præstat, quo animata & se mouentia, sensu, vitâ, & motu à se, carentibus: quidni inde conficias, peccatum vnum quid perfectius esse totius orbis compage, quia pertinet ad ordinem rerum incorporearum, quarum vel minima pars eminet supra res omnes corporeas?

Sed ne videar cum aduersariis ludere, aut insanire; setio & propius ad rem. Si vera sit vniuersim, nec vllâ distinctione limitanda propositio; non potest Amadæus quod præuidit telum, quamlibet nitatur, declinare; peccatum etiam veniale aduersum superiori virtuti, maius esse peccato mortali ordinis inferioris: hic enim vrget, minimum maximi, quale est veniale contra iustitiam, esse maius maximo minimi, quale est peccatum contra temperantiam.

Si dicas propositionem strictius interpretandam; cur easdem metas tuo non præfigis argumento; ne in orbem corruptelas, & libidines inducat, quibus expiandis opus fuit aquarum diluuio, & incendio flammarum? Atque vt tot mala, quæ inde prorumpunt, auertantur, Respondeo

primò ad argumentum : licet quæcumque bona superioris ordinis, & illis aduersa mala, si physicè expendantur, superent quæ sunt inferioris gradus; interdum tamen iuxta moralem æstimationem sunt longè postponenda. Ita physicè vna musca, omnibus vnionibus & margaritis præstat gradu vitæ : sed vnus lapis pretio vincit omne muscarum genus. Ad rem nostram adhibenda est hæc distinctio maximè cum diuersorum ordinum peccata venialia, mortalibus comparantur : licet secundum genus physicum, venialia superiori virtuti aduersa, genere vincant mortalia cum inferiori pugnantia : si tamen ex circunstantiis morali lance appendantur, vnum mortale infimi ordinis, præponderat omnibus collectim venialibus peccatis. Eadem distinctione soluendum est argumentum Amadæi; alias vt monui liceret inde inferre, non solum Sodomiæ, sed etiam bestialitatis, & incestus cum matre peccatum, decedere furto triginta solidorum; quod nescio an admissurus sit mortalium vllus.

Deinde hîc locum habet trita in Scholis solutio; quæ superioris sunt ordinis, superare quæ inferiori continentur; id verum esse, si vndequaque parium ineatur comparatio; secus est si varient; atque ita esse in re subiectâ, mox dicam ex S. Thoma.

Tandem altera propositio falsa est. Nam ex D. Thoma quodlibet præposteræ libidinis genus, non solum temperantiæ aduersatur, sed etiam grauius furto, lædit iura vitæ humanæ, cui magis nocere, aut prodesse potest, semen benè aut malè administratum, quàm bona suo domino seruata, aut furto sublata.

S. Doctor variis locis species luxuriæ distinguit, & comparat: hîc summam Angelicæ doctrinæ in eam rem paucis peistringam, vt Amadæi sophismata & calumnias depellam. Cum luxuriæ vitium, nimius sit venereæ voluptatis appetitus, illius malitiam S. Doctor repetit ex duplici capite, nempe ab inordinatâ concupiscentiâ, seu à potentiæ vitio: cum vir vxorē suam nimium deperit, & ex eâ sic captat voluptatem, vt videatur, rem cum ipsâ habere voluptatis magis quàm generationis gratiâ, quamuis nihil prætermittat eorum quæ conferunt ad finem generationis. Hunc defectum ait S. Doctor 2.2.q.154.art.1. spectare ad circumstantias accidentarias, quæ speciem minimè dent actui.

Alterum caput vocat S. Doctor actum per se inordinatumidque explicat comparatione ad obiectum, vnde speciem mutuatur; & tum accidit, cum cupiditas voluptatis, se cohiberi non patitur metis coniugalis congressus, sed diffluit in omne genus voluptatis & luxuriæ: atque is excessus ad duo capita reuocatur: primò cum quis solam voluptatem sectatur, nec generationem curat, imo impedit præposterâ, & præternaturali libidine; vel cum alienam appetit, vnde possit generatio existere.

Huius postremi generis species sunt fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, sacrilegium: quorum omnium sic differentias constituit S. Doctor. Cum actibus impudicitiæ, ex quibus sequi potest generatio, impeditur legitima educatio, id contingit, quod mulier non sit determinata viro, nec sua secundum legem Matrimonij; idque tripliciter accidit: Primò, quia non est determinatè sua, & hinc existit fornicatio, quæ est concubitus soluti cum solutâ, nomine sumpto à fornice, id est, ab arcu triumphali, sub quo prostabant quæ venale corpus habebant mulieres; vel nequit determinari, aut propter cognationem, in cuius reuerentiam abstinendum esset à venereis; & hinc fit incestus, quem S. Doctor definit concubitum cum consanguinea & affini: vel abstinendum esset causâ sanctitatis & puritatis; hinc oritur stuprum, quod est illicita defloratio virginum: vel denique mulier est sub alienâ potestate, idque aut secundùm leges Matrimonij, & ita congressus cum illa, est adulterium; aut iure dominij, & fit raptus: vt cum puella eripitur patri, cuius subiicitur potestati.

Harum omnium luxuriæ specierum grauitatem sic ordine, atque his gradibus recenset S. Doctor, vt minima sit fornicatio simplex, quod citra cuiusquam iniuriam fiat: ea verò non caret, si quis abutatur muliere alterius potestati subiectâ. Sed cum subesse possit ad solam custodiam, ideo leuius est peccatum stupri adulterio, quo quis abutitur vxore alienâ: & vtrumque peccatum augetur, si vis accedat; hinc raptus virginis grauior est stupro, & raptus vxoris adulterio: hæc omnia in immensum augentur, si sacrilegium accedat.

Libidinum verò præternaturalium (quod est primum diuisionis membrum) sic partitur S. Doctor, vt prima & omnium minima species, sit immunditia, aut mollities,

quæ tum fit, cum absque omni concubitu, causâ delectationis venereæ pollutio procuratur. Si verò concubitus accedat, triplex exurgit species, bestialitatis, copula cum re alterius speciei; Sodomiæ concubitu qui fit non seruato sexu; tertia est cum prætermittitur naturalis congrediendi modus His ita constitutis, immanitatem nefandi peccati demonstrat Articulo 12. discussu profundissimo, à discrimine quo ab aliis speciebus luxuriæ distinxit.

Grauitas peccati metienda est recessu ab æternâ lege, à synderesеos regulis, seu à ratione: quo enim inde longius abest, eò magis damnandum est, & execrandum. Atqui nullum peccati genus, isto magis exerrat à lege æternâ, à synderesi, & à ratione: Ergo nullum est execrabilius eorum, quæ in ius naturale, & humanum incurrunt. Ad demonstrandam secundam propositionem, obseruandum est, rationis & synderesеos tres, sicut aeris regiones constitui; supremam, qua principia iuris naturalis prima & immediata continentur, cuius generis est, semen partesque genitales à naturâ institutas esse, ad generis humani propagationem: media quasi regio habet conclusiones ex his primis principiis deductas, & omnibus obuias; qualia sunt præcepta Decalogi: tertia denique & infima, complectitur quæ superioribus appendent, præcepta, quale est illud, quo fornicatio prohibetur.

Hâc tripartitâ iuris naturalis diuisione, quasi certâ regulâ metiri licet peccatorum magnitudinem. Certum enim est, leuiora esse quæ postremi ordinis, quàm quæ secundi præcepta infringunt; & istis longè atrociora, quæ prima synderesеos principia transgrediuntur: & cum libido præpostera ad hoc postremum genus peccatorum pertineat, quæ longissimè recedunt à ratione, eiusque ne dum conclusiones, sed etiam ipsamet principia constituta à natura conuellunt, non potest negari citra cæcitatem, quin nefandum illud peccatum, præ cæteris, quæ ius naturale & humanum lædunt, sit atrocissimum.

Nisi Sophistam magis quàm Theologum agere placeret aduersariis, non dissimulassent quod ex D. Thoma retulimus argumentum: quo facilè euertuntur quæcumque afferunt, huic nefando peccato infra furtũ minuendo. Inde enim non solum argumentatio soluitur, sed in ipsos etiam Authores retorquetur: peccata ipsis synderesеos principiis

aduersa, ex suo genere longius à ratione recedunt, & sunt grauiora iis quæ tantum conclusionibus inde deductis repugnant: Atqui furtum est secundi generis, libido præternaturalis ad primum pertinet: ergo istud multis partibus præponderat alteri. Falsâ ergo lance appenduntur peccata, & sophistam, aut verius morum corruptorem agit, quàm sincerum Theologum, quisquis propositionem 12. defendit relato argumento.

Nisi iniuriæ genus esset conferre D. Thomam cum aduersariis, vellem, prudens Lector, vtrumque consilia expenderes: D. Thomas totus est in confirmandâ totius generis humani, de vitio teterrimo sententiâ, cui alij illudere visi sunt, dum futilissimis argumentis vellicant. Nero celebratis cum vno Amasio, & Ganimede nuptiis, spectante toto orbe, non minus totius generis humani execrationem meruit, quàm occisâ matre, & imperio latrociniis & cædibus exhausto: vnde vox illa optantis, pater Neronis illud vnum genus matrimonij iniuisset, & nuptiarum celebrasset, nec orbi importasset illud monstrum in naturæ dedecus, & hominum perniciem. At si cusoris noui ab Amadæo relati argumenti credimus, hoc perinde fuit, ac si Nero de triginta regalium furto sibi applausisset.

Paragraphus Septimus.

Ex principiis constitutis refelluntur plures Tractatus de matrimonio. Propositiones contra Castitatem.

Videntur malè conuenire cum seuerioribus Castitatis legibus aliquot Scriptoribus ab Amadæo citatis, quandoquidem illius virtutis insectandæ nullum finem faciunt, aut seruant modum. Matrimonium illi in perfugium & præsidium constitutū, vertunt in excidium: sed cum nostris animaduersionibus antidorum eorum veneno paremus, refellendæ sunt propositiones periculosissimæ, quas cum videantur in speciem agnoscere adeò horrendas, vt non ausint apertè probare, non tamen desinunt constitutâ probabilitatis securitate, ab vnius Doctoris suffragio, aut verisimili aliquâ ratione, permittere arbitrarium illarum

delectum, & tutum polliceri. Nos contra, periculosissimum esse, ex D. Thomæ principiis demonstratum imus.

Huius generis est ex Tractatu de Matrimonio.

Propositio quarta. *Coniugatum posse congressum Sodomiticum cum vxore incipere, non quidem animo ibi consummandi, sed intra vas naturale.* Nos ex D. Thomæ art. 5. & aureo in illum Commentario Caietani, docuimus actus ad congressum coniugalem præuios, quales sunt oscula, amplexus secundum sensus delectabiles, à naturâ comparatos, & etiam aliquâ voluptate perspersos, vt inseruiant generationi, à quâ si sejungantur, & sui causâ captentur, grauem & lethalem peccati noxam incurrunt. Hinc deducimus primò; falsam esse & periculosam quartam propositionem, *coniugatos posse absque culpâ lethali congressum posticum incipere.* Quidquid sit de aliis Authoribus, quos citat ex Sanchez & Diana, temerè inculpatur à Sanchez Nauarrus, huic propositioni assentiri, quod dixerit peccatum esse tactus impudici; quasi ex Nauarro, omnis tactus impudicus careat lethali culpâ, & sit tantum venialis: hoc omninò falsum est & indignum tanto Authore, & à mente alienum viri, *vtrique Thomæ*, vt ipse sæpius loquitur, addictissimi. Neque enim aliud sentit, aut sentire potest, quàm quod ab vtroque Thoma eodem loco didicit; contactum libidinosum resipere naturam congressus, in quem fertur, & cuius sensum anticipatum habet, quo delectatur: quandoquidem illum natura assumit, vt lenocinium venereæ voluptatis concessæ: Atqui hic de quo agitur Propositione 4. & 5. est initium, & illecebra peccati nefandi; Ergo ad illud pertinet, & inde trahit noxam lethalis peccati. Atque hoc argumento euincitur falsitatis quinta Propositio, cum idem contactus reuocetur ad præposteram libidinem.

Quoad Zanardum Dominicanum, non licuit explorare in eo citando, Amadæi fidem, quam suspicor insinceram, vt Dominicanis inuidia creetur, quem vnum series opusculi scopum præfert. Quidquid tandem sit, si vera referat, Zanardum vt à Magistri Scholâ hoc loco transfugam haberi volo. Exemplum verò contactus manuum, immanè distat à permixtione infanda; vt perperam assumatur in argumentum, honestando adeò turpi facinori.

Quod verò Propositione 5. infertur, *licere pœnitenti*

hanc turpitudinem congressus postici tacere, ex regulis D.Thomæ, eximentis peccatorem ab onere confitendi circumstantias, quæ aggrauant peccatum, non mutatâ specie: quo sensu explicanda sit hæc D. Thomæ regula, alio loco accuratius differemus. Interim obseruet Lector, nullam videri prætermittere occasionem notandi S. Doctoris: sed hoc loco grauiter impegisse Collectorem: nam congressus, aut contactus ille posticus, ex mente D. Thomæ circumstantia est, quæ speciem mutat, & peccatum fornicationis trahit ad genus monstrosæ libidinis.

Quod ad propositionem 6. pertinet, *quod coniugatus osculum carpit voluptatis causâ è secretioribus partibus, venialem tantum culpam esse, non improbabile tenet Syluius*: censeo tamen certum inter solutos, & probabilius, inter conjugatos habere noxam peccati mortalis quod longius recedat à lege naturæ, quæ oris oscula non pudendarum partium ad coniugalem amorem, & congressum instituit: & turpissima esse hinc constat, quod ipsos coniugatos maximè pudeat ea confiteri. Congressum verò solâ voluptatis causâ inter coniugatos, licet S. Raymundus damnet peccati mortalis, verior tamen & tuta D. Anthonini sententia, si nihil prætermittatur quod ad generationem conferat; veniale esse tantum peccatum, quod cum D. Thoma reuocauimus supra ad peccatum à vitio potentiæ & concupiscentiæ.

Horrendum est quod refertur Propositione 7. & apud antiquos obscœno verbo dicebatur *irruminare*: D. Thomas reuocat ad libidinem monstrosam, parem posticæ, & fortè peiorem; quare non mirum si Sanchez hanc assertionem, & superiores posterioribus editionibus correxerit, quas prima docuerat. Hinc Collector quâ datâ portâ, irruit in D.Thomam, & innumera congerit ab illo retractata, aut vt putat retractanda; quorum plurima, & ferè omnia excerpta sunt è diatribis de immunitate Cyriacorum, quibus respondere supersedeo, quod duabus Apologiis cumulatè id præstitum fuerit. Solum aduerto, scripti à D. Thoma retractationum libri, quo nominatim opinionem de Conceptione dicitur emendasse, aduocari in testes Carthagenam, & Ioannem Vitalem, vtrumque ex Minorum familia: deinde non bonâ fide quasi dimidiatum citari D. Thomam primâ parte quæst. 1. art. 2. ad 4.

quasi eo loci assentiatur in totum Aristoteli, zonam torridam reputanti propter æstum, inhabitabilem, cum in eo Articulo relata sententia Aristotelis, quam probabiliorem habet, addat cum summâ cautelâ, quasi futuri præscius: *quidquid autem de hoc sit, credendum est, Paradisum in loco temperatissimo constitutum esse, vel sub æquinoctiali, vel alibi.*

Reliqua malo tacere, quàm paucis refellere. Videndus est Pater Nicolai ad quæst.102.art.4. ad 6.ex 12. vbi eruditissimè refellit Theophilum de propitiatorio lapideo, quod magnam suspicionem dabat, nihil ab Amadæo differre.

Paragraphvs Octavvs.

In Propositionem 8. & plures sequentes.

PRopositione 8. *Coniugatum & coniugatam asseritur non teneri circumstantiam matrimonij explicare, si morosam habeat delectationem de copulâ cum solutis*; quia non censetur fides in matrimonio data extendi ad simplices delectationes, circa alienum cohibendas: ac proinde hoc peccatum eiusdem esse speciei, in coniugatis & solutis. Principium hoc improbabile est, ac subinde conclusio inde deducta tuta esse nequit: quia matrimonij vinculum non minus animum quàm corpus ligat, & magis affectu constat, quàm copulâ; Ergo alienæ nedum congressum, sed etiam desiderium, quacumque ratione illicitum, quale est ex morosâ delectatione conceptum excludit. Nec fieri potest propositio tuta & probabilis, opinione quam in subsidium vocat, illorum qui morosam delectationem de alienâ, imputant tantùm culpæ veniali: nam vt ipse refert Amadæus ex Purgatorio S. Inquisitionis damnatur hæc opinio *quasi periculosa & improbabilis*: magis excusari potest delectatio eiusmodi inter sponsos.

Nec eximi possunt à mortali, quos Propositione 9. ait *coniugatos voluptatis causâ contrectare partes secretiores*: quod vt cautè adnotat Zanardus, huiusmodi contrectatio habeat adiunctum periculum pollutionis. Sed longè periculosior est, quam sumit eadem Propositione ex Verricelli; *distinctio pollutionis à distillatione; vt istam liceat prouocare, etiam si fiat cum maximo voluptatis sensu, quod inde*

non verum semen, sed humor tantùm aqueus defluat, nihil conferens ad generationem: nam sibi facile quisque persuadebit, quod sentit à se decidere, aqueum esse humorem, atque inde aperietur porta mulieribus, sese omni religione semotâ contrectandi, ex opinione quæ obtenditur probabilis, nihil habere veri seminis, quod ad generationem conferat, ac proinde hominibus negatam, sibi concessam esse facultatem, sese voluptatis causâ contrectandi.

Quidquid tandem sit, seu mulieris semen, materiæ tantùm vicem habeat ad generationem, seu vim aliquam ad id exerat; harum physica opinionum, vt sic loquar, probabilitas, nihil nocet huic assertioni certæ moraliter: mulieri perinde ac viro prohibitum, ne prodigat, quod cum voluptate non minus intensâ, quàm quæ à viro capitur diffluit, & necessarium est ad generationem. Quo exhausto, seu distillationibus, seu pollutionibus (neque enim de nominibus curandum est) certum est generationem impediri.

Hinc agnoscat prudens Lector, quàm periculosa sit regula cuiuscumque probabilitatis securæ. Idem periculum ostentat; & barathrum inferni euidenter probat esse authoritatem alicuius Doctoris, additâ verisimili ratione, quia ista non desunt, iis quas refert Amadæus opinionibus, de fluxu seminis fœminei post copulam ciendo propositione 10. Neque obtendi potest ad probabilem securitatem, quæ illâ propositione prętexitur, copulæ consummatio, si semen è corpore constet difluere: tum enim omnino inutile sit ad generationem, ex quo capite repetitur omnis culpa pollutionis. Vellem adnotasset, ex quo Paludani libro depromptum sit, quod ex illo refert Margarita, aut verius sterquilinium Confessorum, *fœminam non peccare mortaliter, si statim post copulam mingat; vel se erigat, vt semen emittat: sed qui malè agit odit lucem*, & venenum propinatur, Paludani authoritate quasi illitum melle, nobisque imponit laborem intolerabilem, totum Paludanum decurrendi, vt illius citationis fidem exploremus.

Quoad Propositionem 11. obseruo, cum pertineat ad ius positiuum, sicut ipsa cognatio spiritualis, ab opinionum probabilitate minus hic timendum esse, quàm in rebus iure naturali constitutis, quia vix aut nunquàm, hîc habet locum excusatio ab ignorantia. Responsio Durandi mihi

videtur tuta, nec dissentire à titulo Authoris resolutissimi quo donati solet. De hac ergo Propotione *an coniuges qui post matrimonium contraxerint spiritualem cognationem, possint licitè debitum petere & reddere*, sic respondet, si contrahatur ex necessitate cognatio spiritualis, non impedit vsum matrimonij reciprocum aut mutuum : si verò citra necessitatem inita sit; id contigit aut per ignorantiam; & sic nihil vetat reddere, imo nec exigere debitum : aut per fraudem ad insidiandum matrimonio, inducta est cognatio; & tum illius fraudis reum, necesse est pœnitere admissi delicti : quidam addunt fraudis comperto licere debitum reddere, non exigere; quod quamuis sit probabiliter dictum, non tamen extat in iure expressum quo caueatur, ne debitum petat. Duodecima Propositio deducitur ex duobus principiis explicandis tractatu de Pœnitentia: eius itaque examen in illum locum differatur.

Propositione 13. an *qui adstrictus voto castitatis matrimonium contraxit, & semel consummauit, possit deinceps debitum petere, ac si nihil vouisset*, perperam abutitur Amadæus authoritate D. Thomæ ad illi adstruendam securitatem. Quia constans est S. Doctoris sententia, falsam & aduersam legi opinionem, numquam excusare à peccato, si Doctores diffideant : at in re subjectâ ipse censet petentem peccare mortaliter: Ergo non excusat, immo damnat illum peccati mortalis Sic enim habet Quodlibeto tertio art. 18. *Mulier quæ post votum simplex continentiæ, matrimonium contractum carnali copulâ consummauit, iam non peccat reddendo debitum viro. Sed an peccet exigendo debitum, dubium videtur; quibusdam dicentibus, quod etiam absque peccato exigere possit; sed verius videtur* : inquit S Doctor *quod non peccat reddendo, peccat autem exigendo*. Ergo ex regulâ D. Thomæ & ex ipsius verbis expressis, peccat mortaliter : quandoquidem sequitur opinionem laxiorem contra legem, & fortè reipsâ falsam. Improbabile autem censeo quod refert Amadæus ex Nicolao Moscicensi Dominicano, & ex Gesualdo Capucino; quia incurrit in regulam à D. Thoma constitutam. Tabiena autem non fauet propositioni, quia negat esse votum castitatis, & simplex tantum propositum admittit.

Desidero diligentiam Amadæi, quod non referat locum Caietani, quem carpit Catharinus, & suspicio vehemens

eſt, vtrumque Caietano calumniam inſtruxiſſe, quod locum taceant, ex cuius lectione timebant, ne calumnia euaneſceret.

Paragraphus Nonus.

In Propoſitionem ſecundam eiuſdem Tractatus de matrimonio.

SI cætera deeſſent argumenta, quibus palam fierent pericula vagæ probabilitatis opinionum, illa demonſtraret 2. Propoſitio, Authore Salas, quâ matrimonij licitè contrahendi copiam facit Religioſo profeſſo, qui iudicio ſibi probabili, credit factam ſibi à Deo reuelationem de diſpenſatione voti caſtitatis. Hoc nouum paradoxum Salas aliquot exemplaribus primæ editionis Barcinonenſis in orbem inuexit, ſed timidè; & cenſuræ metu, ab aliis exemplaribus & editionibus ſubduxit. Sed Cabrera illius æmulus, cum quo acerrimas Scholæ ſimultates exercuit tanquam clandeſtinum & furtiuum illius partum aggreſſus eſt. Neque à Salas conſilio abeſt Amadæus; nam ſi ex animo improbabile reputabat, vt videri vult, debuerat impugnare non munire commentitiis D. Thomæ teſtimoniis, & exemplo mulieris, cui probabiliter primum virum defunctum reputanti, dat ius ſecundarum nuptiarum. Ex falſiſſimo fundamento periculoſiorem deducit aſſertionem: vtrumque paucis demonſtro.

Quod ad fundamentum aſſertionis pertinet, multis peccat Amadæus. Diſſimulat ſtatum quæſtionis, in hoc poſitum: an mulieri probabiliter credenti, primum virum obiiſſe, ſed probabilius opinanti, adhuc eſſe ſuperſtitem, liceat alterum inire matrimonium. Hoc nec Syluestro, nec vlli vnquam Thomiſtarum, aut Theologorum venit in mentem, nec defendi poteſt; & conuellitur tum ratione communi diſputatione ſuperiori primâ claſſe argumentorum explicatâ, confligentibus inter ſe opinionibus, ſtandum pro magis probabili, quæ legi fauet, neque aduerſam eſſe probabilem, niſi (vt loquitur Mercorus) probabilitate impeditâ, quam nefas ſit in vſum reuocare: tum ratione ſingulari ex regulis Iuris, dum res dubia eſt

vtrinque & probabilis, matrimonio iam inito esse fauendum. Quare falsum est ex D. Thoma, aut vllo eius discipulorum, dum res controuersa est, idem esse iudicium probabile, prudens & firmum: idque multis contra recentiores demonstrarum est.

Sed vt solet conclusio præmissis debiliorem fidem, & probabilitatem facere, ita longè periculosius est matrimonium, à religioso ex præsumptâ reuelatione dispensationis tentatum, quàm à muliere repetitum, ex probabili iudicio obitus primi viri. Quis talia fando vnquam audiuit, aut quod ex totâ antiquitate simile occurrit exemplum, nisi ad huiusmodi reuelationes reuocemus matrimonia sacrilega Apostatarum, qui è Monasteriis & Claustris excesserunt, eiuratâ religione, & castitate?

Præter hos Apostatas, nullum legi vnquam, qui se tutaretur reuelatione à Salas confictâ: nec sibi probabile iudiciũ diuinæ reuelationis, aut quid illâ certius deesse credent, qui pèr plures annos, nec ieiuniis, nec vigiliis, & precibus pepercisse, & nihil non tentasse, castitatis quam vouerunt seruandæ causâ putant, nec tamen sunt assecuri. Quidni post ista, illud Apostoli verbum quasi oraculum cœleste sibi probabiliter assumant: *Melius esse nubere, quàm vri?* Certè iudicium hoc tot experimentis verisimile est, cum Deus omnes homines saluos velit; & votum hoc castitatis impar suis viribus, impedimento sit ad salutem, citra vllam culpam ejurari posse, immò & debere. Quare certius omni reuelatione probabili, credent sibi à Deo in remedium concupiscentiæ, & salutis securitatem, concessas esse nuptias. Aliud genus reuelationis non noui. Quæ verò inde impendeant mala melius quisque reputabit, quàm ab vllo explicari possit. Quare Amadæus, vbi in Dominicanos exemplum hoc & paradoxum impegit, vtrumque damnat.

Nullibi sui in probabilitates & Dominicanos affectus apertiora edidit argumenta, quàm hoc loco, cum ex D. Thomæ, & Thomistarum principiis, tentat excerpere, iudicium probabile synonimum esse, cum certâ & firmâ credulitate. Sed mirare, Lector, hominis consilium: quæ probabilitati subesse potest (vt sic loquar) debilitas aduersa firmæ credulitati, ea maximè obtinet, cum de re aliqua temerè iudicamus? Quid enim repugnans magis iudicio pru-

denti & firmo, quàm temerariū, de quo Caietanus agit eo loco Summæ Titulo *Iudicium temerarium*, vnde testimonium depromit Amadæus? Sic enim habet verbis ab ipsomet Amadæo relatis. *Quamuis credat firmiter & temerariè, non peccat mortaliter*: quid est hoc *firmiter & temerariè* credere? Ex Caietano ista conueniunt, ad Amadæi mentem capitaliter pugnant. Caietanus vocat iudicium firmum & temerarium, quod peruicaciâ magis animi nititur, quàm vi argumentorum: id verò firmum est Caietano: prudens autem (quod contendit Amadæus) esse nequit, nisi stultissimo, cui peruicacia, summa prudentia fuerit.

Nec sincerius aut felicius, D. Thomam quàm Caietanum aduocat in testem, aut adjutorem, ad suum institutum. Si quis sit minimæ omnium, magisque incertæ, ac nutantis probabilitatis locus, post iudicium temerarium (de quo Caietanus) secundum obtinet correctio fraterna, de qua S. Doctor accuratissimè disputat 2.2. totâ quæstione 33. Id verò officium charitatis adeò pro tempore anceps, & mutabile est, vt in eo implendo, planè *suspenso pede, & anhelitu temperato*, vt loquitur D. Hieronymus de D. Antonio speluncam D. Pauli subeunte progrediendum sit, & prudentia serpentis de Christi diuinitate dubij, anxiéque in illam inquirentis imitanda, & quod Ambrosius de illo scribit, nobis vsurpandum sit, id est, vt tentemus explorando, & tentando exploremus, & provt spes emendationis affulserit, vt vrgeamus, vel omittamus, in aliud tempus differendum, si periculum sit ne quid peius contingat.

Hoc docet S. Doctor totâ quæstione citatâ, maximè art. 8. responsione ad 1. his verbis: *Post admonitionem secretam, semel vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione, per secretam admonitionem procedendum est. Ex quo autem probabiliter iam agnoscere possumus, quod secreta admonitio non valet, procedendum est vlterius, quantumcumque sit peccatum occultum, ad testium inductionem: nisi fortè probabiliter æstimaretur quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur, quia propter hoc, est totaliter à correctione cessandum.* Diceres D. Thomam in corrigendis fratribus, velle nos agere peritos naucleros, qui omnem ventum captant, vt vela pandant, obuertant, aut demittant, provt secundus, vel contrarius ventus afflauerit. Miror Amadæum confectam rem putare, & apud

D. Thomam se demonstrasse synonyma esse, *firmiter, probabiliter, ac prudenter existimare*. fortè quod ter paucis verbis τὸ *probabile* vsurparit: atque inde periculosissimâ consecutione contendit, votum castitatis quo firmatur status religionis, perinde mutandum, ac officium fraternæ correctionis, cum tamen illo nihil firmius esse oporteat, istud singulis momentis, ex minimâ etiam suspicione omitti, aut differri possit.

Inde collige, prudens Lector, quo impetu Amadæus transuersus abripiatur, æstu probabilitatis versatilis, cui firmitatem & prudentiam assertam cupit, iisdem testimoniis D. Thomæ & Caietani, quibus eius consilium euertitur. Quid enim repugnans magis prudentiæ, firmo iudicio ex peruicaciâ, quod ipsemet Caietanus temerarium vocat? Quid magis alienum à loco D. Thomæ citato, quàm firmitatem asserere suspicioni vel minimæ, cuius causâ docet consilium correctionis fraternæ aliquando intermittendum, vt opportunius tempus captetur? Inde etiam agnoscet Lector, quâ inopiâ testimoniorum ex D. Thoma, & eius Discipulis laboret Amadæus, cum ex tot voluminibus, in quibus versatissimus vult videri, nullum potuerit reperire, præter illa duo loca, quæ eius assertioni apertè aduersantur. Sed famelico nullus insipidus est panis, sitibundo aqua turbida ambrosia est, iratus obuia quæque etiam sibi infesta arripit in arma, quibus se conficiat, vt vellicet aduersarios.

Nec dubium magis passus est eâdem propositione, sibi esse animum remotum à Dominicanis, & in probabilitates propensum. Nam vbi sensit dispensationem voti castitatis monasticæ ex probabili reuelatione inuidiosissimam esse, ingerit disputationem quam putat Doctoribus acceptiorem, & magis incommodam Dominicanis, de dispensatione voti solemnis authoritate Pontificiâ. Nec satis fuit futilissima congerere, quæ iam disputatione superiori contra Caramuelem soluta sunt, & occupata meliora, quæ proinde omitto, ne crambe bis coctâ cruciem Lectorem.

Refert ex Corrado verba à Syluestro mutuata, quod putet summis Pontificibus iniuria esse, ac proinde conflatura odium Dominicanis, quasi Pontificibus genuinum passim infigant, & cum D. Thomæ causa priuata agitur, illis sit antiquior totius Ecclesiæ salute. Refert iterum

Corradum Dominicanum ausum scribere, *Summum Pontificem se vidisse facientem maiora cum scandalo totius Christianitatis:* quasi nullus alterius Ordinis potuisset similia proferre, & nesciret orbis Christianus, Ocham Franciscani Dialogos sexaginta dictum in S.Pontificem editos. Sed quid peccauit Syluester in Pontificem Romanum, cuius fuit administer & vindex fortissimus, qui primus omnium Theologorum calamum distrinxit in Lutherum? Scripsit, inquit, verba relata ex Corrado, quæ animus horret legere: sed cur ad inuidiam; (ne dicam per summam calumniam) subticuit, quam addit Syluester distinctionem facti, & decreti Pontificis? Illud ait interdum damnandum, & ipse testis ac pars magna fuit Pontificatus Alexandri VI. qui grauiorem censuram commerebatur, nec suum sensum de administratione adeò corruptâ aperire, putauit reuerentiæ in Sedem Apostolicam grauem esse noxam.

Et re vera ita est, neque enim de Pontificibus, ad illorum & Ecclesiæ bonum, & gloriam refert sentire, quod quidam de Catone scripsit, eò prouectum magnitudinis, vt nihil eius virtuti & famæ, ebrietas noceret; quin ipsam ebrietatem posset honestare. Nos secus de Pontificibus censemus, eò atrociora esse vitia (si quibus laborent) quo sublimius fastigium occupant. Et summè mihi placet, alias lectus Hieronymus à Narnio Capucinorum decus, qui Præfatione ad Conciones apud Summos Pontifices habitas, scribit eas fore validæ Apologiæ loco aduersus calumnias Hæreticorum qui Summos Pontifices inclamant velle etiam sua, suæque aulæ vitia penè adorari: cum his Concionibus testatum faciat toti orbi, se in aulâ Pontificiâ multis annis concionatum, nulli cuiusquam vitio pepercisse: idque nedum impunè factum à se, sed etiam summo Pontificum ac Cardinalium applausu. Quid ergo sacrilegij admisit Syluester, quod attentâ priuati hominis ratione, dixerit Alexandrum VI. multo peiora dispensatione Voti solemnis fecisse?

Paargraphvs Decimvs.

Contra decimam quartam Propositionem.

Det veniam Lector, ista extra controuersiam posita, aut leuiora fusius prosecuto: in vitium vitio coarctamur alieno; nec minus periculosum, & ad casum prærupium est Propositione 14. si accuratius examen instituerem, & refutationem eorum, quæ ingerit Amadæus, cum cruce lectorum. Sed harum molestiarum aliquod leuamen fore existimo, si D. Thomæ Amadæo vbique, sed hâc potissimũ quæstione dissimillimi, aduersas eius vitiis dotes, paucis subiiciam. Cum Theologia posita sit quasi media, inter traditionem Christianam, & supra humanam Philosophiam emineat, is est Sanctissimi Doctoris mos perpetuus, ne quidquam sibi permittat statuere, inconsultâ traditione magistrâ: quæ verò certa fidei recepimus mysteria, conuenientissimè explicat & defendit, aduocatâ in obsequium fidei Philosophiâ.

Et ne per plura discurram commendandæ huic methodo, & sapientiæ Angelici Doctoris; argumento sit ex Deiparâ Matre Verbi æterni, & ex Matre Anna, Virginis conceptio. De hac postremâ, nihil suo priuato affectui sibi permisit scribere, eorum quæ suggerebat pietas; veluti conuenientia, quæ nec Scripturæ testimoniis, nec SS. Patrum, & eorum qui se præcesserunt Theologorum, suffragio, non posset confirmare. Si quid iis præsidiis minus munitum occurrit, aliis Theologis disputandum reliquit, aut Ecclesiæ definiendum; nec huiusmodi inuentorum gloriam aucupatus est, sed vnum Doctoris communis, quod tritâ viâ incederet, titulum perpetuæ traditionis tenacissimus ambiuit.

Quod ad generationem Verbi attinet, auidissimè arripuit opinionem Aristotelis, generationem humanam solâ vi seminis virilis, nullo fœminæ admixto, absolui reputantis. Nam præter quod se vbique addictum Aristoteli profitetur, hîc placuit magis Peripatetica sententia, quàm Hippocratis & Galeni, qui ad generationem hominis semen fœminæ requirunt, perinde ac viri, cum sensu voluptatis decisum: quod hæc Philosophi opinio Virginitati Deiparæ

Deiparæ admodum consentiret, & citra miraculum eius Virginitatem expeditè defenderet. Nam si mater semen ad formandum fœtum nullum conferat, sed dumtaxat sanguinem, non menstruum, sed defœcatiorem, qui vices materiæ non efficientis obeat; Virginitatem Deiparæ sartam, tectamque seruamus, nullo concupiscentiæ sensu lacessitam, vel nouo aliquo miraculo extinctam libidinem. Eâ de causâ manibus, pedibusque in sententiam Aristotelis itum est à D. Thoma, eiusque discipulis vno puritatis virginalis tuandæ studio. Aliis visa est probabilior opinio Hippocratis, vbique semen vtrinque necessarium, cum voluptate resoluendum requirentis; sed in Deiparâ extinctum concupiscentiæ sensum, eodem genere miraculorum, quo viri semen suppletum est, quo ablatum pondus prolis, dum vterum ferebat, quo compressus est dolor partus. Hanc opinionem non negamus probabilem, & insinuatam à Caietano ad Articulum 5. Quæst. 31. ex 3. parte, iisdem verbis elegantibus, quæ refert Amadæus, & falsò negat extare editionibus post annum 1570. nam ea habet Lugdunensis, quâ vtor, anni 1581. Omnes facilè agnoscent minus expeditam Hippocratis opinionem Peripateticâ, ad Virginitatem Deiparæ, nullo ex hoc capite necessario miraculo defendendam.

Delibatâ filij Conceptione priori, ab altera matris omnino abstineo. Duo tantùm moneo, legitimos D. Thomæ discipulos (quamuis id totis viribus contenderint) non potuisse receptam de Conceptione opinionem, hactenus deprehendere in vllo ex legitimis Magistri operibus, nec ex ipsius doctrinæ principiis eruere. Aliud addo, idem Doctori Angelico SS. Patres legenti contigisse. Sed Amadæus asseuerat extare apud D. Thomam multis locis, SS. verò Patres ait Eusebium Nerembergium duos supra viginti se reperisse, qui expressis verbis hanc Deiparæ immunitatem tradiderint: longè felicior est Petrus de Alua, qui plures de hâc re affirmat libros & tractatus scriptos à SS. Patribus, quàm extent litteræ, aut litterarum apices in D. Thomæ supra viginti ingentibus voluminibus. Quid nos ad ista? Obmutescimus, nostramque & D. Thomæ cæcitatem incusamus, & lumen illi cœlitus datum gratulamur.

Memini me legisse apud Bannem, florere in Hispaniâ

genus quoddam hominum, qui cæteris mortalibus oculorum perspicaciâ præstant, & quorum nos summã tantum partem attingimus, illos acutius lince secretiores partes introspicere, atque eo lumine quasi innato, nullâ arte magicâ auri Venas, & Thesauros terræ visceribus reconditos, non aliquo tantùm signo, sed visu etiam deprehendere solitos. Gaudemus istis Auctoribus, aliisque recentiorum multis, collatum lumen, quod sibi negatum fatetur Bernardus. Sed timeo ne grauissimus Theologiæ locus aduersus hæreticos ab authoritate SS. Patrum apud illos vilescat, & omnino eleuetur, dum audiunt apud veteres legi expressis verbis tradita, quorum credebatur superioribus sæculis, nequidem illis vnquam in mentem venisse.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Confirmantur superiora ex Salmanticensibus.

HActenus Doctoris Angelici, & eius Scholæ, mentem interpretati sumus, de officiis iuribusque castitatis: quorum præcipuum, & cæterorum veluti basim statuimus, innatum, & lege diuinâ præscriptum, omnis venereæ delectationis extra coniugii fines, adeò acre & necessarium odium, vt si vel minima voluptas libidinosa captetur per sese, nec aliud agenti præter mentem obrepat, illius sensus voluntarius nequeat à lethali peccato excusari leuitate materiæ, quâ vitiorum cætera ferè omnia genera è mortalibus venialia euadunt. Licet hoc castitatis ius singulare pro virili illustrarim & confirmarim: tamen cum sicut sapienter Patres Salmanticenses excalceati ad 10. disput. de Pecc. quæstio hæc communissimè obuia sit, à pluribus tacta, à paucis comprehensa, & forsan à nemine satis distincta; ne iisdem tenebris obuoluatur, visum est Religiosissimis, & eruditissimis Patribus, pro illius elucidatione allaborare.

Hîc mirari subit, quid sit, quod cum Amadæi toto hoc cui respondemus, opusculo consilium sit, & ferè vnus labor, propositiones pro commodo contra legem, munire D.Thomæ & discipulorum eius suffragiis; nullibi Salmanticensium, meminerit nobilissimæ discipulorum S.Thomæ portionis, qui de rebus moralibus duos iamdiù in 1. 2. To-

mos ediderunt: neque alia huius silentij causa multa cogitanti occurrit, quam quod è disputationibus illorum nihil excipere potuerit suo instituto opportunum: adeò cautè & sanctè scripserunt de moribus, maximè de castitate, vt inde agnoscas Sanctissimæ Virginis Theresiæ filios, & Angelici Doctoris discipulos esse, ac vindices dignissimos. Non omittam cuius mihi in mentem venit, coniecturam; nisi scirem Amadæum re & nomine differre à Petro à Clausa-Valle, vel à Theophilo, qui scripsit libello de immunitate Cyriacorum, *Patres excalceatos Carmelitas in D. Thoma verba iurasse, vt sibi ac suis*, sicut loquitur, *stomachum facerent, crederem etiam inde ex stomacho statuisse, nequidem memorem esse nominum eorum per labia sua?*

Sed ad rem: non ingratum & inutile puto fore Lectori, si paucis perstringam, quæ illi tota appendice fusius prosequuntur. Tria verò præstant multâ eruditione & prudentiâ: paragrapho 1. obseruationes præmittunt ad quæstionem 2. dirimunt controuersiam, duobus postremis inde deducunt maximæ vtilitatis consectaria.

Paragraphvs Primvs.

Duæ ad quæstionem obseruationes de natura, & grauitate delectationis venereæ.

Disputationis, vt monet Tullius, exordium sumunt, à voluptatis de qua agendum est, definitione: qua seiungitur à quacumque alterius generis delectatione, siue mente, siue corpore perceptâ. Equidem si generatim qua latè patet, delectationem accipiamus, his verbis describi potest; *est affectio à re appetibili, seu conuenienti profecta in facultatem, absentis auidam, præsente lætam, cum illi fruenda est idonea.* Nam, vt obseruant Salmanticenses, quamlibet res sit per se bona, & appetibilis, nisi facultas ad illam capescendam, & fruendam, sit aptata, fastidium magis parit quàm voluptatem; vnde ab Augustino verè dictum, *palato non sano pœnam esse panem, sano suauem; & oculis ægris odiosam lucem, puris gratam & amabilem.*

Sed cum delectationi adiuncta sit aliqua immutatio facultatis, à re præsente, & coniunctâ sibi quâ fruitur; triplex

exurgit genus delectationis, iuxta totidem immutationum gradus: primam omnium minimam vocamus intentionalem, quia sola emissione speciei efficitur; eaque videtur sufficere ad operationem sensuum subtiliorum, quales sunt visus, auditus, & fortè etiam olfactus: nam probabilius est, sensibile longius à sensu positum, posse illum afficere, prout conueniens fuerit, aut dissonum, voluptate, aut dolore: atque ita res procul visa, vel à remotioribus locis, auribus, & olfactu excepta, licet intercapedo loci fortè impedimento sit, ne in illos sensus Physicas immittat qualitates, verius est & experimento comprobatum; solâ specie sui emissâ illos oblectare posse, aut vexare. Huius generis immutatione immortalia Beatorum & damnatorum corpora, iuxta D. Thomæ sententiam, à rebus conuenientibus aut infensis, felicitatis aut damnationis partem, id est gaudium excipient, aut pœnas patientur.

Sed quamdiu passibile est, & mortale corpus; dolor, & voluptas sensuum, maximè crassiorum, quales sunt gustus & tactus, adiunctam habent immutationem physicam, quæ secundum constituit gradum delectationis, eaque latè diffunditur per omnes sensus, & partes corporis: quatenus ex primis & secundis elementorum & mixtorum qualitatibus, ex lenitate, mollitie, aut duritie, rerum sensibilium afficiuntur, prout ipsis conueniunt aut aduersantur. Hanc vocamus delectationem naturalem, per omnes corporis partes, nec secretioribus exceptis, diffusam: quæ vt monet D. Thomas 2. 2. qu. 154. art. 4. expers sit boni aut mali moralis, indifferens ad vtrumuis, quæ indiscriminatim, & veluti necessariò sensibus percipitur, admoto sensibili.

Tertij generis gradus delectatio est, de quâ disputamus, venerea & libidinosa: quæ præter immutationes duas explicatas, tertiam habet singularem, ex serosi humoris, siue seminis, & spirituum generationi inseruientium motu: atque hinc venerea delectatio ab aliis, tum animi, tum corporis delectationibus secernitur. Nam aliarum nulla habet, quæ isti propria est, immutationem aut delectationem, quâ semen & spiritus ad generationem comparati cientur, cum libidinis sensu: quare aliæ delectationes quâcumque corporis parte excipiantur, innoxiæ sunt; nihil enim mali habet rosæ contrectatio, neque

cuiusquam rei, quamlibet mollis & teneræ, quâcumque corporis parte, nisi accedat prouocatio aliqua seminis, & periculum, aut appetitus illud spargendi extra coniugij vsum: vnde fit illud delectationis genus, certæ parti corporis ad generationem institutæ conuenire, & ab aliis, imo ab ipsâ voluntate, omnino excludi, nisi quatenus est, & dici solet inclinatio totius suppositi, quæ tum commune omnium, tum priuatum cuiusque partium bonum appetit & curat.

Quæcumque ergo immutatio aut delectatio, seiuncta à prouocatione illius serosi humoris, caret vitio & periculo venereæ delectationis: illud verò maximè imminet à calore, quo hæ partes abundant, & facile cietur: nam quo actuosior est, iuxta agentium actiuorum leges, eo minus ad resistendum valet. Hinc crebrior est harum partium commotio à natura caloris. Hinc etiam longiùs absunt ab illo motu & periculo, quibus à senectâ, à morbis, vel à castigatione voluntariâ corporis, hæ partes destituuntur ingenito calore. Hinc tandem concludunt nominati Theologi; quodcumque inest malum aut peccati periculum, osculis, amplexibus, aspectui, & aliis id genus, non existere à primâ immutatione, quæ beatis & immortalibus corporibus competit, neque à secundâ quæ per omnes partes corporis diffunditur, sed à tertiâ quæ certam sibi sedem vindicat in lumbis & renibus. Hæc de primâ obseruatione.

Alteram quæ vix seiungi potest à controuersiæ iudicio, sequenti paragrapho explicabo.

Paragraphvs Secvndvs.

Dirimitur Controuersia.

Secundo obseruant Salmanticenses, grauitatem aut leuitatem culpæ ex delectatione libidinosâ à duplici capite repetendam esse: nempe pro ratione affectus, quâ quæritur, vel pro ratione rei, ex quâ captatur delectatio: Ex 1. capite grauis est, si magno impetu & ardore: leuis, si remissè & languidè quæratur. Ex altero capite, grauis censetur voluptas captata ab illicito concubitu, & fluxu seminis, vel magnâ spirituum commotione: leuis quæ

percipitur per transennam, ex conspectu & contactu. His constitutis; certum est delectationem ex vtroque capite grauem, & quæsitam extra coniugium, lethale esse peccatum: Perinde etiam verum est, & apud omnes Theologos certum, voluntariam delectationem deliberatè, quamuis languidè quæsitam & captatam ex obiecto graui, ad lethale peccatum imputandam: quia inuoluit consensum in rem grauem,& suo genere lethalem. Quid verò censendum,si res vnde captatur voluptas lib dinosa, leuis sit, & languidè appetatur? Ad hoc duo respondent Salmanticenses: licet opinio, quæ hanc voluptatem excusat à peccato, non careat probabilitate speculatiuâ, tutiorem tamen reputari, quæ peccati lethalis damnat eam delectationem; si tamen expresè per se quæratur,& ipsius vnius gratiâ, causæ admoueantur. Nam si obrepat potius aliud agenti serio, aut ioco, nec eam aucupetur, excusant à lethali. Asserti vnam habent rationem;nempe periculum incidendi in grauius luxuriæ peccatum, si quis datâ operâ sectetur delectationem veneream: quamlibet enim minima, velut inchoamentum quoddam fluxus est seminis,illud ciet, commouet spiritus, & ex modicâ scintillâ ingens conflatur incendium.

Aduertunt autem, Theologos hac in re ambiguos, incertos, & quasi lubrico itinere cespitantes: Dianam quidem obseruat Caramuel Theolog.moral. 1051. sexcenties admittere quantitatem leuem in materiâ venereâ, semel aut iterum negare: nec magis sibi Sanchez constat; nam disp. 4. num. 9. editionis 1. expressis verbis docet dari posse delectationem veneream, quæ si absit periculum consensus in fluxum seminis aut actum, non imputabitur ad lethalem culpam: posterioribus editionibus hæc verba erasa sunt, illisque suffecta retractatio satis incautè, quia aliis locis eandem habet doctrinam,quæ tamen non fuere correcta. Ex quo habes emendationes, seu retractationes, quarum Amadæus Sanchem facit Authorem, eo defuncto, fuisse ab aliis insertas, præter Authoris mentem, & contra ea, quæ iisdem libris expresè docet: quare vel abstinendum erat ab Authore emendando, vel quæ improbantur, non erant vno loco eradenda, quæ aliis extant, & leguntur omnibus editionibus, secundum certam mentem Authoris, quæ probant adiectitias, &

alienâ manu appositas retractationes. Nec solum eo modo vel Argumento de castitate, tentatæ sunt correctiones huius Authoris; Alias obseruat Cardin. Delugo tom. 2. de Iustitia disp. 16. intrusas adeò intempestiuè, & præposterè, vt inducatur Sanchez referre transacti ones, quæ non nisi triennio post eius mortem, latæ sunt. Sed ad nostra redeamus.

Paragraphvs Vltimvs.

Resoluuntur varia de Castitate difficultates.

APpendicis initio obseruarunt Salmanticenses ex S. Thoma qu. 15. de malo, art. 2. ad 8. rerum & actuum de quibus hic disputamus, duo genera esse; quædam luxuriæ turpitudinem insitam habent, alia veluti adiectitiam, quia sunt illius peccati causæ proximæ, aut remotæ: & prout in illud influunt, graues aut leuiores reputantur. Et ad totius controuersiæ lucem §. 4. causarum libidinem cientium, tres distinguunt ordines. Primò constituunt leuiores, quæ per se vix sufficiant, ad immutationem libidinosam, nisi aliæ accedant, in quas referendus est, si acrior motus, aut fluxus sequatur. Ad id genus causarum leuium, reuocant aspectum earum partium corporis proprij, vel alieni, eiusdem aut diuersi sexus, quæ nudæ præferuntur. Eodem etiam pertinent, conspectus imaginum, & statuarum, quoad illas partes, quæ ab oculis subduci non solent. Causis autem leuioribus, annumerant tactus manuum, ac pedum raptim & sine morâ peractos, verba vrbanitatis, honesti affectus argumenta.

Secundâ classe collocant causas quæ plurimum valent ad motus lasciuos, quamuis vim suam non ita exerant, quin sæpius impediantur. Hoc causarum grauiorum loco reponunt, multa de quibus disputauit Amadæus; vt conspectum, aut contactum partiũ & rerum turpiorum, quæ vix, saluo pudore, possunt nominari. In his verò triplicem distinguunt delectationẽ, vnam purè sensibilem, quæ licet per se sit innoxia, addunt tamen, si illã quærenti & captanti, experimento constet, deducere ad veneream, & ciere semen, peccati mortalis damnant, veluti causam efficientem illicitæ delectationis, & fluxus seminis consecuti.

Tertij generis, veluti medias constituunt causas, quas nec leues, nec graues dixeris, sed promiscuè quandoque ad illas, quandoque ad istas accedere. Nec certiorem putant posse regulam constitui, quâ hæ causæ secernantur, suis locis reponendæ, quàm cuiusque experimento suarum virium, vt illi fugienda sit, veluti causa illicitæ delectationis, ex quâ expertus est, sibi solere accidere. Addunt etiam monitum salutare, quo causas huiusmodi secernamus: cum de grauioribus agitur, videri stare ius, pro periculo fugiendo; atque ita cum de securitate non constet, timeri debet periculum, & causa vnde imminet, vitanda omnino est: in causis verò mediis, nihil mali putant, nobis fauere; quia non ita videtur instare, & vrgere periculum grauis delectationis, vt mortalis culpa sit, nisi causa submoueatur.

Singulla sigillatim explicare pudor prohibet: vnum addam dubium, quia eo saluo subiici potest & dirimi, vndenam metiendæ sint huiusmodi causæ, & grauibus, aut leuibus accensendæ, an à periculo impendente, aut, vt sic loquar, actuali influxu ad delectationem ciendam, an verò ex vi, vt ita dicam innatâ, & habituali; quamuis ne illam exerat, multa impediant. Theologi in varias opiniones hîc scinduntur: quidam putant grauitatem causæ, aut culpæ repetendam esse ex postremo capite, & ideo contra Granadum, peccati mortalis damnant, curiosum potius quàm lasciuum conspectum, partium vel actuum turpiorum, licet qui illa sibi permittit, certus sit, se huiusmodi rerum conspectu, aut contactu nihil commotum iri. Putant tamen Salmanticenses, grauitatem causæ, & culpæ attendendam magis esse ex periculo experimentis comperto, quàm ex quacumque rei innatâ vi ad ciendam delectationem, quæ tamen cassa & irrita credatur prudenter futura. Quare secluso periculo & scandalo, excusant nonnulla peccati mortalis, nisi inquiunt, magnam indecentiam adiunctam habeant, à dignitate personæ: & ideo peccati mortalis accusant eos, qui secluso etiam omni periculo, turpiora conspiciunt, quia talis aspectus omnium reuerentiam offendit.

Sed nihil totâ Disputatione occurrit solidius, vel magis ad vsum necessarium, & accommodatum, quàm quod habent num. 171. Quamuis secundum apices Metaphy-

ficæ, videantur excusari posse à mortali, qui sibi permittunt turpiorum contactus, aut aspectus, causati inde nihil comparatis vt sunt, timendum damni: tamen monent maximam cautelam adhibendam esse; quia res est lubrica, & facile est incautos prolabi in peccata grauiora, etiam dum omne periculum abesse putant. Hoc etiam nomine, magis nobis cauendum est & timendum, quod difficillimum sit delectationem naturalem à venereâ, leuem à graui distinguere, vel admissâ naturali & leni, libidinosam & prauam excludere. Quare periculum veluti anguis sub herbâ latet, tum ob recensitas causas, tum quod etiam illa sui fiducia, non careat culpâ veniali, quæ patet ad lapsum in mortalem. Et hinc forte plures negant leuitatem materiæ in rebus venereis, quod credant vix posse, in câ deliberatè captâ sisti gradum, sicut nec in delectatione naturali ex osculis perceptâ.

Sed vt tot sordium cogitationes abstergamus; de his differenti videtur sors mihi Saülis contigisse, atque vt illi patris asinas quærenti, delatum est imperium in Israëlitas, ita dissertatio de his rebus sordidis, nos deduxit ad beatæ vitæ fœlicitatem, in quâ vt Christus nos docet, Beati assumptis corporibus *neque nubent, neque nubentur*. Nam cum ad coniugia, corpus oporteat obnoxium esse immutationi nedum Physicæ & naturali, sed etiam multo deteriori; cum ab his omnibus impassibilitas corporum beatos eximat, solâ immutatione intentionali defœcatissimâ purissimum è rebus corporeis voluptatis sensum, sunt æternum percepturi.

Articvlvs Tertivs.

Altera Temperantiæ pars Sobrietas defenditur, & Iejunij leges Amadæi regulis opponuntur.

PRopositiones huius Tractatus superioribus adiungimus; cognatione argumenti; nam Sobrietas germanissima est Castitatis, & pars altera Temperantiæ, quam pessimè habent ab Amadæo collectæ propositiones. Amplissimus sese campus aperit de Ieiunio, & abstinentia differendi: Infinita ex SS. Patribus occurrunt de illo ar-

gumento, ab Amadæi aliorumque Theologorum sensu, & à nostri sæculi vsu, adeò aliena, vt meritò dubitare possis, an aliud Euangelium inductum sit ab illo quod SS. Patres professi sunt, & suis nos scriptis docuerunt, an eodem Christiani nomine censeantur ab Amadæo recensiti Scriptores cum Basilio. Hic omnes jeiunij legibus astringit, illi omnes ferè absoluunt: Quadragesimalis jeiunii tempus, apud veteres erat requies coquorum, & luxuriæ genus reputabatur aliquid lautum, vel coctum gustasse: isti verò delicias tantùm mutant, ac penè augent.

Sæculo D. Antonini præter vnam refectionem, eamque serotinam, collatio vix lethali peccato carebat; hodie jeiunium perpetua esse compotatio potest citra vllam culpæ vmbram: vt meritò non solum temporis & disciplinæ, sed etiam Euangelij, mutationem esse factam dixeris. Ieiunium olim seuerissimè seruatum exhauriendæ libidini; hodiè si parcior sit, aut difficilior solito somnus; si vel minimus dolor capitis timeatur, magis ex præscripto Theologorum, quàm Medicorum, à jeiunio quasi à veneno cessare licet.

Sed cum Amadæus jeiunii leges resoluat testimoniis Dominicanorum, quæ illorum mens sit, aut esse debeat, ex Præceptoris Sancti doctrinâ paucis perstringam.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Doctrina Diui Thomæ de Ieiunio explicatur.

REm D. Thomas more suo copiosissimè tractat 2.2. qu. 147. cuius summam hîc breui subiiciam. Ieiunium accenset virtutibus, quod institutum sit domandæ concupiscentiæ ad castitatis securitatem, vt docet Apostolus 2. Corinthiorum 6. *In ieiuniis multis & castitate*: quod vtilissimum sit aptandæ, & promouendæ menti, ad rerum diuinarum contemplationem: Hinc Danielem post trium hebdomadarum ieiunium, dignatus est Deus reuelatione cœlesti. Denique probat S. Doctor, ieiunium non solùm speciem, sed vim etiam habere virtutis, quod nedum futura peccata semoueat, sopitâ vnde oriuntur concupiscentiâ, sed etiam præterita, expiatione condignâ, & vltione

quâdam purget & expugnet. Et si virtus in medio sit posita, illud egregiè ieiunio constituit S. Doctor à rectâ ratione repertum. Nam si sanitatis causâ interdum minus cibi sumitur quàm communis vsus requirat, virtus moralis & Christiana, seueriorem præscribit abstinentiam ciborum, extinguendis vitiis, & promouendo bono necessariam; eam tamen moderandam docet, ne grauiter noceat vitæ incolumitati.

Vnde infert S. Doctor Art. 2. susceptum ex hoc fine honesto ieiunium ad temperantiam pertinere, cuius est, in vsu ciborum medium, seu temperamentum constituere & sectari; quamuis euehi possit ad alias quascumque virtutes, quibus fuerit adiumento.

Ieiunium ita constitutum iure naturæ, ait S. Doctor lege Ecclesiasticâ confirmari, additâ certi temporis, certique ciborum generis designatione: nam sicut ad Principem pertinet, quæ iuris sunt naturalis, & vniuersim bonum commune nouis præceptis confirmare, & ad publicam tranquillitatem, tanquam certum præsidium aduocare; ita Ecclesiæ Pastoribus incumbit, nouis legibus saluti fidelium consulere, & quæ velut suspensa habet ius naturale exercitia & officia virtutum, ad vsum admouere, designatis temporum, aliisque circumstantiis. Quare cum demonstratum sit, ieiunium prodesse plurimum, ad peccata tum expianda, tum cauenda, & ad mentem in diuinorum contemplationem & affectum promouendam, atque ad hæc bona conferenda sit efficacissimum adiumentum; hinc iure naturali omnes astringit, quantum quisque his remediis, & præsidiis eget ad salutem: sed cum incerta sit, & vt sic loquar, vaga huius legis naturalis ratio, accedit præceptum Ecclesiasticum, & à lege naturali, prius acceptâ vi ligandi, vicem quasi illi reponit, designatione certâ temporum & ciborum, quo conuenientius, & commodius impleri possit.

Hinc solutione 3. argumenti eruit regulam summè necessariam, quâ multæ Amadæi, & recentiorum relaxationes profligantur. Præcepta Ecclesiæ generatim, & istud nominatim de ieiunio prætergredi, culpam esse interdum lethalem: nam vt inquit S. Doctor, quamuis præcepta quæ vim statuti communis habent, non ligent omnes æquo iure, sed vt conuenit fiui, & bono à Legislatore

inspecto: si quis tamen hoc commune statutum prætergrediatur, aut ex contemptu Legislatoris, aut citra contemptum, grauis inde noxa emergit bono quod inspicit, & curat promouendum, *peccat*, inquit S. Doctor, *talis trangressor.* Si quis verò commune præceptum ieiunii non seruet, iustâ de causâ qualis est impotentia, aut eâ occasione, quæ si adesset, Legislator seruari nollet, vacat omni peccato huiusmodi transgressio.

Inde infert, non omnes indiscriminatim, qui ieiunium minimè obseruant, sed interdum aliquos, peccare lethaliter. Et si obiicias ex D. Augustino de verâ religione cap. 17. *Ab ipsâ Dei sapientiâ homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta esse, quæ societatem Christiani populi, hoc est sub Deo libera multitudinis continerent*: Et vt idem habet D. Augustinus Epistola 119. *Quidam religionem nostram, quàm manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis, Dei misericordia voluit esse liberam, seruilibus premunt oneribus*; quale videtur esse illud ieiunii præceptum, ac proinde non ligare conscientiam, nec reos facere peccati mortalis, transgressores: ad hæc respondet S. Doctor solutione 3. Argumenti D. Augustinum interpretandum esse de iis: *Quæ neque in sacrarum Scripturarum Canonibus, neque in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, neque vllâ vniuersalis Ecclesiæ consuetudine roborata sunt*: horum vero nihil deest ieiuniis, ex præcepto Ecclesiæ constitutis: neque nocent, sed plurimum prosunt libertati fidelium, quatenus peccati seruitutem semouent: qualem libertatem commendat Apostolus ad Galat. 5. *Vos enim Fratres in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem detis in occasionem carnis.*

Hinc Articulo 4. concludit, non omnes, nullo excepto, hâc lege ieiunii ligari; quia imposita fuit, vt conuenit multitudini; & obseruanda est, vt fert temporum & hominum ratio; nec mens fuit Legislatoris ab illis seruari, quibus impedimento est ad maius bonum, nec legitima deest causa, quæ à communi statuto eximat. Et si illa comperta sit, nec possit adiri Prælatus, quisque sibi iudex esto: si dubia sit, obtinenda est dispensatio à Pastore. Neque enim hæc Ecclesiæ præcepta, patis sunt authoritatis, & ad salutem necessitatis, cum Decalogo, qui nullam ad-

mittit relaxationem aut exceptionem. Ita S. Doctor solutione primi Argumenti.

Responsione ad 2. liberat à lege ieiunii pueros, ad tertii septennii finem vsque; quod tum egeant cibo largiori, & pluries sumpto, ad debilitatem naturæ & ætatis sustentandam, & ad incrementum corporis quod ex residuo cibo, ad statam magnitudinem oportet excrescere: conuenit tamen eâ ætate periclitari vires, aliquo ieiunii experimento, & illi assuescere. Interdnm etiam ad auertendum graue periculum, quod reipublicæ imminet, omnibus indicitur ieiunium, etiam pueris & iumentis.

De peregrinantibus & operariis distinguendum censet: si peregrinationis, & operum labor, minui, aut differri possit, citra graue incommodum vitæ & profectus, non sunt prætermittenda ieiunia; secus verò, omitti nihil vetat: quia est præter mentem Ecclesiæ, huius præcepti obseruatione, necessaria vitæ humanæ & Christianæ officia negligi, aut impediri. Si quæ verò difficultates vrgeant, quæ rem faciant dubiam; petenda est à maioribus dispensatio, aut consulenda consuetudo, à piis & probis vsurpata. Pauperes à ieiunio non liberat, nisi eos, quibus non suppetit facultas ad vnam refectionem, quæ sufficiat per diem vitæ sustentandæ; qualem deesse ait mendicis, qui ostiatim victum quærunt.

Ex iisdem principiis Art. 5. sapientiam Ecclesiæ aperit, & commendat, institutione ieiuniorum statis temporibus: nam cum ad purgandam mentem, & in diuinorum contemplationem attollendam plurimùm conferant: opportunissima sunt tempore Paschali: quo cum Christo passo & sepulto, peccata relaxantur & sepeliuntur, cum resurgente illius gloriæ consortium, ardentius quærendum est.

Artic. 6. probat, vna refectione oportere eum qui ieiunat, contentum esse: tum quia ita habet consuetudo Ecclesiæ, tum quia ieiunium institutum est, vt seruatâ, & illæsâ naturæ necessitate & incolumitate, refrænetur concupiscentia: hoc autem fit conuenientissimè, si semel per diem reficiamur, quo satisfit naturæ, & aliquid concupiscentiæ detrahitur. Magis verò interdicitur cibo quàm potu, quia potus sumitur magis ad temperandum calo-

rem, & cibos concoquendos, quàm ad alimentum: ideo concessum est semel tantùm comedere, pluries autem bibere nihil vetat: quamuis prudentissimè addat S. Doctor, eum peccare, & ieiunii meritum perdere, qui largius poter & sepius, sicut etiam is, qui immoderatè cibum vnâ refectione sumit.

Hinc paratur via ad interpretationem solutionis 3 Argumenti; quâ asserit electuaria minus aduersari ieiunio, quam cibum: quia licet non omnino careant vi alendi, tamen assumuntur quasi remedia, & ad ciborum concoctionem: quare non soluunt ieiunium, sicut nec aliorum remediorum vsus; nisi quis forte in fraudem electuaria largius hauriat, vt ieiunii laborem leuet & fugiat.

Hinc etiam horam ad refectionem designat ex concilio Chalcedonensi: *In Quadragesimâ nullatenus censendi sunt ieiunare, qui antè manducauerint, quam vespertinum celebratum sit officium.* Addit rationem S. Doctor, afflictationem corporis, ex ieiunio institutam, assumi ad expiationem peccatorum, vel cautelam: ad vtrumque confert dilatio prandij ad horam nonam, quia circa sextam, facta concoctione præteritæ cœnæ, appetitur cibus contra externum aëris calorem, ne humores interni adurantur: differenda est igitur refectio ad horam nonam, affligendo & macerando corpori; aliàs ieiunaretur citra vllum incommodum & meritum: iusta etiam est illa dilatio, quia corpus macerat, sine graui detrimento salutis.

Art. 8. probat conuenientem ieiunio esse, abstinentiam à carnibus, lacticiniis, & ouis: quia pluries, & fere singulis huius Quæstionis Art. dictum est ieiunium ab Ecclesiâ institutum, ad refrænandam concupiscentiam, esculentorum & venereorum: ea vero accenditur cibis, qui præter adiunctam delectationem, maxime alunt & pascunt; quales sunt carnes animantium, & quæ ab eis proueniunt, lacticinia ex gregibus, & oua ex auibus: quæ cum sint magis consentanea corpori humano, præ cæteris cibis placent & pascunt: inde plus superest alimenti ad semen, quo maxime accenditur libido: & ideo nobis Ecclesia his omnibus interdicit.

Hanc conuenientiam illustrat S. Doctor egregiâ obseruatione: cum ad generationem tria confluant, nempe calor qui est maximè à vino, spiritus, & humor ex abun-

dantiâ alimenti; hoc maxime differunt, quod calor & spiritus, breuiores sint & cito facescant; substantia vero humoris sit diuturnior: ideo ieiunii tempore, interdicitur magis vsus carnium, quam vini, aut leguminum, vnde calor & spiritus creantur, magis etiam carnibus, quam piscibus, quia vt plurimum magis sapiunt & alunt. Hæc è multis pauca satis sit collegisse. Ad Amadæum redeamus.

Paragraphvs Secvndvs.

Expenduntur tres Propositiones de Ieiunio.

Nec breuius expendi possunt, si quid veri habeant, nec validius refelli, si falsæ sint Propositiones Amadæi de ieiunio, quam D. Thomæ explicatâ doctrinâ, veluti certâ regulâ.

Sancitâ lege ieiunii, id primo inspiciendum est, ad quos pertineat, quos liget, vel quinam ab illâ immunes censendi sint: nec hâc in re certior, aut æquior statui potest regula, istâ quam subiicio. Cum ieiunium purgandis quæ admisimus, & cauendis quæ timemus peccatis; efficacissimum sit; ab omnibus seruari oportere, qui hoc remedio egeant: nisi aliunde parcimoniâ victus ex egestate, aut labore graui, & penso diurno perinde fatigentur, aut concupiscentia debilitetur, ac fieri possit à ieiunio. Hac de causa mendicis, agricolis, aliisque huius generis operariis, meritò remittitur rigor ieiunii: nam præter quod, plures ita paupertate premuntur, vt secum agi feliciter credant, si ad vitam, & familiam sustentandam, panis & aqua non desint, vires exhauriunt assiduo & intensissimo labore. Quibus vero artificibus facultas suppetit ad vnam refectionem satis copiosam, & aliunde quam exercent, ars, aut cui incumbunt opus, non admodum fatiget & debilitet, certe non video cur immunitatem à ieiunio obtendant, vel illis indulgeant Theologi.

Huius generis puto esse, quos ab hâc lege eximit Amadæus Propositione 3 sartores, sutores, barbitonsores: ad idem caput reuoco viatores qui lecticâ, curru, non magis incommodè singulis diebus, breuia itinera conficiunt, quam si domi degerent Nam cum vna istius immunitatis causa sit, vel ex tenui victu, vel ex labore assiduo, &

graui, afflictatio & diminutio virium, ac concupiscentiæ, ad minus par illi quæ ex ieiunio esse solet: cur eximas artifices, viatores, qui ab huiusmodi malis, earumque causis longissimè absunt? Nec decretum Eugenii (si vreba attendantur) hoc indulget artificibus: illos enim tantum leuat onere ieiunii, qui laboriosa opera exercent.

Nec æquior est 4. Propositio, quæ artifices hâc immunitate donat, quo tempore cessant ab operibus: & nimia est illa cautela, quæ ex præteritâ, aut futura defatigatione, captat excusationem à ieiunio; & mirum quantum concupiscentiæ blandiatur. Vnum contendo artificis & operarii titulum, vel etiam opus, leui brachio peragendum, non esse causam satis idoneam, ad ieiunij relaxationem, nisi accedant aliæ, quas repetiuimus, vel ex tenui victu & egestate, vel ex laboriosis operibus, quæ diu, noctuque exercent artifices, & corporis vires exhauriunt.

Laxior etiam videtur 5. Propositio, quæ gratiam facit, non solum à ieiunio, sed etiam à carnium abstinentiâ prægnantes, lactantes quamlibet robustas: ego sane censeo, vbique habendam esse rationem facultatum & virium, neque ipse abnuit Amadæus, damnatâ laxiori opinione cuiusdam Martini Fimij, qui tribus ieiunii partibus distinctis, abstinentiâ à carnibus, refectione vnâ, & ante meridiem non præsumendâ, ab omnibus iis tribus oneribus liberat prægnantes & lactantes: remitterem tertium & secundum onus; à primo nempe à carnium abstinentia, non auderem liberare, quasi ex certâ causâ, nisi infirmitas & Pastoris licentia accederet.

Vellem Theologi inspicerent mulierculas rusticas, quæ suo exemplo delitias diuitum, vanumque timorem, quo sibi à ieiunio, quasi à veneno cauent, & Theologorum indulgentiam damnant; cum ferunt vterum, aut alunt paruulos, arctissime viuunt, vix minimam partem habent eorum, quæ absumunt, qui censentur inter diuites, strictius & religiosius ieiunium colere: & tamen quos pariunt, & nutriunt alumni, vegeti sunt & viuaces; diuitum vero filii, quorum nutricibus nihil negatur deliciarum, macilenti sunt, extabescunt: adeo victus arctior, nedum animis, sed etiam corporibus curandis, præstat cibis delicatioribus, vt immerito Theologi ex præsumpta opinione, diuitibus

diuitibus anxiis nimia cura valetudinis, longe indulgentiores sint, quam Euangelii disciplina patiatur.

Paragraphvs Tertivs.

De elucteariorum vsu mens D. Thomæ explicatur & sexta propositionis.

QVæ hactenus ex Amadæo retulimus, excusari vtcumque possunt: sed quis ferat Propositionem 6. qua videtur eleuare ieiunii præceptum *Si quis*, inquit, *voluntate absolutâ vellet, in die ieiunii, sæpius comedere; semper tamen parùm cibi sumendo, peccaret mortaliter, secus si voluntate condionata:* nempe si inuitetur ab amicis propinantibus sibi, aut se visentibus, qua prouocatione quasi conditione, omnes cibi sumptiones essent veniales Hanc assertionem confirmat testimonio quatuor Thomistarum; sed non dissentiunt à suo Præceptore, ex quo hoc documentum habemus; vna tantum refectione constare ieiunium, non vno potu: sed licet seruata lege ieiunii, potus iterari possit, cauendum tamen monet S. Doctor, ne fraus obrepat, & captetur occasio ieiunium fraudandi, nimio vsu vini, & electuariorum, quibus ex S. Doctore obseruauimus, Parag superiori, posse subesse peccatum mortale, in legem ieiunii, si auidius expetantur, & potentur largius, nec solum parce in refrigerium nimii caloris, & ciborum concoctionem, sed etiam voluptatis causa sumantur, tanta copia vt cedant in alimentum: tum enim non est dubium, quin præceptum ieiunii lethaliter lædant. Hic est sensus verborum D. Thomæ quæ refert Amadæus Propositione 6. quam præ manibus habemus. Sic vero habet S. Doctor, in 4. dist. 15. q. 3. artic. 4. *Licet electuaria aliquo modo nutriant, non tamen hic est principalis eorum vsus; vnde nec loco manducationis sumi consueuerunt; & ideo talis sumptio, ieiunium Ecclesiæ non soluet; quamuis homo possit totaliter, vel in parte meritum ieiunij perdere, vel etiam mor aliter peccare, si sit immoderata libido: non tamen est transgressio præcepti Ecclesiæ,* nisi in fraudem sumeret, aut si eis quasi aliis cibis vteretur ad famem extinguendam.

Hinc occasionem captat traducendi Sancti Doctoris, & aduocat in testem aut socium Dianam 1. p tract. 14. resolutione 60. illique notam vterque inurit fœdissimam, lacrymis eluendam: sic enim illum accusat, delatore Diana si vera ex illo referat, neque enim licuit adhuc locum Dianæ consulere: *Ex superius dictis à fortiori patet, refellendam esse opinionem Diui Thomæ & Anth. &c. asserentium licitum esse sumere in die ieiunij electuaria sacchara condita ob solam delectationem, &c.* Si vera sit Dianæ, & ex illo Amadæi accusatio, non potuit atrocius flagitium impingi D. Thomæ. Quid enim sanctissimo, & exactissimo morum, & fidei magistro, ad sempiternam infamiam probrosius, quam iure ob nimiam laxitatem, & voluptatem esse damnatum à Diana, inter Theologos lactiore qui ab Vrbano VIII. dictus est *mundi peccata sustulisse?* Si vero temere & falso, totius Ecclesiæ præceptor, incusatus sit, quasi palpo, & voluptatis illicitæ magister, iudicet Christianus Lector, par-ne vnquam calumnia instructa sit & audita?

Sed vt in caput authorum recidat tantum dedecus & probrum, accuratè expendam quæ de electuatiorum vsu docuit sanctissimus Magister. Tribus comperitur locis, hanc quæstionem de electuariis ad ieiunium collatis attigisse: primo in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 4. ad 2. & dist. 15. quæst. 3. art. 4. & 2. 2. quæst. 147. cuius nos compendium perstrinximus. P. Nicolai suis ad primi loci marginem notis, obseruat inusitato vocabulo, *electuaria* accipi pro liquidis quibusdam condimentis, qualia elici solent ex variis florum, herbarum, fructuum, & gemmarum generibus. Addit à D. Bernardo serm. 15. in Cantica, id nominis sumi, pro condimento medicinali, & nomini Iesu accommodari; eodemque sensu, licet non simili applicatione, vsurpari à Cæsario libro 7. c. 68. apud Lacerdam in suis aduersariis cap. 58.

Sic explicatum vocabulum vsurpat S. Doctor, aitque sumi ad digerendos, sicut vinum & aquam, ad deducendos per omnes corporis partes cibos: vnde infert huiusmodi potum non soluere ieiunium, quamuis aliquo modo corpus nutriat. Addit tamen, cum ad sumptionem Dominici corporis, requiratur non solum ieiunium Ecclesiasticū, sed etiam naturale propter reuerentiam Sacramenti

ideo secundum communem sententiam, electuaria & vinum, imo & aquam praeassumpta, impedire à perceptione Eucharistiae.

Distinctione verò 15. expendit sententiam illorum, qui electuaria voluptatis causâ, non in remedium sumpta, soluere docent ieiunium Ecclesiasticum: & refellit Argumento validissimo, à naturâ legum positiuarum, quarum ea ratio est, ab omnibus Theologis recepta (nec reclamat Diana) vt non attendant, quâ mente & intentione, sed an re ipsâ obseruentur, ex regulâ communi: *Modum virtutis non cadere sub praeceptum, sed ad finem extra positum pertinere*, ex quo spectetur meritum, aut demeritum apud Deum. Atque ex certissimo principio inferunt Theologi, eum qui vanae gloriae causâ, diebus festis interest Sacro, implere praeceptum de Sacro audiendo; quia lex humana actum exigit quo seruetur; quo verò id animo fiat, permittit Dei iudicio expendendum, & remunerandum, si rectâ & piâ mente, aut castigandum, si malâ ex aliquâ circunstantiâ peragatur.

Inde S. Doctor quaestionem subiectam soluit: cum electuaria sint *quoddam potus aut remedij genus, minimè ieiunium Ecclesiasticum soluere; quamuis aliquo modo nutriant, nec imputatur in peccatum contra legem ieiunij, etiamsi ex illo voluptas capietur: quia circunstantia haec ad praeceptum non pertinet, nec magis à Legislatore inspicitur, quàm quo animo, an solo religionis studio, an ob vanam gloriam Sacro interfis*. Addit tandem ad cautelam, *Quamuis homo possit (totaliter aut ex parte) ex hoc meritum ieiunij perdere, vel etiam mortaliter peccare, si sit immoderata libido; non tamen est trangressio praecepti Ecclesiae; nisi in fraudem sumeret, aut si eis quasi aliis cibis vteretur, ad famem extinguendam*. Idem habet in Summa, supra relato Articulo.

Hîc tuum, Lector, iudicium appello, num Diana, & Amadaeus iniustam Diuo Thomae accusationem instruxerint? Quid eruditius? quid sanctius? quid denique verius ea S. Doctoris sententia? Nonne apud omnes receptum est, legem positiuam (cuius generis est haec de ieiunio) actum quo impleatur praecipere, non modum attendere? Nonne ad rem subiectam regula haec accommodatissima est? Et si quod periculum inde imminebat, nonne cautissimè summouit, cum addidit legem ieiunii

electuariorum vsu lædi, si magnâ copiâ in cibum cedant, non si modicum sumatur? Vtinam Amadæus, & Diana, Ethicam Christianam simili cautelâ & prudentiâ, ac seueritate tractarent: Apud D. Thomam modica gutta nedum electuarii, sed etiam aquæ, degustata solius voluptatis causâ peccatum veniale est, apud Dianam nullum; & inclamat *refellendam D. Thomæ sententiam* quasi periculosam, quod neget *modici electuarij potum legem positiuam ieiunij violare*; quamuis afferat, ex alio capite incurrere in legem grauiorem iuris naturalis, quo prohibitum putat homini, nihil vnquam agere, omisso fine honesto, & à voluptate diuerso?

Sed isti censores D. Thomæ mentem decimant, & legis capita præcipua negligunt; in alieno oculo festucam anxiè quærunt, nec in suo trabem sentiunt. Quid enim laxius, & quid ad peccatum magis procliue, & ad ieiunii contemptum, quàm quæ hâc propositione, & aliis eiusdem tractatus, ex multorum Theologorum opinione, totis viribus contendit Amadæus, & futilissimis distinctiunculis vim omnem legum resoluit? Hâc propositione sextâ docet, tutâ conscientiâ ieiunii, præcepto illudere, solâ mutatione intentionis, & appositâ conditione arbitrariâ, mortalem culpam in venialem, aut nullam mutat. Quid enim vetat quin ieiuniorum osores, ita apud se statuant: *Licet nobis illæso ieiunio modicum vini, aut electuarij gustare, millies per diem; & ne potus noceat aliquid cibi, ad vnam vnciam, quæ paruitatem materiæ in re subiecta facit, comedere: ergo saluâ lege mille vncias ciborum, integrum mihi erit sorbere, si id ferat stomachus: eâque conditione appositâ vitium corrigemus, & amoliemur omne peccati periculum; neque enim absolutè sumo pluries cibum, quod nefas esset, sed conditionatè, si vinum quod licet hauriam, atque accessio cibi resipiet naturam potus, qui quæritur, & licitus est, ac proinde innoxium erit, quod illi adiungam in remedium.* Quidni inchoante Quadragesimâ plures amici, *quorum Deus venter est*, qui Epicurum magis quàm Christum, eiusque crucem colunt, totum tempus ieiunii, huiusmodi compotationibus impunè, & innoxiè fallere possint?

Nescio an retractanda sit Amadæi laudatio, de diligentia, ac peritia, in citandis & inquirendis Authoribus, quos

in testes suarum laxitatum aduocat : neque enim ista testimonia & præsidia, suo marte comparauit, si sit diuersus ab vno Scriptore Hispano, vnde omnia subripuit, tacito nomine Authoris, quem adiutorem habuit. Collegit quidam assumpto nomine Esclapes, vernacula lingua supra centum triginta duas propositiones, plerasque omninò easdem, cum his quas propugnat Amadæus; nonnullas omnino diuersas, ex variis Societatis Scriptoribus, quas putat legi diuinæ aduersari : Respondet quidam Doctor, nomine Aquilar, & vbique Dominicanos loco clypei habet, & in illos omnium laxitatum inuidiam detorquet; ab hoc Scriptore ferè ommnia Amadæus sumpsit, sed interdum mutat, maximè si locus sit excusandi suos, & carpendi Dominicanos.

Eâ arte hanc ex Salas sextam propositionem interpolauit : sic enim ex Aquilar habet. *Si quis die ieiunij, pluribus vicibus interruptis, modicum degustet, nec velit mortaliter, sed venialiter tantum peccare, vnius dumtaxat peccati venialis reus est.* Ita refert Aquilar, nec abnuit Salas. Sed visum est Amadæo Salas purgandum, & Thomistas grauandos esse, quasi doceant, si amici inuitent ad potum, eâ conditione positâ, comestiones modicas fieri peccatum veniale : cum tamen Salas huius vrbanitatis non meminerit; sed contendat solâ intentione non peccandi mortaliter, gustato sæpius cibo, culpam tantum venialem admitti.

Paragraphvs Qvartvs.

Præceptum Ecclesiæ de Ieiunio seruando, obligare sub peccato mortali : & oua in Quadragesima prohiberi, contra primam, secundam & septimam propositionem.

Hactenus obliquè, & quasi cuniculis actis, lex ieiunii est lacessita : nunc multis machinis apertè labefactatur. Nos contra parauimus munimentum, & præsidium inexpugnabile ex D. Thomâ; trangressionem legis ieiunii lethalem esse posse. At contra Amadæus contendit, vel nullum, aut tantum veniale peccatum esse, ex

Caietanò in summa, verb. *ieiunium* Editionis Venetæ an. 1584. verbis quæ in aliis Editionibus desiderantur. De Caietani sententiâ eximente à lethali culpa legum humanarum transgressores, plura diximus Disputatione superiori contra Caramuelem. Hic addo, Caietanum perperam trahi in illam opinionem, ex loco quem citat Amadæus, Summæ verbo *Clericus*: nam ibidem acutissimè distinguit, *aliud esse preceptum Ecclesiæ, aliud præceptum ab Ecclesia*: non excusat à mortali eos, qui in quinque solemnia Ecclesiæ præcepta grauiter impingunt, sed qui leuiora lædunt; *quorum*, inquit, *trangressio, si temeritas, si contumacia, si contemptus Dei absit, non est peccatum mortale*: Meo iudicio hæc vocat *præcepta ab Ecclesia*, illa *Ecclesiæ præcepta*.

Addit etiam verb. *ieiunium* (quod in editione quâ vtor desideratur) *vinculum quo tenemur ad Ecclesiæ ieiunia, ex communi interpretatione, videtur esse præcepti vinculum, obligantis ad mortale trangressores, ex inobedientia, vel contemptu, quando contra obedientiam directè agitur, vel sine rationabili causâ: quia tunc scienter ageretur contra opus præceptum, & hoc ego non audeo ex iure scripto asserere, quia nullibi scio esse præceptum obligans.* Sed quamuis dubitet, an ex illo capite ieiunium violetur, concedit tamen ita esse, *ex inobedientia contra consuetudinem communem, quæ vim legis habet.*

Eundem lapidem, quo sit collidendus aduersarius, mouet hæc propositio cui incumbimus, quâ ex Fagundez contendit, *nullo præcepto oua & lacticinia, ieiunio Quadragesimali prohiberi*: vel si audiar apud Gregorium Magnum, ab ipso relatum Epistola ad Augustinum Anglorum Episc. *abstinendum nobis esse ab ouis & lacticiniis* tempore Quadragesimæ, sicut abstinemus à carnibus; interpretatur, si secus fiat, ad leuem non grauem culpam imputari: aliosque in eundem sensum aduocat Doctores, quos poterat interpretari eodem sensu, quo Gratianum inducit sentientem non esse peccatum mortale incurrere in leges vsu communi non receptas, à quibus longè abest Quadragesimæ ieiunium, ab Apostolorum sæculo, à totâ Ecclesiâ ad nostrum vsque diem seruatum.

Non desinit Thomistas proferre, & in testes aduocat Bartholomæum à Martyribus, Iacobum de Noraës, qui

Pauli Palatij versionem Summæ Caietani in idioma Hispanum, & illius notas edi permiserunt. Ergo, inquit, censendi sunt, approbasse quod iisdem notis docet Palatius, trangressionem ieiunii carere lethali culpâ. Vides, Lector, Amadæum vbique fauere laxitati, magis quàm legis diuinæ studio; & plura sibi permittere in Dominicanos: sanctissimum præsulem Bartholomæum à Martyribus. cuius historiam elegantissimè enarratam, hodiè tota Gallia miratur antiquæ disciplinæ tenacissimum, trahit in consortium suarum opinionum; quod Palatij notas in Caietanum probarit: quasi Censores librorum nihil dissentiant ab iis libris, quos patiuntur edi; quasi Dominicani non probent Scotistarum libros, & Scotistæ Thomistarum, quamuis ab opinionibus dissentiant. Omitto quod iam monui Palatium falsò interpretari Caietanum, quasi eximat à mortali culpâ in totum, transgressores legis ieiunij, cum tamen doceat, sin ex iure communi, saltem ex consuetudine, & inobedientiâ læsum ieiunium imputari ad graue peccatum. Non curamus verò ex quo capite peccetur in legem positiuam, dummodò impunitatis & immunitatis spe, illarum transgressores non alliciantur, & lactentur.

Quare nullum & periculosum est, aut quod affert ad hanc immunitatem astruendam Amadæus, ouorum & lacticiniorum vsum, carere lethali peccato, si eo vacet ipsiusmet quadragesimalis ieiunii violatio: ita est, sed vnde probas, ieiunium solui citra lethale peccatum? Caietani inquit verbis; quæ nulla prorsus apud illum extant. Vide hominis affectum in ieiunium; aduocat testimonium Cajetani, quod desideratur, & nunquam extitit; vel saltem Ecclesiæ mandato sublatum est. Neque terreor testium & Doctorum nube quos ex Conimbricensi, Eboracensi, & Complutensi academiis aduocat, additis Theologorum censuræ plurium Episcoporum decretis. Nam præter quod contra stant, quotquot ab Apostolorum tempore floruerunt, per totum orbem Christianum Doctores & Episcopi, præ quibus illi, supra vnum septuaginta Doctores inumbrantur, sicut astra aduentu solis; interpretandi sunt, ne videantur à totius Ecclesiæ consuetudine abhorrere, legitimo quem adiungam sensu, ad Propositionem primam.

Eâ verò docet ex Asorio eos, *qui habent priuilegium edendi oua & lacticinia in Quadragesima, posse edere lardum & sagimen.* Sed non aduertit Amadæus ex Syluestro quem refert, priuilegium edendi oua & lacticinia, iustis de causis concessum iis regionibus, quæ olei penuriâ laborant, & abundant lacte & butyro, qualem esse ait Syluester esse Britanniam Minorem. Hâc obseruatione cadit, quod desumit Amadæus ex eodem Syluestro argumentum. Licet, quibus permittuntur oua & lacticinia, vti lardo & sagimine; ita est: sed hoc concessum est tantùm iis quibus deest oleum, condiendis Quadragesimalibus cibis. Qui verò in Hispaniâ, in Italiâ, aliisque regionibus abundant oleo, vel si inde facilè asportari possit, rei sunt ieiunij legis, si huiusmodi condimentis, & obsoniis vtantur; ita expressè habet Syluester *Verb. Ieiunium.*

Quæ habet hâc propositione, & toto Tractatu Amadæus, plurima ex Hispanis Latina fecit, sed tacet historiam eâdem propositione relatam ab Esclapes Quidam eiusdem instituti concionator, dum Membrillæ in regno Castellæ ageret missionarium, cuidam Clerico se consulenti respondit, ex Asorio posse illæsâ carnium abstinentiâ quadragesimali, ac die veneris, assumi ientaculo in obsonium duas vncias carnis porcinæ, siue quod parna sit materia, ad grauem huius legis transgressionem, siue quòd ex priuilegio vtendi lacticiniis, putaret licitum esse vsum lardi & sagiminis minus carnis naturam resipientis. Raptus est ad tribunal Archiepiscopi Toletani, & ad inquisitores, hic Concionator grauissimè accusatus, quod eâ licentiâ abstinentiam à carnibus, ab Ecclesiâ constitutam labefactaret, vel induceret in regnum Castellæ olei feracissimum, quem indulget Ecclesia Britonibus & Belgis, aliisque regionibus penuria olei laborantibus, butyri, aut si desit, sagiminis vsum ad condiendos cibos. Damnata est assertio à supremo inquisitionis tribunali; multoq; periculosius visum est, quod inde inferebatur aliud assertum, duas vncias carnium, vel cuiuscumque alterius cibi modicam reputari materiam, in legem Ecclesiasticam, quæ ieiunium & abstinentiam sancit.

Atque hinc Amadæus munit propositionem 2. *ad collationem serotinam posse licitè sumi quartam partem eorum, quæ ieiunanti sufficerent ad prandium, seu iustam refectio-*

nem cuiuſcumque cibi; ſeu panis, ſeu fructuum, ſeu piſcium; hac enim cenſetur quarta pars cumulatæ refectionis, quam ad duas libras, ſeu triginta duas vncias numerat & appendit. Pro hac aſſertione, nullum citare poteſt ex antiquis Thomiſtis: quia vel nullam collationem admittunt, vel eam tantùm, quæ fit potus causâ, addito cibo modico & pane in remedium, ne potus noceat: atque hoc ſenſu loquuntur Caietanus & Sylueſter ab Amadæo relati. Quare largiſſimam illam collationem ex quibuſcumque cibis,etiam ex piſcibus delicatioribus, quam prouehit Amadæus ad octo vncias citra peccatum vllum, vel cum veniali ad decem vſque, ex paruitate materiæ, vel ex Ioanne Henriquez Auguſtiniano ex vnciis duodecim recentium fructuum, quod vix æquent octo vncias ſiccorum; noſtri Thomiſtæ haberent quaſi nuperum inuentum ſibi ignotum, & improbarent quaſi quoddam helluationis & potationis nimiæ in noxam ieiunii, à mollioribus Theologis excogitatum genus. Adeò antiquæ diſciplinæ tenax eſt noſter Soto, vt ipſis Doctoribus, qui ad ſtudium capitis dolore & infirmitate inepti fiunt, permittat duo paria ouorum, nullo oleo, cibo, & vix pane adhibito.

Quæ eâdem ſecundâ Propoſitione de Chocolate refert, electuario in Hiſpaniâ frequenti & præſtantiſſimo, reuocanda ſunt ad regulam de electuariis, ex D. Thoma conſtitutam: quamuis minus liceat ex iſto deguſtare, quàm ex his quæ ſæculo D. Thomæ in vſu erant, quia plurimum admiſcetur ſaccari, tempore D. Thomæ, ignoti aut rariſſimi: aliunde non minus videtur ad eſculenta, quàm ad poculenta pertinere. Quare non dubito quod de hoc genere electuarii, refert Amadæus à Pio V. & Gregorio XV. dictum, *non frangere ieiunium*, vel confictum & commentitium eſſe, vel impoſitum Summis Pontificibus, dato guſtu illius liquoris magis diluti, quàm hodie fieri ſoleat. Sed cui ſuſpectum non ſit huiuſmodi electuarium, cum Dianæ quaſi ieiunio noxium improbetur, 5. Part. Tract. 5. Reſolut. 11? Sed malum! ſententiam retractauit Part. 11. Tract. 6. Reſolut. 53. Adde futilem Paſchalij diſtinctionem de ouis, à quibus ſibi nonnulli timebant pani bis cocto admixtis, ne abſtinentiam Quadrageſimalem ab ouis lædat: *Prohiberi*, inquit, *quæ ſunt*

moraliter otia, non verò mixta pani aliisque cibis. Laudo Amadæum hæc damnantem, quasi falsissima: vtinam eo animo plura scriberet.

Quarta Propositio ad solos Hispanos pertinet, quibus ex more regionis, indulgetur peruigilio natiuitatis collatio serotina copiosior.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Tres de Castitate, & quatuor de Ieiunio Propositiones confirmantur censurâ Pontificiâ.

EX quadraginta quinque Propositionibus damnatis de re morali, fœlicis memoriæ Alexandri VII. decretis duobus, tres ad Castitatem nempe 24.25. & 40. pertinent: 23. 29. & tres sequentes nostram de ieiunio sententiam confirmant. Huic censuræ Pontificiæ confirmandæ Nicolaus *Dubois* Antecessor Louaniensis duos edidit Tractatus, quorum posteriore num. 653. agit de Propositione 40. quæ ita habet: *Est opinio probabilis, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris & pollutionis.* Hanc Summus Pontifex damnat opinionem, quam pluribus confutauimus propositione 10. & 11. & nostris consentanea habet citatus Author: argumentum depromit à principio D. Thomæ constituto quæst. 15. de malo art. 2. ad 18. paruitatem materiæ, quæ à mortali excuset culpâ, non dari in re venerea, ob summum periculum in grauiorem delabendi culpam, secundùm illud Prouerb. 5. *pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant*, & cap. 7. *multos vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eâ, scilicet luxuriâ.* Nostram item ex Mercoro probationem confirmat istâ eleganti Iurisconsultorum regulâ: *Lex quæ ob occasionem noxæ factum damnat; si causam facti non distinguit, etiam non malo consilio facientem constringit.* Item istâ: *Lex quæ periculo occurrit, omittitur etiam non secutâ noxâ.* Regulas illustrant, quæ ex Mercoro exempla retulimus de lege prohibente in totum ferri arma cauendis & amouendis ciuium rixis & pugnis: contra quam peccant, qui etiam ornatus causâ incedunt armati.

Innumeros ex Societate refert Nicolaus, qui damnatam opinionem improbarunt, nullum qui secutus sit: ex nostris verò, qui probarunt, hos tres citat Zanardum, Iauellum, & Ledesmam: quos non licuit consulere; sed quidquid senserint, certum est, si huic adhæserint propositioni, recessisse à principiis D. Thomæ: ex quo idem Author 1. 2. quæst. 74. art. 8 interpretatur difficilem locum D. Augustini contra Iulianum cap. 10. vbi videtur damnare tantùm peccati venialis *cogitationem, quâ ab appetitu rebellante vincimur: sicut coniuges quando modum generationis necessarium, causâ solius voluptatis excedunt: & sicut continentes quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur; non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis: non sicut oportet, ne illò incidat, inde auertentes; aut si inciderit, inde rapientes.* Posset ad illum locum responderi Augustinum, illam cogitationem imputare tantùm peccato veniali, defectu perfectæ libertatis, aut deliberationis; aliter tamen respondet S. D. loco cit. hac distinctione: delectationem de fornicatione cogitatâ cadere posse, vel in ipsam cogitationem, vel in rem cogitatam; cogitatio ex se non est peccatum mortale; sed quandoque veniale tantùm: cum quis cogitatione otiosâ distinetur: interdum omni culpâ caret; puta cum quis de fornicatione cogitat, de illo peccato concionaturus aut disputaturus. Consensus itaque in delectationem, quæ ex eâ cogitatione existit, pro variis gradibus explicatis peccatum mortale, aut veniale, aut nullum euadit: si quis verò inter cogitandum de fornicatione ex illo actu delectationem percipiat: id contingit ex affectu in illum actum: consensus enim in illam delectationem aliunde non existit quàm quod ipsius affectus feratur in fornicationem; quia nullus delectatur, nisi in iis, quæ eius sunt appetitui consentanea: quod autem quis ex deliberatione eligat suum affectum conformari & conuenire his quæ secundum se sunt peccata mortalia, imputandum est peccatum mortali peccato, quare consensus in delectationem peccati mortalis excusari nequit à culpa lethali.

Propositio 24 damnata à Summo Pontifice, ita habet: *mollities, sodomia, & Bestialitas, sunt peccata eiusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione se procurasse pollu-*

disputatum est paragrapho superiori, & explicata mens Caietani. Propositionis fundamentum damnarat Facultas Louaniensis contra hanc assertionem de cultu Festorum: *præceptum seruandi Festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus,* & illud principium improbat Saül Exrex pag. 416. multò antè damnatum à Bellarmino lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 10. Sed ait Nicolaus *Dubois* Sinnich immeritò scripsisse *renouatum fuisse à Neotericis laxitatum patronis ex quibus neminem citat*: *Nec ego,* inquit Dubois, *apud eos quos eo nomine impeti credideram, inuenire potui.* Adeò longè absum ab anxiâ & inutili diligentiâ inquirendi, an aliquis recentiorum maximè ex Societate secutus sit damnatum cum eâ propositione principium: *Legum Ecclesiasticarum & humanarum transgressionem citra contemptum ad peccatum mortale non imputari*; vt summè gaudeam, omnes nobiscum hîc esse concordes, & ab exactiori inquisitione abstineam, ne vllus occurat ab illa sanamente dissentiens.

Cæterum præter communia argumenta quæ vrget loco cit. Saül Exrex, vt probet leges Ecclesiasticas ligare cum noxa peccati mortalis, si violentur, singularia affert de ieiunio Nicolaus *Dubois* num. 488. Ex Concilio Grangrensi cap. 9. Ex Carthaginensi 4. can. 63. Ex Agathensi can. 12. Ex Toletano 8. can. 9. quæ sub pœna Anathematis, & separationis à communione Dominicâ iniungunt ieiunium quadragesimæ, & ab esu carnium abstinentiam; iniustæ verò essent adeò graues pœnæ, nisi illorum præceptorum violatio culpa esset maior veniali.

Reliquæ tres ieiunio aduersæ propositiones damnatæ latius explicantur ab eodem Authore num. 565. vsque ad num. 594. ex illis ordine 29. à Ioanne Salas tradita ita habet: *In die ieiunij qui sæpius modicum quid comedit, etiamsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium: huic affinis est ista, si quis voluntate absolutâ vellet in die ieiunij sæpius comedere, semper tamen parum sumendo peccaret mortaliter: secus verò, si voluntate conditionatâ id vellet:* qnia conditio, vt interpretatur Nicolaus, sumptiones efficit veniales, quod eximat à contemptu legis citra quem venialis est eius transgressio: vt docent Nauarrus, Felinus, & Incola; absit vt curam huius Scriptoris in purgandis à censurâ Authoribus Societatisi mprobem, imo

boni consulo: sed nollem ab illis detractam in alios ita anxiè deriuaret culpam, vt omnino sincerũ non esse reputarẻ possemus eius studium: sed quidquid sit, lætor omnes in vnam conspirare veritatem: & ne illud meum gaudium minuatur, supersedeo à diligentiori examine Authorum quos refert, ne comperiam aliquem à saniori doctrina recedere, in quam omnes pedibus manibusque ire velim.

Propositio 30. & 31. damnatæ consentiunt: primâ asserebatur *omnes Officiales qui in Republica corporaliter laborant, non excusari ab obligatione ieiunij, nec debere explorare vt certiores fiant, an labor sit cum ieiunio compatibilis,* excusantur absolutè à præcepto ieiunii, omnes illi qui iter agunt, equitando vtcumque agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnius diei conficiant. Trigesimâ tandem secundâ asserebatur *non esse euidens consuetudinem non comedendi oua & lacticinia in Quadragesima obligare.* Harum trium propositionum examen accuratum instituimus, quo videmur censuram Pontificiam in antecessum muniuisse, & nihil singulare affert Nicolaus, quod non sit occupatum præter citationes Authorum, à quibus referendis supersedeo.

SECTIO TERTIA.

Defensio Iuris naturalis & Iustitiæ aduersus V. Amadæi Tractatum.

IAM sæpe monui, & pluribus quam vellem probaui virtuti bellum hoc Opusculo indici. Nam cum *omne bonum datum & optimum descendat à Patre luminum*, qui boni semen spargat internis inspirationibus; Propositione totius libri primâ permittitur repulsa inspirationum quasi innoxia; quâ tamen videntur totius boni semina suffocari, & desiccari fons gratiarum: inde sequitur virtutum insectatio: prudentia profligatur laxissimo probabilitatum, & permisso delectu probabilium opinionum, id est, quæ malo & falso propius absint quàm vero & bono: Castitas infinitis sordibus conspurcatur: Fortitudo metu mortis, cuius contemptu constabat offici causa, omninò

extinguitur: tandem Iustitia appetitur inermis, suóque præsidio nuda, aliarum virtutum internecioni adjungitur.

Nam præter quod virtutes singulares, ac solitariæ nullæ sunt, & ex omnium sapientum mente, pugnare nequeunt, immo nec stare, si diuidantur: quid fiet Iustitiæ, si absit Fortitudo, quæ illi præ cæteris virtutibus clypei loco est, & teli, depellendis, & lascessendis aduersariis? Eam verò demonstratum est, omnino labefactari huius Tract. prop. 8. quâ Captiuis Christianis, metu mortis permittitur crudelissima quæque in Ecclesiam moliri ad illius excidium. Certè si vsquam Fortitudini locus sit ad decertandum vsque ad sanguinem & mortem, nullus potest iustior, aut magis necessarius esse, quàm Christiano, cum de Ecclesiæ ruinâ agitur. At hanc permittit Amadæus vrgere Christianis Captiuis, si mortis periculum immineat: nec sat fuit hoc graui vulnere Iustitiam ne dum moralem; sed etiam Christianam confodisse: decem aliis propositionibus quæ ex ex illo Tractatu supersunt, omninò perimitur. vt si ex primo vulnere adhuc spiraret, aliis superadditis conficiatur. Sed vt validius hoc periculum depellamus, aliqua attingenda sunt de Iuris & Iustitiæ principiis.

Articvlvs Primvs.

Animaduersiones quibus Iustitiæ & Iuris naturalis ratio & principia ex D. Thoma explicantur.

Quæstionem hanc delibauimus initio Articuli secundi; sed paulo fusius est hîc explicanda, vt conuellamus aduersarij principia. In quo lex naturalis posita sit, disputant Theologi: Vasquez singularis est opinio, qui sitam esse putat, non in aliquo voluntatis diuinæ decreto, vt plures Theologorum docent, neque in imperio intellectus, sicut cum D. Thoma, eiusque discipulis, extraneorum aliqui ponunt, quasi in supremo increatæ diuinæ prouidentiæ fastigio; sed in ipsa naturæ rationalis ad bonos actus conuenientiâ, & à malis dissonantiâ, vnde diximus existere bonum honestum. Sed immeritò legis fundamentum & causam, cum ipsâ lege naturali permis-

cent, & confundunt: verum quidem eſt, præcepti quod eleemoſynam diuiti indicit faciendam egeno, ex bonis ſuperfluis, cauſam repeti oportere ab illâ conuenientiâ, quâ exigitur à diuite, vt homini eiuſdem naturæ conſorti, egeſtate laboranti ſuccurrat, & ſibi ſuperflua non deneget, ſummè illi neceſſaria; ſed illi (vt ſic loquar) exactioni ſeu neceſſitati eleemoſynæ faciendæ, accedit diuinum imperium, quo præcipit pauperi ſubueniendum, atque hâc diuini imperij vi, quaſi æternæ ſapientiæ actu præcipuo, conſtare docet S. Thomas legem æternam. Verum quidquid ſit de hâc ſubtili magis quàm neceſſariâ quæſtione, ita rem omnem ſubiectam explico.

Paragraphvs Primvs.

Refelluntur vndecim Propoſitiones ex Iuris naturalis inſtitutione.

Conſentiunt Theologi omnes, legis naturalis ad minus fundamentum repetendum eſſe à naturæ humanæ præſtantiâ, & à propenſione ad bonum honeſtum ipſi conſentaneum, quatenus eminet cæteris animantibus. Hinc præclarè Lanuza egregius Concionum Scriptor docet, Deum ad leges maximè iuris naturalis condendas, inſpexiſſe hominem, illique legem accommodaſſe ad vſum, & ad ornatum, inſtar ſartoris, qui veſtem ad cuiuſque ſtaturam & vſum aptare ſolet. Atque inde exurgit honeſtas illa virtutum, *quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores,* vt ait Plato, *excitaret ſapientia.* Hinc Caſtitatis, Prudentiæ, omniumque virtutum, quas hactenus propugnauimus, & defenſuri ſumus, exiſtit incredibilis pulchritudo, & *honeſtas regnis & ſedibus anteponenda.*

Hinc depromuntur omnia vitæ humanæ officia, vt latè & elegantiſſimè proſequuntur ſuis de officiis libris Cicero, & D. Ambroſius. Nam hominis eſt, vt ratione pollet, eâ duce & magiſtrâ domare affectus, voluptates fugere, aut moderari, ſuum cuique tribuere: ea denique aliis praſtare, quæ ſibi fieri velit, vel ab iis abſtinere, quæ ab aliis pati nolit. Horum officiorum ſatis nos monet ipſa natura, etiam ſi alii magiſtri deeſſent, eiuſque lumine & documentis

tis nouimus, & auersamur omne genus vitiorum, quæ verè vitia sunt, vt furta, adulteria, mendacia: & ipsius virtutis pulchritudine accendimur. His bonis seminibus accedit, ne dum nostræ rationis, sed etiam supremæ intelligentiæ imperium, quo iubet naturæ conuenientia sectari, & dissona deuitare: atque inde legis naturalis & diuinæ vis & ratio exurgit. Neque enim solâ naturæ cum bono consentione, vel à malo fugâ & odio constat, vt opinatur Vasquez: nec solis decretis, aut regulis æternæ veritatis, quæ monent fugiendum mendacium, quasi humanæ locutionis corruptelam, fugienda adulteria, furta & homicidia, quasi societatis humanæ pestes, aliaque id genus mala cauenda, colendam fidem & religionem; quibus Becanus, & alii afferunt contineri legem æternam: sed his omnibus diuinæ authoritatis pondus addendum est, vt vim veræ legis obtineant.

Hinc refellere licet Caramuelis dictum in Apologemate, cui Scotus & eius Schola fauent, liberam esse legis diuinæ institutionem, & nullâ ratione habitâ conuenientiæ, aut potius necessitudinis naturæ cum bono, mero Dei arbitrio statui, ac subinde mutari ad libitum ius naturale; cum demonstratum sit, ab illâ naturæ cum bono cognatione & dissensione à malo, repeti & inchoari, & diuino imperio absolui. Hinc etiam licet agnoscere, Amadæum, & quos propugnat Authores, naturam legis æternæ non attendisse, nec esse consecutos; quia iura vitæ humanæ, & bona cuique à naturâ comparata, precepta seruari & lædi, vetita lege naturali; leuissimis de causis conuellunt, & ob noxam vnius, nummi furto subrepti, aut vnâ alapâ inflictam, docent iustè vindicari, morte Authoris iniuriæ & damni.

Hanc philosophandi de moribus rationem, existimo magis ad Epicuri, quàm ne dum ad Euangelii, sed nec etiam ad sapientum Philosophorum regulas accedere. Pauci norunt in quo Epicuri, eiusque sectæ error sit positus: longissimè aberrant ab eius mente, qui ciborum & venereorum voluptatem auidè expetiuisse, & in eâ felicitatem locasse arbitrantur. Alienissima est ab eius mente hæc opinio & voluptas corporea: eam maximè commendabat, quæ ex virtute & rebus honestè ac præclarè gestis capitur. Quid ergo peccauit? Quod virtutem, non sui,

nec Dei, sed voluptatis & commodi causâ quærendam, *nec iucundam quia honesta, sed honestam quia iucunda, esse doceret*: Ac proinde vellet hominem, ad se omnia referre, omnia sui gratiâ agere: amicitias colere non vt adsit amicis ægrotantibus, sed ne sibi desint, si ægrotauerit; dare etiam operam liberis, ad captandam potius delectationem, quàm ob vllam familiæ & generis humani propagandi curam; reipublicæ obire munera, & pericula arcere, non quod ciui patriæ quam ex eâ hausit, vita sit profundenda, & ad totius corporis incolumitatem, pars sit obiectanda periculis, sed quod saluus esse nequeas, republicâ & vrbe, cuius sis pars & ciuis, extinctâ.

Quare vt paucis absoluam, non putabant se natos esse generi humano, aut cultui diuino; cum ipsi vel nullos, vel otiosos vellent Deos esse, *qui nihil negotij haberent, aut aliis facescerent*: sed sibi ius datum, ex rebus omnibus voluptatem quasi quoddam vectigal, capiendi & exigendi. Ex his Epicuri regulis, Caracallæ speciem nouercæ admirantis, & illius flagrantis cupiditate, sed incestus immanitate deterriti, *quam liberet si liceret*, voci repositum fuit, à petulantissimâ nouercâ ex Epicuri officinâ, *si libeat aut iuuet, licet*: quia omnia voluptatis, & commodi causâ quæruntur & honestantur.

Hæc omnia latè prosequitur Tullius lib. 1. de finibus bonorum, & inde egregia possem excerpere, vt hanc disputationem locupletarem: sed moderandum est orationi, & fugienda Lectorum satietas: satis fuerit fontem omnium errorum veluti indigitasse. vnde totius opusculi, & maximè huius Tractatus de Iustitiâ, videntur propositiones deductæ, cum omnia ad commodum & sui incolumitatem referantur. Nam si finis bonorum stet ab Epicuro constitutus, firma sunt quæ illi astruuntur paradoxa horribilia, licere calumniantem, aut calumnias meditantem occupare & occidere: quia id vtile & necessarium est ad meam aut familiæ salutem, ad quam velut ad primam omnium consiliorum rationem, & finem totius vitæ vltimum, omnia referenda sunt. Eadem est cæterarum propositionum ex communi fine necessaria consecutio.

Quidni etiam insequar, vt 2. Propositione docemur, & iure occidam aduersarium, qui mihi alapam aut fustem impegit, vt iniuriam vlciscar, & resarciam honorem mi-

hi ereptum; ipsa vita antiquiorem? Idem est ius, multoque potius in vxorem, cum adultero deprehensam vtrumque confodiendi, quod multo sit grauior fœdati connubij, quàm alapæ inflictæ iniuria, vt habet Propositio 4. Quidni etiam integrum sit & licitum ex Propositione 5 militibus in bello nauali ignem pulueri subiicere, & se in mare præcipites dare, ne ipsi & sua in hostium veniant potestatem? Nam cum totius vitæ vnus sit finis, voluptas & vacuitas doloris, nihilque magis aduersum sit his bonis, seruitute & captiuitate, quis neget honestissimum esse, quodcumque genus mortis etiam spontaneæ; quæ ex iis malis te eripiet? Cum verò Epicurus nolit suos discipulos rempublicam capescere, nec bonum publicum curare, nisi vt adiunctum habet priuatum; nihil peccabo in rempublicam, si muneribus publicis meo suffragio postpositis dignioribus, admoueam minus dignos, & mihi chariores, ex quorum dignitate, maior in me redundabit voluptas, saluti reipubicæ anteponenda: ita instruimur 6. & 7. Propositione. Octauâ ius asseritur Christianis captiuis, metu mortis territis, illius fugiendæ causâ, Ecclesiam euertendi. Cur ita? quia nihil illis est potius suâ incolumitate & voluptate, cui totum orbem deuouere liceat, si illi, aut mihi pereundum sit.

Vbi tot & tanta concessa sunt priuati boni causâ, cum publici noxâ, anxiâ & ridiculâ religione tangeretur is qui dubitaret vti occultâ compensatione, cum detrimento aliorum creditorum: quid enim ad me aliena iura & commoda, cum mihi soli natus sim, mei causâ viuam, & omnia ad me referre liceat, si possim? Ita Propositione 9 Non minus ineptè anxius ex religione esset, qui publicæ scripturæ iacturam, alia falso cusa resarcire timeret, vt docet Propositio 10. neque enim solum regnandi causâ, sed etiam ob leuiorem voluptatem, vtilitatemque ius violandum est, cum omnia sint eo referenda. Quidni etiam liberum sit Iudicibus, cum dubium ius est, & vtrinque probabile, cui voluerint litigantium rem controuersam adiudicare, & beneficij mercedem recipere: vt habet Propositio 11. & vltima?

Hæc pauca ex infinitis, ab isto fonte hausit Amadæus, quæ plurium Theologorum maximè Dominicanorum testimoniis confirmata, deprompsit ex Aquilar, quem ex Hispano Latinum fecit: vt nihil mirum sit, præter mo-

rem multa Hispana admiscere. Sed videor mihi audire multos conquerentes, me sycophantam potius agere quàm Theologum, & Scriptores de Ecclesia benè meritos, facere de *Epicuri grege*, quod commodi potius quàm naturalis ac diuini iuris rationem habeant, illique vtilitatem & voluptatem anteponant. Sed facilè hanc accusationem depellam: id enim certissimum est, his corollariis eos cum Epicuro conuenire, an verò principiis consentiant, malim probare quàm asserere. Addo aliud non minus compertum his controuersiis ab Amadæo disputatis, honestum vbique contendere cum voluptate, officium cum commodo, legem cum libertate, quod libuerit faciendi; nec minus aperum est, Amadæum semper pugnare pro libertate & voluptate: quidni ergo dicam consectariis Epicuro consentire, nec videri ab eius principiis abhorrere?

Reponet Amadæus in his causis vtrinque probabilibus, legem diuinam beneficio probabilitatis, decedere libertati, commodo, & vtilitati, ac proinde licere illa sectari, & consulere. Hoc vnum superest aduersario præsidium, vnde depellendus est duplici argumento: primum Disputationibus superioribus latè sumus prosecuti; nempe illud probabilitatis beneficium commentitium esse & periculosissimum, vt si detur illi locus, timendum sit, ne id Epicuri concedatur Philosophiæ à Lucretio versibus decantatæ, & à Gassendi explicatæ, quæ pluribus est in deliciis, nec probabilitatis beneficio videtur destitui; cum vix falsi euidentibus demonstrationibus conuinci possit, imo nec fide credi, nisi probabilitatis vsus à fine vltimo, & à lege, intra certas metas cohibeatur. Aliud vrgebo argumentum examine singularum propositionum, & enitar demonstrare, commune omnibus inesse vitium, quod minus probabilia & tuta, contra legem & salutem defendant.

Paragraphvs Secvndvs.

Examen sex Propositionum de Homicidio.

Ab octauâ hâc incipimus examen quâ contendit Christianos captiuos sub Turcarum dominio militantes, posse cum ad nos accedunt, *Christianorum domos perfrin-*

gere, deuastare, & bona subripere ad euitandam mortem eis non exequentibus imminentem; quod art. 1. iam explosa sit. Licet enim periculum mortis, ex fame & egestate extremâ, ius det ex alienis bonis ea excerpendi, quæ instanti necessitati ad vitam sustentandam sufficiant, quia tum bona externa, iure gentium singulis diuisa, communia fiunt, & sublato illo iure ex diuisione, redeunt ad primum naturale, quo ante inductam proprietatem, *bona tam tota erant omnium, quàm singulorum*. Sed quis dicat, nisi Epicureus, qui ad se omnia refert, tum nedum bonorum fortunæ, sed etiam vitæ, & salutis cuiusque iura abrogari, & ad famem aut mortem depellendam, ius esse egeno vitæ & mortis in cæteros mortales? Imò eo necessitatis articulo contendo, non licere panem præripere domino legitimo, quem occupauit & præ manibus habet, sibi ad vitam sustentandam necessarium: aliàs inde nasceretur bellum vtrinque iustum; nam si extraneo necessitatem patienti facis copiam panis, quo legitimus dominus eget, & quem manibus tenet, ac dente premit, plus iuris hic habet sibi seruandi, non solum à dominio quod forte tum desiit, sed à pari necessitate, cuius vim auget ipsa, vt sic loquar panis vsura, aut vsucapio, vel occupatio

Si ista nihil moretur aduersarius, addam aliud longè grauius, quod inde consequitur necessariò: si eo mortis & necessitatis articulo, omnes iuris naturalis metæ conuelluntur, quidni liceat non solum acceptum panem suo domino præripere, sed etiam ipsius carnibus, & sanguine pasci, ad famem & inde consecuturam mortem arcendam? Dices ad ista animum exhorrescere: cur igitur ea ponis principia, vnde necessariò consequantur? Nam si omnia sint communia, & liceant semoto iure naturali, ad famem aut mortem fugiendam, quidni parricida sis, & parentum carnes coquas, sicut aliàs matres filios suos coxerunt?

Ad idem caput pertinet, quam supra Articul. 2. expendimus, dubitatio de ebrietate; an si licita sit præscripta à Medico, & subinde honesta ex proximo fine, vt conducit ad sanitatem, cui cibus & potus (vni inseruit, possit honestari intentatâ morte à tyranno, nisi quis inebrietur, & ad tempus careat vsu rationis. Respondimus id fieri non posse citra peccatum; & hanc nostram sententiam

egregiè propugnant Salmanticenses disp. 10. de peccatis n. 216. & negant legitimã esse consequentiam ab ebrietate vtili ad sanitatem, ac proinde honestâ ex proximo fine, ad ebrietatem extrinsecè, ex malitiâ tyranni necessariam ad mortem euitandam.

Huic dubitationi similem eodem loco mouent de abortu fœtus: an vnquam liceat illum moliri: videntur vniuersim negare plures Theologi à Salmanticensibus relati, quibus non obscurè fauet Hipocrates sacramento quod suis operibus præmittit, Christiano, quàm ethnico digniore: eo verò præter multa, sanctissimè inuocato numine religiosè iurat, *se nunquam daturum pessum subditium mulieribus, ad corrumpendum fœtus*, ratus sine dubio id nunquam licere sicut nec mentiri. Et illi assentitur præter alios, Basilius Legionensis contra Sanchez, qui id licere putat, cum fœtus nondum est animatus, & mortem est illaturus matri, ita vt videatur, quasi aggressor depelli posse citra homicidium: & præter hanc causam ab intrinseco necessariam, nullam aliam admittit procurandi aborsus, extrinsecam honoris conseruandi causâ etiam nobilissimæ puellæ, sponte aut vi corruptæ: huic authori assentiunt Salmanticenses, nec putant legitimam esse consequentiam, quam Basilius vrget contra Sanchez, quia fœtus tum tantum est aggressor matris iure depellendus, cum se ipso illi mortem infert, non verò cum aliunde interdum ex malitiâ matris, eius famam profligat.

Paragraphus Tertius.

De Cæsareâ cæsione matris ad mortem damnatæ, vt infans vi extractus baptizetur.

HÆc Propositio apud Aquilar est 71. & ex illo mutuatus est responsionem Amadæus, quam non omnino improbo: neque etiam videtur repugnare D. Thomæ 3. part. quæst. 88. art. 12. ad 3. Argumento quod obiiciebatur, cum mors æterna animæ grauior sit temporariâ corporis, & è duobus malis minus sit eligendum, ne pereat puer æternâ morte destitutus baptismo, quo nequit aspergi quamdiu inclusus latet materno vtero, videri secandam

matrem, vt abluatur puer: Respondet S. Doctor ex regulâ Apostoli Rom. 3. *Non esse facienda mala vt eueniant bona*; & ideo non licere nobis occidere matrem insontem, vt saluus fiat puer: si tamen mortua fuerit mater, adhuc superstite puero, vel damnata ad mortem secari debet; aliàs vt inquit S. Doctor in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. *Debet homo potius dimittere perire infantem, quàm ipse p. reat. homicidij crimen in matrem committens.* Inde colligere licet, non valere consequentiam, ab extrinsecâ causâ æternæ salutis, & matris damnatæ ad mortem communem & ordinariam secandi matrem insontem: hoc enim haberet reatum homicidij, quo aliud factum caret.

Non est passus Amadæus hâc propositione intactum à suis censuris Caietanum abire, ex Soto illum meticulosè opinatum, paruulos qui in vtero moriuntur, saluos fieri absque Baptismo: quod in Caietano fatetur Soto se noluisse reperire, nec fortè quæsiuit, quia reperisset nullum extare commentarium Caietani in illum articulum. Cæterum si Amadæus suspicatus est, aut fortè optauit Caietanum ita sensisse, non puto id esse periculosius, quàm Cardinalis Delugo suffragiû, quo non dubitauit munire Campellanæ sententiam singularem, paruulos cum deest aqua ad Baptismum, saluos fieri posse sacramento legis naturæ, id est, benedictione paternâ, aut aliâ simili ceremoniâ, quæ magis sit in promptu, quàm aqua.

Paragraphus Quartus.

De calumniatore, de aggressore, de vxore in adulterio deprehensa, an iustè occidi possint.

PRima Propositio de calumniatore opprimendo & occidendo, 69. est apud Aquilar, de aggressore passum impactam alapam fugiente insequendo 71. quarta de Marito occidente vxorem in adulterio deprehensam, est 72. vnde omnes suas responsiones, quibus ab eruditione & diligentiâ laudem habet Amadæus, deprompsit. Obiecerat Theophilus libello de immunitate Cyriacorum, primam propositionem ab amico ex Banne fuisse exscriptam: quare Magistrum Generalem Ordinis accusat iudicij iniqui.

quod Amicum in eadem causa cum Banne positum, hoc absoluto & intacto, damnauerit decreto Congregationis indicis. Accusatio iniquissima est, duobus aut tribus constat apertis commentis. Primo quod velit Romæ primùm, aut solùm damnatum Amicum, curâ Magistri Generalis, cum Congregationis secretarium ageret: at videtur dissimulare hanc amici opinionem, de occupando calumniatore, prius in Belgio à Louaniensibus, quàm Romæ à Sacrâ Congregatione fuisse confixam. Nec verius est, Amici & Bannesij vnam esse sententiam, à Bannesio haustam. Hoc inuentum falsi conuincit ipsemet Amicus disp. 36. sect. 7. de Iustitia & Iure, dum ita scribit suâ sententiâ explicatâ, *verum quia apud alios scripta non legi, nolo ita esse dicta, vt communi sententiæ aduersentur.*

Vides Lector Amicum agnoscere, se nouæ & singularis opinionis Authorem, nec vllâ ratione velle illius gloriam cum Banne, aut quocumque alio partiri. Adde nouâ editione Antuerpiensi scribere, se post priorem, hanc opinionem legisse apud Petrum Nauarrum, & Sayrum, omisso Banne, quem non tacuisset, cum haberet in promptu, nisi sensisset multis à se dissentire. Et re verâ ita est: Bannes enim Dubio 4. in Art. 7. quæst. 64. Concl. 1. statuit, nullum prorsus dari ius occupandi aduersarium, ex solâ suspicione quamlibet vehementi, sibi ab illo mortem impendere, aut grauem noxam, nisi certus sit, ad hoc parata præsidia, vt venenum aut gladium ad necem, vel aditum Iudicem causâ falsi criminis imponendi: Amicus autem huiusmodi cautelas amouet, & viam latissimam aperit suspicionibus. Adde ex Banne, potest tantùm aggressor occupari; ex Amico debet: præterea Bannez vult damnum metiendum esse, illo quod aggressor molitur; Amicus verò permittit certam mortem inferre, ob incertum solius famæ damnum. Quis ergo consensus esse potest, Amicum inter & Bannem, cum adeò immane distent?

Omitto longius Familias & Scholas differre, quàm hos priuatos Authores. Nam apud recentiores certissimum est opinionem quamcumque vnius Authoris classici suffragio probabilem speculatiuè, posse tuto ad praxim reuocari; quibus cum hæc Amici opinio præsidiis non careat, quidquid dissimulent Amadæus & alii, tutissimam censent: nos contra ex S. Doctoris certissimâ regulâ,

nullam opinionem quamlibet probabilem, censemus tutam, si falsa sit & contra legem, nec desit vnus aut alter grauis Theologus, qui reclamet. Amadæo tutam facit probabilem opinionem, falsam, legi aduersam, vnus doctor aliis reclamantibus: apud D. Thomam nequidem mille id possunt, si vnus adsit qui pro lege pugnet: Ergo nihil hâc in re nobis cum Amadæo commune.

Sed res operosius tractanda est, & veritas eruenda ex naturâ homicidij, de quo ita rigidè & verè statuunt D. Thomas & Scotus, vt nullus horum discipulus his tribus propositionibus de homicidio assentiri possit, nisi apertè à suis magistris desciscat. Licet enim hi duarnm Scholarum Principes, de iure homicidii minimè conueniant, vterque tamen abhorret à crudelissimâ opinione relatâ.

Quare de subiectâ quæstione tres occurrunt sententiæ: Scoti vna rigidior, recentiorum altera laxissima, & media D. Thomæ tutissima, cui adhærendum omnino est, nisi velimus impunitate donare plura scelera cum Scoto, vel ex Amadæo cædibus orbem vastare.

Scotus quidem temeritatis accusatur à nonnullis, quod dixerit genus omne homicidii lege diuinâ prohibitum, nec vllum licere crimen morte punire, nisi quibus Deus lege veteri hanc pœnam inflixit, qualia sunt, blasphemiæ, adulteria, aliaque non admodum multa: quia *nefas est*, inquit, subditum legem Principis resoluere aliquâ dispensatione, aut exceptione: Atqui Deus prohibet in totum interficere quemquam: Ergo iniqua est quæcumque lex humana, & Ecclesiastica, cum pœnam mortis constituit, nisi prius iisdem criminibus, id genus supplicii fuerit lege diuina sancitum.

Inde plura corollaria infert: primum, fures nisi sint grassatores, & domos inuadant, non licere damnare pœna capitis, cum Scriptura eos eximat ab hoc supplicio: *nec vlla è cœlo*, inquit, *hactenus bulla delata sit, quæ fures à lege homicidium prohibente, excipiat.* Addit secundo, adulteris indictam lege veteri pœnam mortis, remissam esse his Christi verbis ad adulteram, *nemo te condemnauit, neque ego te condemno.* Fateor hanc Scoti opinionem singularem esse, & quamuis humanior sit, longè tamen recedere ab vsu, apud omnes recepto, quem S. Doctor validissimis argumentis confirmat, ab ipsamet naturâ &

ratione naturali depromptis: quare citata quæstione art. 1. & 2. docet perinde licere authoritate publicâ improbos morte multare, ac priuato cuique animantia interficere sibi noxia, aut vtilia ad alimentum.

Harum omnium assertionum vnica est ratio, quâ Scoti argumenta dissoluit Caietanus, atque, inquir, non oportet aliunde mendicare responsionem, quam solido à fundamento, cui D. Thomas astruxit totam de homicidio doctrinam. Nullus, inquit S. Doctor, art. 1. peccat vsu rei, ad quem est à naturâ comparata: atqui plantæ & animantia omnia subduntur homini, & in illum referuntur: Ergo ius habet illis vtendi, eaque interficiendi, si noxia sint ad arcendum malum, aut si vtilia & proficua, ad captandam inde vtilitatem voluptatemque.

Articulo 2. eâdem ferè argumentatione probat reipublicæ licere, illæso Decalogo improbos interficere, quia sicut ius homini comparatum est in animantia, quatenus ad illius commodum creata & ordinata sunt, ex perpetuâ naturæ lege, quæ inferiora superioribus annectit & subdit causis, sicut etiam membra & partes corporis ad illius incolumitatem referuntur, & si corruptæ sint necesse est amputari, ne totum corpus inficiant: Atqui inquit S. Doctor, eadem est ratio ciuium & priuatorum hominum, si cum republica conferantur, quæ est animantium ad hominem, quæ est partium & membrorum, ad salutem aut perniciem corporis: Ergo si reipubicæ noceant, eiusque saluti & tranquillitati impedimento sint suis criminibus, morte & suppliciis ab illâ semouendi sunt, sicut ferro corrupta membra à corpore sano & integro; nam *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Adde improbos, vt obseruat Caietanus, ab hominis sorte in ordinem bestiarum delabi, quia vitio imputantur homini, quæ in brutis natura est, libido, sæuitia, rabies: Ergo perinde ac feræ, publicâ authoritate insectandi & perimendi sunt improbi, vt ratio postulauerit boni communis.

Inde ad argumenta Scoti respondet Caietanus, præcepta legis veteris iudicialia quædam esse Christi morte extincta: alia verò moralia æternæ veritatis & authoritatis, qualia sunt quæ Decalogo continentur, ab ipsâ naturâ desumpta, vt initio huius Articuli probatum est, ac proinde

nedum reuelatione, vt vult Scotus, sed etiam ratione naturali sunt interpretanda: neque enim quæ Decalogo continentur, bona sunt quia præcepta, aut mala quia prohibita; sed potius prohibentur aut iubentur, quia bona sunt, ipsâ cum naturâ consensione, aut mala ex repugnantiâ, vnde cuiusque rei honestas & vitium ab institutione naturæ existit. Quare omnium sapientum, omniumque nationum consensu receptum, idque naturæ conuenit, licere authoritate publicâ malos castigare, cum noxij sunt tranquillitati publicæ, cuius causâ nati sunt.

Eâdem argumentatione conficit S. Doctor Articulo 6. nullo iure insontes occidi posse à Republicâ: quia deest vnica causa homicidium honestans, nempe pœna vitij & peccati, quo læditur publica tranquillitas. Inde etiam art. 7. deducit præcipuum disputationis caput, cuius causâ superiora præmisimus: nempe nulli priuatâ authoritate licere quemquam interficere, nisi causâ defensionis sui, cui adiuncta sit cædes aggressoris præter mentem occidentis. Mira est S. Doctoris hâc in re sapientia & cautela. Cum quisque hominum sit sui causa, & Dei à quo procreatus est, ac patriæ quæ illum instituit, sibique veluti partem corpori inseruit; certum est nulli hominum in alios conuenire ius vitæ & mortis, quale asseruimus homini in animantia, & reipublicæ in ciues malos: Ergo nulli hominum concessa est facultas quemquam iure occidendi, neque aliorum mortem ad suum commodum referendi, sicut animantium cædem, ad vitam sustentandam, vel impiorum supplicia, ad tranquillitatem publicam diximus pertinere; quia non sumus nati & instituti aliorum gratiâ, sed nostri, Dei, & patriæ: Ergo nulli mortalium licet, mortem nostram optare, vel curare, aut eligere, vt medium ad suam cupiditatem explendam, vel seruandam vitam. Quâ ergo ratione licet? Vt necessariò præter tuam mentem, adiuncta est tuæ saluti, ex aduersarij malitiâ, potius quàm tuâ voluntate, vt cum mortem tibi per summam malitiam intentat, nec vitare possis nisi illum occupes: tum igitur tantum honestari potest homicidium priuatâ manu factum.

Ad cuius rei lucem, bifariàm, inquit S. Doctor, interprete Caietano, mors aliena annecti potest meæ saluti & incolumitati: primò vt medium ad finem quod eò refe-

iam, quasi remedium ad valetudinem, quasi cibum ad vitam sustentandam: vel secundo mors hominis meæ saluti adiungi potest, vt quid consecutum ex finis necessitate, sicut ex frequenti vsu medicamentorum, existit aliqua debilitas corporis, quæ est à remediis. Planum est demonstrare, nec minus enidens, & ad rem nostram necessarium hoc discrimen obseruare. Nam cum remedia aut alimenta referantur ad salutem & vitam tutandam vt media, vtraque optamus & deligimus, & vt verbis Caietani vtar, *hæc omnia cadunt sub intentionem*, quia reuera volumus vitam & valetudinem, & illarum causâ, cibum, & remedia: quæ verò ex fine quâdam necessariâ consecutione existunt, vt debilitas ægri vi remediorum, hæc præter mentem nostram, nobisque omninò inuitis accidunt, & magis illa patimur, quàm eligamus.

Hinc elucet profundissima S. Doctoris sapientia, & in genus humanum immensa charitas: hâc vnâ distinctione arcet cædes & homicidia, cum ait non posse ab vllo priuato eligi, vt media ad nostram salutem: hoc enim iuris tantum est hominis in bruta; vel Reipublicæ in ciues, vel cuiusque nostrum in membra corporis putrida. Absit verò vt hoc genus potestatis & iuris concedamus cuiquam in cæteros homines, vt mortem illorum ad suam salutem referat, quasi remedium ad finem. Quare non potest vllo titulo quæri, nisi vt nobis inuitis adiuncta est nostræ incolumitati, & inde sequutura, sicut ex validis remediis, nasci solet quædam debilitas corporis.

Hâc distinctione præmissâ quasi face, tenebras omnes ex hâc obscurissimâ quæstione dispellit S. Doctor, & se probationi assertionis accingit, atque ita prosequitur: Ex inculpatâ sui defensione aduersus aggressorem, duplex existit effectus; nempe salus & incolumitas sui, & mors aggressoris. Primum nihil habet mali, quia innascitur rebus omnibus amor sui. & suæ incolumitatis cura. Impetus verò, & actus ex affectu naturali in bonum, suâ origine honestus est, nec aliunde vitiari potest, quàm cum finis non aptatur, illumque obliquè auidius, & maiori desiderio, & conatu quærimus quam conueniret. Atque ita qui se tutatur aduersus aggressorem, peccare quidem potest, si vindictæ cupiditate agat. si modicæ iniuriæ & vi opponat maximam, si leue damnum graui vlciscatur: at verò si

vitam tantum tutari velit, nec possit nisi occiso aduersario; nihil peccat: quia quisque sibi magis, quam cæteris mortalium, viuere & bene velle debet.

Hoc D. Thomæ argumento valide refellitur opinio recentiorum, tribus propositionibus explanata, qui videntur omnino dare cuique hominum ius in alios, par iuri nostro in bruta, aut reipublicæ in ciues: vnde non minus cruenta & horribili, quam necessariâ consecutione, ex falso & pestilenti principio, præter alias innumeras assertiones, has tres deducunt, quibus docemur aliorum mortem ad nostrum commodum, perinde ac brutorum cædem ad nostram vtilitatem referre. Hinc data licentia interficiendi calumniatorem, quamuis famam non vitam impetat, & insequendi atque occidendi aduersarium qui alapam impegit: hinc permissum viro, vxorem cum adultero confodere. Quis non videat has assertiones inculpatæ tutelæ, à D. Thoma solidissimis fundamentis metas constitutas prætergredi & conuellere, nec consulere tantum iustæ defensioni vitæ & honoris, sed vindictæ, odio, aliisque prauis affectibus indulgere? Neque enim ex D. Thomæ regulis, id est, ex verâ legis diuinæ interpretatione, licet mihi priuatâ authoritate vnius vindictæ studio, mente præ irâ & odio excœcatâ, quidquid iudicibus non liceret: vt qui tibi forte à te prouocatus calumniam instruxit, aut meditatus est, quæ famam lædat non vitam, tibi pœnas det capitis; qui tibi alapam inflixit, supplicio mortis afficiatur; & vxor in adulterio, quod forte primum ex infirmitate contra coniugij fidem peccatum admisit, impunè & innoxiè confodiatur à viro, qui concubinas aluit, qui fortè adulteri quem interficit, primus vxorem corrupit. Quis credat repertos esse, aut vnquam potuisse reperiri nominis Christiani, & religiosæ professionis Theologos, qui ista docerent, posse tutâ conscientiâ in alienam vitam priuatos moliri, vindictæ cupiditate flagrantes, quæ certum est non posse etiam à Iudicibus publicâ authoritate decerni, quia manifestam præ se ferunt sæuitiam, crudelitatem? & idem singulis hominum in omnes ius concedunt, quod habemus in bruta, vt aliorum mortem sicut animantium ad nostram referamus vtilitatem, à quibus abhorret omnino S. Doctor, & transfuga sit potius quam legitimus eius discipulus, qui ista non execretur.

Quos verò Thomistas affert Amadæus qui has assertiones doceant, aut non improbent, quod vix crediderim: si ita sit, dicam illis contigisse, quod Maldonatus de quibusdam Scripturæ Interpretibus Catholicis, & Bellarminus de nonnullis Theologis obseruarunt, frequenti lectione Commentariorum, & librorum Caluini, aliorumque Hæreticorum corruptos, & inde Albertum Pighium hausisse suam de peccato originali, & de Iustificatione opinionem; quæ propius accedat ad Zuinglij & Caluini errores, quam ad Catholicam doctrinam. Idem de Thomistis pronuntio, si qui his assertionibus assentiantur, recentiorum magis laxitates quam D. Thomæ certissima principia consuluisse.

Quamuis etiamsi accuratius expendantur, possim Amadæo illorum suffragia eripere. Nam quod ad primam Propositionem attinet de calumniatore opprimendo & occidendo; diximus interpretationem Bannes, id iuris non concedere, nisi adsint duæ conditiones, quas nihil morantur recentiores, nempè certa calumniæ, & inde secuturæ mortis notitia: aliàs si probabile sit tantum mortis periculum, aut immineat tantum minus graue honoris, dico citra atrox scelus non posse occidi, nec tum fore occupationem iustam, sed iniquissimam inuasionem, violentam prouocationem, qualis esse solet in apertos hostes incursus, aut bestiarum venatio: vtramque conditionem significat Serra verbis ab Amadæo relatis.

Addo aliud: cum illata est læso, aut eius familiæ iniuria aut calumnia, hanc notam vel infamiam, augeri potius quam deleri morte authoris; ac proinde cùm medium sit omninò ineptum, ad tutandum vel reparandum honorem, non posse eligi nisi per scelus execrabile, ad id bonum consequendum: Ergo damnandi sunt qui calumniatorem occidunt, qui aggressorem inflictâ alapâ fugientem insequuntur, vel viri qui vxorem cum adultero deprehensam confodiunt: sed multò detestabiliores sunt, qui ista media aut potius scelera consulunt. Prima Propositio argumenti euidentissima est: neque enim ad inculpatam honoris, & vitæ tutelam, pertinere potest, aut iuuare ad damnum famæ resarciendum, quod infamiam potius augeat, quam minuat aut tollat: id verò ita esse (quæ est altera propositio argumenti) adeo euidens est

apud Christianos, vt negari nequeat, nisi Euangelium eiuremus; & ipsimet aduersarii agnoscunt, cum monent, hanc de calumniatore occupando & occidendo opinionem, esse speculatiuè non practicè probabilem, propter adjuncta scandala, neque esse euulgandam; & si quando id quis meditetur vellet Deum latere & homines: id verò quâ ratione fieri potest, cum non ad aurem ista dicantur, sed prædicentur in tectis, posse calumniatorem occidi? Et vbi innotuerit occisum esse virum, cui cum alio vel alia familia intercesserint simultates, & compertus aut suspectus fuerit, illi calumniam aut iniuriam fuisse meditatum, ex ipsâ omnium opinione & rumore vulgi, circumferetur calumniatorem oppressum, pœnas dedisse priuatâ authoritate, quas non posset iudicii via, aut etiam regia potestas apud probos homines honestare: Ergo mors illata calumniatori, aut aggressori, ineptissimum medium est purgandæ famæ; cum apud cordatos homines sit scelestissima. Audi quid sentiat Vasques de secundâ Propositione: *Quod ei, inquit, qui alapam recepit, liceat inimicum, si potest, fuste cadere, & quod is qui fuste cæsus sit, possit statim insequi percussorem, & ipsum occidere, non Christianam esse, sed Gentilitatem sapere, ac legem Euangelicam & Decalogum destruere; idque etiam sceleratis notum esse.*

Multa habet de homicidio Vvendrochius Notis ad 14. Epistolam quæ tota est fere de hoc argumento ex SS. Patribus collecta, omnino probanda: à quibus abstinemus, quia satis, quod è re nostra est, D. Thomæ documentis dissoluuntur quæstiones, Apologiâ Casuistarum obiectæ 81. in quibus dirimendis insudat Vvendrochius. Vellent expressis Scripturæ verbis doceri, Deum iussisse vt latronum & insolentium vitæ parcatur, & ad naturalis rationis iudicium non esse referendum, quando liceat, quando non liceat proximum occidere: nam generali præcepto nihil aliud prohibetur, quam ne quis alium, sine causâ legitimâ interficiat. Respondeo rationem nos docere, solâ authoritate publicâ homicidium licitum per se esse, vt medium ad communem tranquillitatem; à priuatâ potestate numquam; sed ad summum nos illud pati, vt accidentario iunctum vitæ nostræ defensioni: atque vt eodem D. Thomæ & Caietani exemplo vtar, sicut remediis quæri-

mus valetudinem, minime vero quæ ex illorum vi, aut vsu consequitur, infirmitatem, quia omnino præter intentionem accidit; ita de morte aggressoris adiunctâ accidentario nostræ salutis defensioni statuimus.

Inde in promptu est responsio facilior, ad difficilem; & vt putat Apologista, insolubilem quæstionem: Cur vitæ seruandæ causâ occidi possit aggressor aliquando, honoris autem tutandi gratia calumniator numquam: cum tamen multis honor sit longe charior vita. Argumentum multis peccat, & omissis solutionibus Vvendrochii satis idoneis, ex nostris principiis respondeo, comparationem honoris ad vitam esse ineptam; quia sit rerum quæ ad diuersa genera pertinent; quarum nos docet Aristoteles vix probe vmquam institui comparationem.

Præter hoc vitium argumentationis à collatione rerum disparatarum, aliud superest longe grauius: ponit tanquam in confesso apud omnes, quod falsissimum est, mortem aggressoris optari & eligi vt medium, ad vitam seruandam, ac proinde adhiberi posse quasi vtilem & necessariam, ad honorem vindicandum vita potiorem Iam millies diximus, mortis delectum vt medij, non ad inculpatam vitæ, multominùs honoris; sed ad culpabilem defensionem, & vindictam illicitam pertinere.

Vrgebis cur non perinde mors calumniatoris adjungi posset honoris defensioni, sicut vitæ mors aggressoris? Dum ita quæris, ignorare videris omnino, quod latere possit neminem, sicut vitæ & honoris, ita vtriusque defensionis diuersam esse omnino rationem. Vita quibus impeti solet armis, defendenda est; & hinc accidet interdum mors aggressoris, inuito defensore: honor vero verbis & scriptis lacessitur & propugnatur; sed id genus certaminis omnino incruentum est: Ergo inepte quæritur, cur ex priore pugnâ pro vitâ, consequatur mors, ex posteriore id fieri nequeat. Dignior esset carnifice quam Theologo ista obiectio. Mors aggressoris aut calumniatoris, iure eligi numquam potest ab homine læso, ad suum quodcumque vitæ & honoris commodum: quia medium ad ista bona comparatum esse nequit. Quid igitur? Illam pati & ferre possumus, non eligere, vt adiunctam inculpatæ tutelæ salutis, non honoris Cur ita, causam ex diuerso genere certandi repetitam, aperuimus; armis

defenditur

defenditur vita, vnde vtrinque imminet periculum mortis, quia incerti sunt euentus armorum,& intra metas inculpatæ tutelæ, consequi potest mors aggressoris; honor & fama (quamdiu pro illis tantum pugnatur) defenditur verbis & scriptis, quæ sunt incruenta. Si verò his abiectis, progrediatur læsus ad arma & ad venenum (quod horrendum nefas est) iam mutatur quæstionis status, cum ipso genere certaminis: ac proinde vel euanescit argumentum Apologistæ, vel si velit stare, prodit incredibilem barbariem, & mortem calumniatoris iam non fert tantum, quod vnum patitur inculpatæ tutelæ ratio, sed vrget, ambit, illique totus inhiat. Certè si in bello, quis armis & viribus diffisus, veneno hostem aggrediatur, intestabilis habendus est: quid de illis statuas, qui incruentum per calumniam certamen, quo fama petitur, mutant in venenum, in arma, & pugnant pro capite? Hæc satis ad quæstionis solutionem, & ad prodendam etiam aduersariorum inhumanitatem, nisi excipias eos nescire quid dicant, aut quærant.

Quintâ Propositione habet licere militibus in bello nauali, ignem pulueri adiicere, & se mari committere, ne ipsi, & sua in hostium potestatem veniant. Ea verò apud Aquilar est 77. vnde præcipua & magis selecta deprompsit Amadæus, de quâ ita sentio. Si qui id aggrediantur metu tantum seruitutis, aut desiderio illius fugiendæ (quod videtur Lessius docere) reatum incurrere mortis vltroneæ, quæ nunquam excusari potest: hanc tamen noxam euitari, si duo addas; instare mortem ineuitabilem & crudeliorem ab hostibus, iis qui superstites sunt futuri pugnæ, & opimis spoliis ditandos, quibus insolescant, vires augeant in patriam; tum verò vlciscendæ patriæ, communium hostium morte, possunt se bono publico deuouere; & hoc sensu propositionem admitto.

Paragraphvs Tertivs.

Expenduntur quæ supersunt quæstiones.

Breuius erit, quæ supersunt ex Tractatu quinque Propositionum examen, quia aliis locis discussæ sunt, & aliquo sensu possunt admitti. Vndecima de Iudice venali,

suamque sententiam, pecuniis ab vno, vel ab vtroque litigantium receptis, venditantes diximus plura contra Tamburinum. Hæc verò Propositio est 122. apud Aquilar, quem se prouocantem ad vo'andum, Amadæus insequitur. Sed fraudem addit: Aquilar Fragosum huius assertioni: incusatum Authorem, excusat vtcumque, quasi eiusdem instituti nullus sit, qui ita sentiat. Sed non poterat ignorare, Tamburinum cuius opus probauit Theophilus laude additâ, *quod exquisitè moribus consuleret*, ita expressis verbis docuisse: sed id tacet & dissimulat, vt Dominicanis huius teterrimi paradoxi odium confletur; & aperto dolo P. Candido i[illegible]ingitur, quòd dixerit non esse contra Iustitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis. Verum longe alia est ratio beneficiorum & iudiciorum, ac proinde illegitima est consequentia quam trahit Amadeus. Candidi mens est, authoritate Pontificiâ exactionem licitam statui posse redituum ab iis qui sacerdotia adeunt, quam puto vocari *datas*: malè ergo Candidus aduocatur in huius paradoxi patrocinium. Nec meliori fide asciscitur, quod scripserit, sententiam in tuum fauorem esse pretio æstimabilem: quid tum? licet-ne propterea vendere litiganti? Non certè magis, quàm commoda temporalia adiuncta Sacerdotio; cuius cum sint accessio, & illius naturam resipiant, vendi nequeunt citra sacrilegium simoniæ.

Nec sincerius aduocantur Bannes, Lopes, & alij Dominicani: nam cum Iudex corrumpi possit pecuniis, primò ante causæ examen, vt faueat se corrumpenti, secundò cum causa discussa est, vtrimque in æquilibrio probabilitatis; Bannes & alij, ad summum permittunt Iudici secundum genus, non primum corruptelæ: Ego vtrumque damno.

Sexta Propositio de licita electione digni, omisso digniore est 117. apud Aquilar, & Septima quæ idem iuris asserit, in electionibus Regularium est 123. Communis Thomistarum sententia, quam egregiè explicat Caietanus *Verb. electio*, duo requirit, ad legitimam electionem Pastoris: primum vt bonus sit, & sine peccato mortali, qui eligitur, & sit optimus ad regimen & moribus, omnium quos nouit Elector: neutrum, ait Caietanus, posse ab Electore sciente & prudēti, sine peccato mortali omitti;

maximè cum sit electio ad officia, quæ habent adiunctam curam animarum, & discrimen eligentium sit, non leue, sed graue & insigne: tunc enim si spreto digniore, minus dignus assumatur, peccatum est contra iustitiam distributiuam; ex qua bona communia conferri debent, in eos qui pares sint officiis administrandis: peccatur etiam contra iustitiam commutatiuam, læso iure digniorum ad bona communia: augetur peccatum, & ferè ex omnium Theologorum sententiâ mortale est, si concursu fiat electio ad beneficia; secus est, si gratis conferantur, nec cura animarum incumbat. Quæ iis duabus Propositionibus habet Amadæus, ex Hispano in Latinum versa, non expendo: & quos affert, Thomistæ interpretandi sunt sensu Caietani, cuius testimonio abutitur, nec sinceriorem puto in aliis Dominicanis citandis.

9. Proposit. de occultâ compensatione aliquando licitâ, cum præiudicio aliorum creditorum, habet Aquilar 121. Eam verò accuratè expendit Mercorus 3 parte art. 12, nec legitimam putat, si desit vlla harum octo conditionum; vt scilicet 1. vitetur damnum debitoris, 2. nulli noxa creetur, 3 ne fiat compensatio ex deposito, 4. nec ex bonis debitoris, 5. non alia suppetat via rem recuperandi, 6. vt quá fieri potest, compensatio fit de re eiusdem speciei, 7. de debito præsenti non futuro, eoque tandem indubitato. His positis, negat vnquam licere compensationem, cum dubium est facti; quia tum possessio fauet debitori: si verò dubium sit iuris, & vtrimque probabiles opiniones, docet contra Delugo, quam sententiam sequuti sunt Molina, Suares, & Vasques, compensationem licere, non totius debiti, sed partis, iuxta probabilitatis gradum, quo metiendum ait, ius actiuum & passiuum: aliàs si quisque integrum sibi assumeret, daretur bellum vtrique iustum; & controuersa res communis esset & propria, id est, tota omnium, & tota singulorum, quod apertè ait repugnare. Quare permittit compensationem, pro gradu dubii, seruatis aliis conditionibus; vt v. g. cum est dissensio opinionum, an testamentum tempore pestis scriptum, & minore numero testium, quàm lex exigat signatum, valeat; hinc hæredi probabile est, legata non esse sibi soluenda, & legatario sibi deberi: tum concedit legatario partem legati, omissâ compensatione assumere;

qui a iura non minus illi fauent, quàm hæredi, qui suam partem seruat. Nec dicas possessionem fauere hæredi: Respondet in dubiis facti; possessionem fauere debitori, ex quâ præsumitur, rem ad illum pertinere; sed hæc possessio non iuuat infirmando testamento non minus solemni. Probo etiam quod Amadæus ait, minus mali habere, compensationem ex debitis, quæ personalia dicuntur, nec vllam hypothecam habenr, in quibus soluendis, non esse habendam rationem prioris creditoris, docent multi Theologi, & ita etiam limitat suam sententiam Diana.

Decimâ Propositione dicitur *licere amissam Scripturam publicam; alia simili falsò cusa reparare*: & huius assertionis Author refertur Sa, quem vtcumque excusat Amadæus, si nulli fiat iniuria; sed immerito Caietani testimonio confirmat. Ille enim *verb. falsarius*, damnat peccati mortalis huiusmodi corruptelas, & falsationes Scripturarum; maximè si tabulis publicis sint exceptæ, *quia interuenit*, inquit, *factum perniciosum ex suo genere*: & tum videtur peccati tantùm venialis accusare, cùm fit ioci causâ, vel cum minimo nocumento. Non est interpretandus de Scripturis publicis, sed de priuatis: *Cum alieno*, inquit, *nomine officiosè, finguntur litteræ ad commodum illius, cuius nomen apponitur, nec præsumitur hoc illi fore ingratum.* Quare immeritò ait, plus Caietanum concedere, quàm Nauarram & Sa: neque enim isti negarent quæ Caietanus asserit de priuatis litteris, non publicis tabulis. Non est passus hâc Propositione, Dominicanos abire à suâ censurâ immunes, sed Robertum Holcot optimum Scripturæ Interpretem, Theologum verò magis Nominalem, quàm Thomistam licet Dominicanum, duabus hæresibus notat ex Mendosa, quòd dixerit mendacium Deo non repugnare; id verò ex communi Nominalium opinione tradit, & ex principio Scoti, omnia Decalogi præcepta, mero Dei arbitrio mutari: & si ex Gregorio *ficta sanctitas, fit duplex iniquitas*, meritò dixeris Amadæū grauius errasse Roberto Holcot, cum mendacium in speciem Deo ait repugnare; consentire verò quamcumque æquiuocationem, aut restrictionē mentalem, quàm purum putumq; mendacium esse Disp. 1. Art. vlt. ex SS. Patribus demonstrauimus: Ergo mendaciū Deo repugnare verbis negat, re concedit,

Articvlvs Secvndvs.

Animaduersiones in Tractatum X. de vsuris.

AMadæus Esclapes, & Aquilar propositiones, ex sui instituti Authoribus excerptas nullo ordine, ad certas classes, in quindecim Tractatus redegit; nec huius libelli, Hispano sermone scripti, & in Hispania emissi, mentionem facit, sed prætexit alium eiusdem argumenti per Belgium, & Germaniam sparsum, cui Caramuel obiter respondit, quem ipse accuratius expendit, & in meliorem formam vagas (& vt sic loquar) nullo ordine palantes propositiones digerit.

Nos argumenta potius, quam tractationum seriem secuti, in Lectorum gratiam, ad certa capita reduximus, & diuisa in tres partes collegimus. Prima habet quidquid ad moralem virtutem pertinet,& à secundo Tractatu de opinione probabili sumus exorsi, quòd illo regina virtutum Prudentia impeteretur. Deinde Tractatum primum aggressi sumus,qui totus ferè,exceptâ primâ Propositione, est contra castitatem: huic attexuimus 14. tract. de matrimonio eidem virtuti infestum: & vt absolutam de Temperantiâ tractationem darem, 8. de ieiunio & sobrietate, altera temperantiæ parte adiunxi. Hâc eâdem parte vocaui ad examen Tractatum 5. de iustitia & iure,cui tandem annecto X. de vsuris, quod ad eandem iustitiam pertineat. Hic ordo est nostrarum animaduersionum, quo Amadæi exerrationes, sicut ipse Aquilar, correximus. Atque hæc est nostræ methodi ratio, quam conferre plurimum ad causam, & ad Ethicæ nostræ lucem, visum est Lectorem admonere.

Paragraphvs Primvs.

Vera Diui Thomæ mens de vsuris.

IVxta Ordinem institutum totius Disputationis, inquirimus primum, quid de vsuris docuerit Angelicus Præceptor, & quid eius discipuli sentiant, aut sentire conueniat; vt validius in illos, vel potius in ipsam Iustitiam

instructas calumnias, depellamus. Non potui è purioribus fontibus doctrinam nostram haurire, quàm ex quæst. 78. 11 & ex Caietani commentariis in illam; quorum omnium medullam habet ipse in Summa *Verb. Vsura*.

Ex his ergo locis colligimus primùm, vsuram peccatum esse suo genere mortale, contra Iustitiam; quod illius partem præcipuam, nempe rerum commutationes, emptione & venditione peragendas, grauiter lædat: nihil enim illi capitalius aduersatur, quàm si bis eandem rem iusto pretio, aut quæ non sit nostra, vendamus. Alterutrum, aut vtrumque vitium inesse vsuræ, demonstrat S. Doctor art. 1. à naturâ pecuniæ, vino, aliisque poculentis, & esculentis simillimæ, quod ipso vsu, seu traditione absumatur, & pereat numeranti: licet enim, vt obseruat Caietanus, responsione ad obiectiones contra hoc fundamentum D. Thomæ, res quæcumque iuxta rigorem, vt sic loquar physicum, differant à sui vsu, sicut natura & substantia, à propriâ operatione; hoc tamen nihil ad nostram Disputationem refert, quia quascumque res vendibiles, aut pretio æstimandas, non exigimus ad principia naturalia, quibus constituuntur & agunt: sed comparamus ad commutationes ex iustitiâ instituendas. Licet vini potus sit quid diuersum à vini substantiâ; nihil tamen hoc discrimen refert ad commutationem; quia, vt inquit Caietanus, pro eodem computatur vinum & vsus vini, nec vinum vendi potest, ab illo seiunctum. Eiusdem generis est pecunia mutuò data: atque hinc differt ab equo, à domo, & aliis id genus rebus, quarum dominium adeò diuersum est ab vsu, vt vni vendi, aliis locari nihil vetet.

Atque hinc elucet vis argumenti D. Thomæ, quo ex pecuniis mutuo datis demonstratur vsurâ institiam grauiter lædi: quia cum pecunia instituta sit ad mercaturam, vt commune rerum pretium, & sicut vinum & panis vsu absumuntur, nec locari possint, veluti domus, aut equi; neque vt loquitur D. Thomas, debeat computari vsus pecuniæ à re ipsâ, sed cuicumque conceditur vsus, hoc ipso concedatur pecunia, & per mutuum transferatur illius dominium; si seiunctim hinc venderetur pecunia & vinum, inde illorum vsus, bis eadem res venderetur, & non sua; atque ita vini mutuo dati duo pretia soluerentur, vnum rei æquale, aliud vsus rei, secundum æstimationem moralem, à re ipsâ nullâ ratione distincti.

Hoc argumentum confirmat S. Doctor comparatione rerum, quæ vsu non absumuntur, sicuti domus, cuius vsus est habitatio, non destructio, sicuti equi est equitatio, non mactatio: ideo diuersum venditionis huiusmodi rerum, & locationis pretium iure solui potest & debet: quia emptione domus comparatur, vsus locatione: Ergo aliud est emptæ, aliud ad vtendum accommodatæ domus pretium, atque ista adeò seiuncta sunt, vt possit quis emptori tradere dominium domus, seruato sibi ad tempus illius habitationis vsu; vel contra alii accommodare, & præbere vtendam, seruato illius dominio. Vnde nihil fit præter æquum, cum quis exigit solutionem domus commodatæ, & exacto locationis tempore, ipsam domum repetit. At longe diuersa est ratio pecuniæ, nam cum instituta sit ex Arist. 5. Eth. c. 5. & 1. polit. c. 7. ad commutationes peragendas, eo, quo appenditur, & prodest vsu, absumenda est: quare iuxta legem naturalem illicita est, & prohibetur vsura: & sicut quæcumque alia iniustè comparata, obnoxia est restitutioni.

Notanda est Responsio ad 2. & ad 3. argumentum ob singularem eruditionem. Cum Deut. 23 præcipitur Iudæis *non fænerabéris fratri tuo pecuniam ad vsuram, nec fruges, nec quamlibet aliam rem alieno*: nomine fratris interpretari oportet, inquit S. Doctor, quoslibet eiusdem naturæ nobiscum consortes, in quibus cum de charitate & æquitate agitur, debemus, vt inquiebat Aristoteles, attendere ἄνθρωπον non τρόπον, id est, communem naturam, non priuatos mores, & errores: & hoc maximè obseruandum est vocatis ad legem Euangelij, id est charitatis, quæ omnes homines eodem sinu complectitur.

Quod autem addit Moyses *alieno*, hoc magis ad duritiam cordis Iudæorum pertinet, quàm ad legis naturalis æquitatem: idque non concessum, sed permissum est Iudæis pecuniarum auidissimis: quod illis auaritiæ vitium improperat Isai 26. Atque vt ab expilandis fratribus auerteret, quasi à maiore peccato, alienis fœnerari non concessit Moyses, quasi legitimum, sed passus est quasi minus malum: nam vt addit S. D. resp. ad 3. velut huius solutionis interpretationem, leges humanæ aliqua peccata impunita sinunt esse, ne hominis cupiditas in peiora prorumpat, & grauibus pœnis coercita, atque à peccatis de-

territa exardescat in atrociora. Inde indulgentia vsurarum cum alienis veluti frænum& remedium data est, ne quid peius contingeret.

Confirmat responsionem S. Doctor authoritate Arist. citato loco Polit. qui ratione naturali agnouit lucrum vsurarium pecuniarum esse maxime præter naturam. Idem iure ciuili statuitur: res quæ vsu consumuntur nullâ ratione recipere vsum fructum, neque Senatum, vllum statuere potuisse, sed permisisse tantum. Quamuis enim liberum sit & consilij, mutuum dare, nisi grauem necessitatem patienti, vt docet S. Doctor resp. ad 4. præcepti tamen ait esse, ex mutuo nullum capere aut captare lucrum, licet consilij nomen induat collatione ad errorem Pharisæorum, qui id licere falsò docebant. Neque potest exigi sicut respondetur ad 5. nisi vt par, id est, quod mutuo datum sit, reddatur. Et si aliqua gratuito mutuum præbentem, merces maneat, à Deo monet S. Doctor, non ab hominibus, expectandam esse.

Solutionem 6. desumit ex fundamento Articuli, vsum vasorum argenteorum, posse vendi, seruato illorum dominio; secus est de pecunia, cuius pretium solo vsu æstimatur, & perit illi, qui mutuò accepit. Si verò vasa argentea, perinde ac moneta cusa, aut loco illius expendantur ad commutationes; tum illorum vsus, non magis quàm pecuniæ, vendi potest. Eadem ratione addit pecuniæ posse iustum pretium peti, si accommodetur ad ostentationem, vel oppigneretur: tum enim pecunia induit naturam vasorum argenteorum. Multa habes egregia Caietanus commentariis in hunc Articulum, quæ omitto, ne tam animaduersiones in Amadæum, quàm Theologiam moralem scripsisse videar.

Ex principiis art. 1. constitutis, concludit art. 2. S. Doctor nullum commodum ex pecuniâ mutuatâ præter sortem expeti posse & exigi, quod pretio & pecuniâ sit æstimandum, & quod in pactum tacitum, & expressum deducatur: quia aliàs in legem naturalem, quæ vsuram prohibet, peccaretur. Nihil autem vetat ob illud beneficium, nullâ adhibitâ conuentione instítiæ, aliquid recipi sed addit Responsione ad 1 licitum esse exigere compensationem damni, quod ex mutuò datâ pecuniâ contingit mutuanti: neque enim hoc est vendere vsum pecuniæ,

sed damnum vitare, & restituere quod sibi debetur. Latum tamen ponit discrimen, inter titulum damni emergentis, & cessantis lucri, quod illud præsens sit & certum, istius verò spes sit incerta, nec ius comparatum, sed multis impedimentis sit obnoxium. Responsione ad 2. addit si exigatur compensatio quasi necessaria titulo iustitiæ, vsurariam esse: secus si fiat titulo amicitiæ, aut grati animi. Hanc verò compensationem ex mutuâ pecuniâ, docet Responsione ad 3. vsurariam esse posse, non solùm si exigatur munus à manu, sed etiam à linguâ: quia vtrumque pecuniâ æstimari & appendi solet, vt patet in iis qui locant operas suas, & linguâ exercent, vt Aduocati: si verò ex solâ beneuolentiâ, quæ pecuniâ non solet emi, hæc obsequia proficiscantur, nihil habent vsuræ, nec vitii: & cum mutuò dans benè mereatur de petente, pecuniâ datâ, & affectu quo illam præbet, non sunt inuertenda merita & iura, vt monet S. Doctor ad 4. sed affectus affectui, pecunia pecuniæ refundi debet.

Responsione ad 5. constituit notandum discrimen, inter pecuniam mutuò datam, & in societatem collatam mercatori, & artifici, quod illius dominium transeat in accipientem, cuius curâ seruanda est, quia est illi peritura, & quidquid acciderit, creditori est soluenda: alia est verò conditio illius, qui societatem iniuit cum mercatore, aut artifice, qui pecuniæ ad mercaturam collatæ, seruat dominium: ac proinde nihil vetat, quin lucrum partiatur, perinde ac periculum, & damnum subit commune, si pereat. Si verò pro mutuâ pecuniâ oppignerata sit res, cuius vsus diuersus sit, & pretio æstimabilis, deduci debet in solutionem mutui: aliàs si exigatur, aut addatur sorti, perinde peccatum est, ac si plus pecuniæ numeratum esset, nisi forte, inquit S. Doctor, pignus sit liber, aut quid simile, cuius gratuitus est vsus, nec pecuniâ solet emi. Nec vitio vsuræ caret, vt additur solutione 7. argumenti, qui res suas vltra iustum pretium vendit, redimendo tempori solutionis dilatæ: nec àb illo vitio excusatur emptor, qui rem viliori pretio emit, quod pecuniam antè numerauerit, quàm re emptâ potiatur: quia solutio anticipata rationem habet mutui, & refunditur, quidquid detractum est de iusto pretio rei emptæ. Obseruanda sunt vltima articuli verba: *si quis verò de iusto pretio*

velit aliquid diminuere, vt pecuniam prius habeat, non peccat peccato vsura.

Ex principiis duobus articulis superioribus confirmatis, concludit 3. restitutioni obnoxium esse, quidquid ex vsura perceptum est, tanquam iniustè comparatum. Addit verò ad hanc restitutionem tria attendi posse, 1. quod titulo vsuræ datum est, vt pecunia, triticum; 2. quod inde mutuans suâ industriâ lucratus fuerit; 3. est damnum mutuatario creatum, ex re iniustè receptâ & detentâ: 1. ait S. Doctor restitui, aut resarciri oportere; 2. tuto seruari posse, quia non refertur in rem vsurariam, quasi in causam effectricem lucri, sed in industriam creditoris; quare plus haber iuris in rem ex pecunia vsuraria comparatam, quàm in pecuniam ex vsura receptam.

Paragraphus Secundus.

Quæ Caietanus superioribus addit, aut inde deducit de vsuris.

Placuit compendium dare doctrinæ Angelicæ de vsuris, vt demonstrem adeò plenam cumulatam, & securam, vt nihil sit à recentioribus scriptum de hoc argumento, quod in S. Doctore desideretur, & quod non occuparit: nihil etiam ab Amadæo perperàm inductum esse de vsuris, quod præsagâ mente S. Doctor non euerterit. Caietanus arguta breuitate, copiosissimè agit de vsuris, Summâ de peccatis, sed omnia hausit ex S. Thoma. Nam paucis perstrictâ conclusione 1. Articuli, vsuram, id est, lucrum ex mutuo iniquam esse, quod pecunia mutuò data bis, id est. semel pro sorte, & iterum pro lucro & vsu, qui nullus est præter pecuniam, vendatur, additâ distinctione vsuræ externæ, id est in opere exteriori positæ, ex pacto expresso aut tacito, & mentalis, quæ citra vllum pactum captat lucrum ex mutuo: præstrictâ etiam paucis conclusione 2. articuli, ad lucrum vsurarium pertinere quidquid ex mutuo recipitur pretio æstimabile, & non suum; ex hac regula D. Thomæ breuissimè & solidissimè, duodecim graues quæstiones, & difficultates soluit.

Primò eximit ab omni vitio vsuræ mutuum dantem, ad

Amicitiam captandam, mutuum recipientis: quia deest prima conditio, vt quid recipiatur pecuniâ æstimabile; nam Amicitia est extra omne pretium, spontanea est, nullius vinculi patiens, quod Iustitia Ciuilis imponat. Ex altera conditione, eximit à culpa vsuræ, illum qui mutuo dat, vt repetat quæ sibi debentur: tum enim nihil lucratur, sed tantum recuperat, quod ad se pertinebat. Eadem est Responsio ad 3. quæstionem, illius qui mutuum dat, vt ab iniusta vexatione redimatur: nihil enim lucratur non suum, sed ea seruat quæ iure illi debentur. Eadem est Responsio ad 4. quæstionem, non esse reum peccati vsuræ, qui mutuum dat eâ lege, vt resarciatur damnum, quod incurrerit ex mutuo, sicut contingit pecunias cum onere vsuræ accipienti, vt alteri det mutuas; quia nullum illi ex mutuo lucrum accrescit, sed tantum se indemnem seruat. Eadem est ratio ex lucro cessante, vt si quis paratam pecuniam habeat ad mercaturam, & mutuam det ex sola Charitate, ille immunis est ab vsura, cum damnum cessantis lucri paciscitur vltra sortem reparandum, maximè si aliæ non suppetant pecuniæ, quam paratæ ad mercaturam, quibus subueniat mutuum petenti, neç in pactum deducat, quidquid sperabat se ex mercatura comparaturum, quia lucrum illud incertum est, multis impedimentis obnoxium; nec æquitas patitur totum exsolui, ac si certum & re ipsâ comparatum esset.

Ex eadem regula S. Doctoris quæstionem 6 dirimit, & eum peccati vsuræ damnat, qui eâ lege mutuum dat, vt sibi par reddatur, præbeatur mutuò si quando indigeat; quia illud onus graue est, & pretio æstimabile: quare exigi potest à mutuatario ex decentia morali, seu titulo amicitiæ, & grati animi, non ex stricto iure.

Eadem est Responsio ad 7. quæstionem, vsuræ peccatum incurrere, eum qui mutuo dat, cum eo onere, vt mutuum petenti, ad mutuantis molendinum, deferendum sit frumentum, vel emendæ merces ex illius officinâ: graue enim illud onus & lucrum ex mutuo, est pretio æstimabile, ac proinde materia ad vsuram idonea. Sicut quæst. 8. respondet Caietanus vsurarium esse, qui domino mutuum dat, eo pacto vt sibi officium Prætoris, aut quid simile vendibile concedatur. Obseruat tamen, tribus postremis quæstionibus, duplex lucrum interuenire,

vsurarium vnum, quale est onus mutuum dandi, emendi merces ex officina mutuantis; aliud verò lucrum licitum esse, quale est merces rerum venditarum, molendini, &c. quia non prouenit ex mutuo, sed aliunde ab industria, ab obsequiis, &c. & ideò istud non est obnoxium restitutioni: satis est si pœniteat mutuantem peccati vsuræ, & remittat onus conferendi officium: quia inde oritur tantum vitium vsuræ, & restitutio facienda est, ex æquo & bono, damni ab illo onere illati

Eadem est Responsio ad 9. quæstionem, vsuræ peccato teneri eum, qui ex mutuo dato, paciscitur immunitatem à vectigalibus, donec pecunia mutua sibi numeretur: certum enim est, hanc exemptionem pretio æstimabilem esse, & restitui oportere quidquid ex illa subtraxit vectigalium.

Similis est reatus illius, qui mutuum dat cum onere emendi agrum sterilem, aut iura contentiosa: quia mutuum illud, damnum infert graue: nec excusari posset mutuum cum onere emendæ rei vtilis; quid si apponatur conditio noxiæ emptionis? Nec quæstione 11. illum excusat ab vsura, qui mutuæ pecuniæ pignora exigit, seruanda cum aliquo impendio, cuius onus regerat in mutuatarium: quia non daret mutuò, nisi illud genus lucri expectaret. Addit tamen damnandos non esse peccati vsuræ, illos qui pignora onerosa bonâ fide accipiunt, & obtendunt se indemnes seruare: sicut enim ex pignore non conuenit locupletiores, ita nec deterioris fieri conditionis; & sicut fructus pignoris computandi sunt in sortem, ita æquum est expensas pignori annexas, illius domino imputari. Non excusat etiam quæst. 11. eos ab vsura, qui mutuò dant nauiganti mille nummos, ea conditione, vt in se mutuatarius recipiat periculum illius summæ, non remisso onere soluendi mutuatario certum quid, pro quolibet centenario: duplex enim vsura subest huic mutuo, aperta vna quod extra sortem mutuans exigat securitatem pecuniæ: præsumpta altera, quia mutuum ad hoc lucrum videtur spectare.

Ex discrimine autem à D. Thoma constituto inter lucrum ex mutuo & ex locatione, infert Caietanus, eum qui non mutuo dat, sed accommodat, seu locat, vel vendit pecuniam, cum pacto aliquid recipiendi vltra summam

locatam, aut venditam, carere vitio vsuræ, dum pacta moderata sint. & accommodata tempori: atque hinc quatuor resoluit difficultates.

Primam, si quis accommodet pecuniam, vt ex D. Thoma diximus, ad ostentationem & pompam, qualem affectant Nummularij ex magno aceruo nummorum, vsuram non esse lucrum quod inde accipitur: quia non est ex mutuo datâ, sed ex locatâ pecuniâ. Eadem est Responsio ad alteram quæstionem, ex pecuniâ aureâ locatâ, vt balneo, vel iusculo immisceatur, posse citra vsuram aliquod lucrum percipi: quia locatio est, non mutuum. Nullus etiam vsuræ reus est, qui nummos aureos vendit pro argenteis, & inde aliquod lucrum exigit: quia non percipitur mutui, sed alio locationis, aut venditionis titulo. Inde tandem Respondet ad quæstionem 4. si debitor non soluat tempore constituto, potest creditor legitimè lucrari ex duplici capite; primum in pœnam conuentionis non seruatæ, deinde in compensationem damni emergentis, aut lucri cessantis: vtrumque enim lucrum, ex mora debitoris, non ex mutuo prouenit; & ideo caret labe vsuræ, maximè si inuito creditore, longior fuerit mora: nam si prorogauerit tempus solutionis mutui, tum lucrum vsurarium esset, quandoquidem à mutuo; seu à continuatione mutui, assentiente creditore, non ex mora existeret: neque enim est in mora, qui ex consensu creditoris procrastinat; sed qui eo inuito, vltra constitutum tempus solutionem differt. Hæc Caietanus de vsura reali & externa.

Quæ ad palliatam & mentalem pertinent, iisdem D. Thomæ principiis dirimit & expendit. Vsura verò palliata & fucata tum accidit, cum alterius generis specie pacti inuoluitur contractus mutui, ex quo lucrũ vsurarium reportatur. Cuius varios casus refert Caietanus, & ad S. Doctoris regulas exigit & resoluit. Primò, peccato vsuræ grauat eũ, qui merces vendit vltra pretium rigorosum ob dilatam solutionem: quia expectatio seu dilatio tẽporis, est mutuum fucatum, vnde exurgit vsura palliata; à qua mercatorem eximit, si merces vendat infra pretium rigorosum, & supra pium ac moderatum; neque enim iuxta communem doctrinam, vsuraria aut iniusta est venditio quæcumque, nisi excedat limites iusti pretij. Eadem est responsio ad 2.

quæstionem, eum qui merces pretio emit minori, & infrà pium ac moderatum, quod soluat numeratâ pecuniâ, vsuram incurrere: quia captat lucrum, ex solutione præsenti, aut anticipatâ, & aliquid exigit vltra valorem pecuniæ. Eiusdem peccati reum facit Responsione ad 3. quæst. eum cui æs alienum soluendum sit anno exacto, & minus soluat: quia solutionem anticipat, vt si debeat centum nummos, octoginta tantum numeret: ille enim lucrum illegitimum & vsurarium captat, à tempore solutionis anticipato. Eodem peccato teneri respondet ad 4. quæst. illum qui anticipatâ pecuniâ, minori pretio emit frumentum, tempore messis dandum; quia solutio est infra iustum pretium, & istud lucrum captatur ex pecuniâ in antecessum numeratâ.

Omissis aliis, collectionem nostram ex Caietano claudat postrema resolutio, Responsione ad 6 quæstionem, qui dat merces nummulario, & ex illis in tuto positis, aliquid sibi certi lucri vindicat, maioris spe relictâ nummulario, meram vsuram incurrit, nec ex legitimæ societatis pacto excusari potest: quia æris debiti solutione certâ particeps est lucri, non damni; ac proinde, ex mutuo lucrum captat, & societatis (quod iniquum est) commodum percipit, semoto omni damno & periculo.

Paragraphvs Tertivs.

Expenduntur Propositiones quatuor.

Licet totius Opusculi vnus videatur Amadæo scopus constitutus, inuidiosissimas propositiones dum refellit, facere tutas & probabiles & quidquid mali illis inest, aut timeri debet, à suis depulsum in Dominicanos, quasi primos Authores referre; nullibi tamen in hos laqueos apertiùs nos inducere, quàm hoc tractatu meditatus est: neque enim dubitauit scribere, hinc inde laxissimas de vsuris opiniones à Thomistis defendi, à suis damnati. Quare vt has accusationes à nobis, in caput Authoris regeramus, opus fuit mentem D. Thomæ, eiusque fidelissimi Interpretis paulo exactius explicari.

Amadæus vbique se Aquilinum esse prodit, id est, Aquilar interpretem & sequacem. Inde primam Propositio-

nem excerpsit ad verbum, ne parenthesi aut vllo litteræ apice desideratis. Hieronymus quemdam tacito nomine interpretem Dydimi, quem vocat *Cæcum videntem*, sugillans ait, *vidimus Latina non bona ex Græcis bonis*; at ego verius ex Hispanis pessimis, legi Latina deteriora: maximè de his Propositionibus, à mente D. Thomæ eiusque Schola alienissimis, quas scribit Dominicanorum esse, suis contra reclamantibus. Huius generis est prima Propositio, quâ asseritur licitum esse mutuanti, aliquid vltra sortem exigere ratione periculi, cui in eâ recuperandâ exponitur, de lucri cessantis compensatione: quæ tamen omnino falsa est, quia non debet vendere creditor, quod nondum habet, & multis impedimentis est obnoxium. Sed immerito hæc nobis impingitur Propositio, cum D Thomas conceptis verbis doceat non posse honestari lucrum vltra sortem, nisi à damno emergente & præsenti, saltem ante condictum solutioni diem. Atque ad illud caput reuocamus periculum, in mutuo repetendo subeundum; nempe ad damnum emergens, non ad lucrum cessans: nec vnquam S. Doctori venit in mentem huiusmodi periculi, si distinctum sit à damno emergente; aliàs esset vsura fucata.

At inquit Amadæus, Serra, Authore Syluestro, aliud sentit: Quid tum? Nos iuramus in vnius Magistri verba, discipulos non curamus, si à Magistri vestigiis aberrent, sed pro transfugis habemus: quamuis ad bonam mentem facile vterque reuocari possit. Nam quod ad Syluestrum attinet, quem suæ opinionis Authorem facit, & sequi se ait Serra; apertæ vsuræ damnat cum Pontifice, eum qui aliquid vltra sortem exigit, ex mercibus nauiganti mutuo datis, ratione periculi: nec excusari, etiamsi in se illud periculum recipiat. Quid dicturum putas de creditore, qui à se in debitorem periculum omne depellit?

Secundò, falsissimum est, quod addit Amadæus, huic Propositioni fauere D. Thomam, & opusc. 73. cap. 10. docere semoto titulo damni emergentis, posse aliquid vltra sortem mercium numerari, ratione solius periculi incerti: nam illo loco excusat illud auctarium, ratione crediti prorogati, & expensarum in recuperando ære: quo titulo ait carius vendi posse rem, vltra pretium præsens, non tamen supra futurum, tempore condicto ad solutionem; quo ex

Caietano censetur venditio tantum inchoata, absolui: quia tum res vendita traditur, idque ex communi omnium sententia est certum: & præter extraneos, è nostris in hanc sententiam citat Sertam, quem dicit Amadæus id deptompsisse ex Syluestro *Verbo Vsura* 1. quæst. 55. quo loco tamen expresse refellit Amadæi propositionem ex antiquorum omnium Theologiæ & Iuris Canonici Consultorum interpretatione in caput *Nauiganti*, quo vsuræ peccati damnatur, si quis mutuet nauiganti, aut nundinas adeunti, recepturus aliquid vltra sortem, pro eo quod suscepit, periculo pecuniæ, aut mercium, si redierit.

Ex illo Canone ait Archi, post Laon. Ioann. de Neapoli & Summam Pisan. vsuram contrahere, si ille sponsor accipiat aliquid vltra sortem, ratione mutui, vel etiam periculi quod in se recepit; si verò exigat ratione periculi tantum, semoto mutuo, innoxium pronunciant ab vsurâ, quia id liceret si mutuum non dedisset: Et quia sponsio adiuncta est mutuo, ideò suspectus est vsuræ, & id fieri in totum prohibet Canon, quasi illicitum. Relatam antiquorum sententiam probat Syluester; interpretationem verò refellit, quod non videantur percepisse mentem Pontificis, in eo, vt putat, positam, quod mutuans susciperet in se periculum spe lucri ex illo captandi, aliàs mutuum non daturus. Quare damnatur velut suspectus, aut potius compertus peccati vsuræ, quasi voluerit captare lucrum, non ex mutuo, sed adiuncto onere, periculum in se recipiendi. Sicut, inquit, si artifex mutuum daret, vt ad se alliceret emptorem, à quo lucrum aliquod captaret, & veram vsuram incurreret.

Nihil potest dici eâ interpretatione Syluestri, magis consentaneum D. Thomæ quæst. 78. art. 2. ad primum, vbi è duobus titulis, quibus solet lucrum ex mutuo honestari, nempe damni emergentis & cessantis lucri, ex primo ait ius multo potius esse, quàm ex altero: quia damnum reparandum præsens esse debet, & ideo nihil vetat in pretium deduci. Nec iniquum est, lignum æstate venditum, hyeme necessarium magis & carius esse: & potest exigi maius pretium metiendum ex vtilitate rei pro tempore, quo est ad vsum accommodatior, maximè si ad illud tempus seruaturus esset venditor; & si tum mens eius sit inchoatam æstate, hyeme perficere venditionem.

Ad

Ad id quod obiicitur ex Opusculo de vsuris, possem respondere opusculumillud non esse opus genuinum D. Tho. & ideo minusculis litteris editum; sed ad id nos minimè cogit obiectio Amadæi: quia non docet eo loci, quod illi affingit: Id enim solū habet, carius vendi posse æstate ligna, ob dilatam hyeme solutionem; atque eo capite aduertit pretij soluendi, ad tempus futurum, post aliquem contractum, ex credito seu mutuo (ille, credentiæ nomine vtitur apud ipsum inusitato, vnde suspicio noua & vehemens est, quamuis aliæ deessent, fœtum esse adulterinum illud D. Thomæ Opus) ascriptum tribus de causis pactum illud posse à vitio vsuræ purgari. Primo quidem si solutio differatur in tempus futurum, solâ liberalitate & gratiâ creditoris; & tum omni vitio caret contractus, seruatâ aliunde æqualitate pretij, & mercis æstimandæ pro tempore ad solutionem condicto. Secundo differri potest & augeri solutio pretii, sine vitio contractus, nullâ creditoris gratiâ, si incidat in illud tempus, quo vtilior est merces, & pluris emi solet, atque in illud seruaturus erat emptor illius vsum & venditionem, quo etiam venditor dilaturus esset, nisi emptor sibi tradi voluisset, receptâ in se illius custodiæ curâ. Tertiam causam addit ad purgandum vsuræ vitio contractum, minus certam (& hinc noua est suspicio suppositirij partus) si in pactum deducatur aliquid vltra sortem illius mercis, quod ex malitia aut pauperrate emptoris timeat venditor damnum; in cuius compensationem illud auctarium mercis exigit: censeretur verò illud expetere titulo mutui, si ita comparatus esset, vt nollet iusto titulo alii vendere, qui minus pecuniæ numeraret, aut quàm primum esset numeraturus, quàm isti à quo non nisi longo tempore videt se posse extorquere solutionem, & interim ipse nullas passurus esset molestias, aut expensas: in quorum leuamen additur illo loco posse augeri pretium. Non tamen excusat ab vsurâ contractum, si ratione mutui aut crediti, res pluris veneat quàm valeat, aut quàm sit valitura tempore solutionis constituto, ad quod vsque venditor merces seruare decreuerat.

Ita S. Doctor citato Opusculo, quod nego primùm esse illius legitimum opus. Addo propositioni assertæ ab Amadæo non conuenire; quia ad illud supra sortem incrementum requirit damnum rei psâ, aut proximè emergens,

saltem ante solutam mercem, quod longè differt à remotis aut cõmentitiis periculis, quibus alii authores putant honestari lucrum vltra sortẽ & iustum pretium mutui captatum.

Idem sentit Caietanus locis ab Amadæo citatis, & 2.2. quæst. 78. art. 2. Commentariis in respons. ad 7. quia periculum adeò vult esse certum, vt illud reuocet ad titulum damni emergentis: & inde probat licere in pactum deducere pretium rei ad compensandas expensas in ære alieno recuperando necessarias, vt venditor seruet se indemnem. Quod verò eo loci & alibi videtur permittere mercatori, qui suas merces non est seruaturus vsque ad tempus solutioni condictum, vendere *iuxta pretium rei probabiliter eo tempore magis futurum*, Gaugericus Hispanus, qui Caietani Summam eruditis Notis illustrauit, aduertit hoc dictum Caietani ab aliis Theologis reiici, nec confirmari *cap. in ciuitate*, vbi putat statui Caietanus quod docuit: nam illum locum interpretantur alii, de mercatore suas ad diem solutionis merces seruaturo, vt statuitur *cap. nauiganti*.

Sed defendi potest facile Caietanus, vt nihil velit, nisi quod docuimus ex Syluestro & D. Thoma. Eadem habent Bannes & Soto, quos Amadæus obtorto collo & falsis citationibus ad suam sententiam trahit; quasi vterque, primus quidem lib. de iust. qu. 4. art. 1. alter 2.2. qu. 77. art. 4. dub. 6. quibus assentiat Martinez de Prado, & omnes doceant legitimum esse lucrum supra sortem, ex solo periculo quod timetur, nullo addito damno quod iam acciderit. Sed Interpres sit omnium Martinez, qui ita habet, *cum moraliter non contingat magno vt tẽporis spatio non occurrant hominibus necessitates, & occasiones dispensandi pecunias, ratione huius specialis incommodi, potest aliquid vltra sortem exigi.* Quare 1. propos. ab Amadæo relatâ, quasi cinere doloso periculum tegitur: nam præter quod, non solent mercatores credere res suas, iis quos sciunt non esse soluendo, quorum desperatæ & deploratæ sint res; si sint etiam dubiæ fidei, sponsionibus accipiendis curant res suas tutas præstare, nec patiuntur differri longius solutionẽ, quam pati possit mercatorum conditio, quibus multæ expensæ faciendæ sunt, & hoc iam pertinet ad damnum emergens: atque eo nomine, excusari potest pretium illud supra sortem. Eodem sensu seipsum explicat Syluester ab Amadæo relatus: Sed malè Amadæum habet, quod Martinez dixerit, opinionem

dantem suis venditori, ex credito pluris vendendi spectato periculo damni, esse speculatiuè probabilem, improbabilem esse tamen quoad praxim.

Contra vrget Amadæus quamcumque opinionem speculatiuè probabilem, hoc ipso tutam esse quoad praxim ex Diana : deinde illi probabilitatem tutam conciliari suffragiis sexdecim Authorum, quos pro illâ refert, cum ad id vnus D. Thomas sufficiat. Sed vtraque instantia vana est; nam demonstratum est D. Thomam, & plerosque Doctorum, imo ex Thomistis omnes, docere periculo debere accedere aliquod damnum, illo lucro reparandum : Quoad illam consecutionem ab opinione speculatiuè probabili, ad practicè tutam, tantum abest esse necessariam aut probabilem, vt falsissimam & periculosissimam esse, atque atheismum inuehere multis locis & argumentis demonstratum sit superioribus Disputationibus: Et res aperta est; nam hæc propositionum partitio non differt à celeberrimâ diuisione voluntatis diuinæ in antecedentem & consequentem, quod prior (& idem iudicium est de opinione speculatiua) rem attendat ex propriis meritis, & intra suam, vt sic loquar lineam, semotam à circumstantiis, quibus voluntas consequens & opinio practicè probabilis concretam spectat : vnde fit non magis legitimam esse, harum propositionum, quàm à voluntate antecedente, illationem ad consequentem; quia adiuncta habet accidentaria pericula praxis, quibus speculatio caret.

Non agit sincerius, dum Sotum sexto de iust. quæst. 4. & Bannem 2. 2 quæst. 77. art. dub. 6. patronis adcenset opinionis relatæ: nam ipsemet Bannez loco citato liberat ab hâc calumniâ Sotum : ait enim affirmatiuam sententiam tenere Ioannem Medinam, negatiuam verò Sotum. Exscribendus esset articulus ille citatus verè aureus, in quo nescias, quid mireris magis, an delectum verborum, an reconditam eruditionem, an doctrinæ sinceritatem & cautelam, quâ omne semouet lucrum ratione crediti, ac prorogati pretii, cuius causâ non patitur vltra latitudinem iusti pretii, rem præsentem carius credito, quàm numerato vendi, quod pecuniæ futuræ idem sit valor, vt extantis Bannes verò statuit conclusione secundâ ratione periculi, aut metus recuperandi pretium, non posse vltra iustum exigi quidquam ab emptore, nisi damnum emerserit;

atque ita explicatam sententiam Caietani iure dicit Sotus non esse improbabilem : & merito Ledesma asserit communem esse in Schola D. Thomæ. Nec nobis timendæ sunt argumentationes Delugo, qui ex illa infert, *controuersiam de vsuris reducendam ad quæstionem de nomine*, *& fore inutilem omnino ad forum conscientiæ :* nec censuræ Amici, *qui nouam, periculosam & expositam palliatis vsuris*; aut Palai, *qui valdè periculosam in fide clamant esse sententiam.* His enim omnibus censuris, & malis semouendis, cautelam apposuimus, damnum incurrendum certò, ante tempus solutioni constitutum : si hæc causa desit, assentimur Delugo, Amico, &c. Imo etiam ipsi Amadæo, improbanti, quod refert ex Philippo de la Cruz, *lucrum ex periculo speratum quasi remunerationem grati animi*, non iure debitam, posse tabulis publicis, seu scripto confirmari : quia sicut ex Seneca ingrati animi vitio, nullâ lege statuitur pœna, ita nec ex illo vinculum & onus, imponi aut confirmari potest Notarij manu : aliàs mutaretur in titulum iustitiæ, & in fœnebre pactum.

Secunda Propositio est apud Aquilar 116. eâ verò asseritur ius mercatori, credito vendendi merces pretio rigoroso centum, & statim numerato redimendi 80 Admitto propositionem, eo sensu quo superiorem explicui id licere intra fines iusti pretii, cum accedit damnũ ex mutuo, ante tempus conditum solutioni, & par auctuario mercis, seu parti, quæ remittitur gratis pecuniam numeranti. Si id tantum velit Lessius, & qui citantur vterque Nauarrus, illis assentiar. Sed credo aliud velle Lessium, quia ex illo pacto timet scandalum, & infamiam : Ergo aliud meditatur, quàm indemnem facere creditorem, ex dilatâ solutione ; inde enim nullus est iustus infamiæ & scandali metus. Nec aliud sentit Serra, qui expressis verbis habet, ex limitatione pretii iusti, non esse licitum vendere carius ob dilatam solutionem, neque emere vilius ob solutionem anticipatam, nisi accedat ius à damno emergente, aut lucro cessante : si verò præuideantur multæ expensæ & molestiæ in recuperando ære mutuo, ferè certæ, licet quidam velint, posse mercatorem pacisci certum aliquod lucrum, eâ lege vt non possit maius exigere, si contingat maiores sua opinione esse expensas, hoc speculatiuè probabile refert Amadæus ex Ludouico Lopes,

non practicè; quâ distinctione potuisset interpretari hunc Authorem superiori propositione accusatum, & à nobis defensum, nisi captaret omnes nos carpendi occasiones, nec vllam prætertire pateretur. Sed illa leuior est collatione alterius, quam instruit Caietano num.3. dum ex illo conatur elicere, intentionem redimendi minoris intra iustum pretium, quod venditum est pluris, non esse illicitam, nec contractum vitiare: nam Caietanus alienissimus est ab illa opinione, nec eò potuit trahere inuitum, Amadæus, nisi per summam vim, interpolatis eius verbis, *Verb. emptio*, vbi Caietanus hæc subtilissima habet & solidissima: Cum iusti pretii triplex sit gradus, nempe pii, moderati, & rigorosi, potest illæsâ iustitiâ, eadem res vni vendi decem nummis, alteri duodecim: quia hæc venditio stat intra terminos iusti pretii. Hactenus nihil mali habet Caietanus; sed Amadæus quasi vltimum agmen, carpit postrema verba, si Mercator carius venditæ rei addat pactum de retro vendenda, aut locanda venditori sub annuo sensu moderato, & redimatur minori pretio intra iustam æstimationem; habet, inquit Caietanus illud pactum speciem fucati mutui, nomine emptionis aut census: Ergo damnat pactum reuenditionis; nec censendus est excusare omnino, quasi sui immemor & malus consequentiarum artifex, cum addit, *vnde si pretium est iustum, contractus licitus reputatur, & frequenter fit*, id est, ex fine operis, non esse illicitum, quia non exit fines iusti pretii, sed malum esse ex fine operantis, quia oblato iusto pretio valeret pactum, nisi vitio ineuntium esset fœnebre & vsurarium.

Amadæus fide insincerâ inuertit verba Caietani quæ refert continuâ serie, quasi ita habeant apud Caietanum; cum tamen prima aut media postremo loco reponat, & vltima primo, aut medio, & vno verbo Caietanum cruciet, excarnificet, vt ab inuito eliciat, posse citra vsuræ vitium redimi minoris à venditore, quod pluris eidem vendiderat, quamuis pactum illud fucata vsura initum pronunciarit.

Putabam me omnes huius Scriptoris technas detexisse: sed sunt prorsus inexhaustæ: vltimis verbis, quibus claudit caput Caietanus, subnectit ista; *Secus si pretium quo emitur, minus est, quàm res valeat*: quæ tamen verba ante præmiserat Caietanus. Atque ex illis quasi eodem tenore

legerentur apud Caietanum, in illum infert; quid ergo liceb it vendere pro centum cum pacto retro vendendi numerata pecunia pro 95? absit, inquit, ideo id bene negat ipse Caietanus *ver. vsura exterior*, casu nono.

Videtur benè meritus de Caietano, cum absurdum quod ex vno loco infert, ait alio negare. Sed ficta est hæc beneuolentia; vt Caietanum traducat quasi delirum, qui vix sui compos, euertit quod astruxit. Et id forte persuaderet incautis, nisi conuicissem manifestæ interpolationis, quâ eius verba inuertit. Hinc excluditur quod addit, Mercatorem rogatum ab emente, posse numeratâ pecuniâ longe minoris, ab eo iterum vendente, merces emere. Hoc dictum confirmat ex Caietano, referente Diana verba Sertæ quæ nihil prorsus ad rem. Sed iam monui hanc farraginem confectam Dominicanorum verbis, eadem fide, qua plures luserunt in historia Euangelica centonibus Virgilii, & Homeri contexta: id est, Thomistarum perinde ab eorum mente alienis opinionibus, sicut à Virgilio, & Homero, remota est Christi noritia. Atque inde conclusionem infert, posse rogatum venditorem emere 65, aut 50, rem emptam centum iusto pretio: quia ex aliâ regulâ Theologorum vltroneæ merces, tertiâ aut dimidiâ sui parte decrescunt, aut euilescunt. Sed cur Caietani locum tacet, quo istà doceat adeò aliena ab iis, quæ ex illo retulimus *Verb. emere*, hanc iteratam venditionem sapere fucatam vsuram, nec iniri posse, nisi iterum merces ab emptore alii à primo mercatore vendatur? atque hoc sensu locutus est sine dubio Caietanus, loco quem tacuit, ne consuleretur, eiusque artes omnibus paterent.

Sed nihil opus est experimento, nam ipse Amadæus argumentum præbet non omnino sinceræ fidei, cum addit num. 5 *eandem sententiam, ne dicam laxiorem*, docere Bannem quæst. 78. art. 22. ad 2. *respondetur.* Fusissima habet Bannes in illum Articulum commentaria, dubiaque multa, & conclusiones plurimas, quæ possent fatigare Lectorem, nisi fastidium leuaret recondita & summè tuta eruditio: sed Amadæus nec dubia, nec conclusiones citauit, vt Lectorem deterreret ab anxiâ & longissimâ inquisitione loci latentissimi, nullâ spe inueniendi datâ, nisi sedulò totum commentarium legeretur, atque ita in tuto esset qui accusat.

Sed Lectorem mon eo, veiba ab Amadæo truncata, extare secunda solutione ad argumentum secundum, contrà tertiam partem conclusionum, quas præmiserat, & quinta conclusione hunc nodum proponit vindice dignum : si mutuo egens, illius petendi causâ, adeat mercatorem celebrem, & ipse respondeat, se non habere mutuum quod præstet, sed credito daturum merces, quibus suis rebus afflictis subueniat; Respondet Bannes posse tradi credito merces maiori pretio, quàm sint redimendæ : & si obiicias fore, vt emptor eidem mercatori vendere cogatur, si nullus occurrat qui emat; ad hoc respondet primò, si mercator primùm vendiderit merces, adiuncto pacto rursus emendi viliori pretio, huiusmodi *pactum pestiferum esse reipublicæ, & dici Mohatra* : præmiserat verò ante lædi posse charitatem recusato mutuo, si dari poterat, non iustitiam : & tandem secundam adhibet solutionem, quam præpostere refert Amadæus, non solum omissis quæ præmiserat Bannes, sed etiam cautelâ submotâ, *quod si mercator*, inquit Bannes, *bona fide (qua vt plurimum non interuenit) vendidit merces suas, &c.* parenthesin submouit Amadæus, quia de bonâ fide agebatur, quam eo loco in se desiderari sentiebat: damnat Bannes læsæ charitatis mercatorem, si suppetat facultas, se indemne seruato, afflictis rebus emptoris subueniendi mutuo, & illud neget : inde etiam probat abesse bonam fidem, ac proinde iustitiam lædi, studio captandi lucrum ex mutuo.

Nisi has omnes cautelas à Banne adhibitas submouisset Amadæus, periisset illi occasio traducendi Thomistas apud probos & sapientes, quasi laxiorum opinionum cusores, & illorum authoritate apud auaros, conciliandi securitatem falsis & periculosis opinionibus. Hæc duo mala impendent ex toto opusculo eâ de causâ damnato, maximè cum vrget Bannem, & ab eo vult doceri modum fugiendi hanc illationem, licere mercatori rem credito centum venditam, numerato redimere 50. Nodum te docuit dissoluere responsione primâ, & secundâ parenthesi relatâ, quæ omnia subticuisti : valde durus & indocilis sit ille oportet, nisi istis documentis addiscat modum fugiendi huiusmodi illationem, *quod illa iterata emptio à mercatore charitatem lædat & iustitiam, pestifero pacto Mohatra, & vt plurimum absit bona fides* : ac proinde, quamuis dares

mus ſpeculatiuè emptionem probabilem eſſe, & poſſe etiam iniri cum alio, quo cum, vitiis & periculis caret, quibus ſcatet cum eodem mercatore ex condicto, aut etiam liberè celebrata: & ideo iure poſitiuo Caſtellæ prohibetur omnino; non vt quidam interpretantur, cum ſit iniuſto pretio: ad quid enim opus erat nouâ lege interdicere iniuſtum pretium redemptæ mercis, cum illo genere venditionis iniuſti pretii omnibus mercatoribus interdicatur? Ergo iſta prohibetur. vt per ſe iniqua, quod vix vnquam careat malâ fide, & animo captandi lucrum ex mutuo.

Tertia Propoſitio eſt apud Aquilar ordine 128. & obiicitur apud Amadæum quaſi communis ſententia Theologorum Societatis, licere ex centum nummis mutuis, fœnus viginti exigere: id verò vterque eâdem reſponſione excipit; calumniam eſſe: & ideo nullum citari potuiſſe ex ſuis, qui hoc ſcripto tradiderit. Sed Amadæus hâc defenſione minimè contentus, criminatur Dominicanos ita ſentire, aut ex illorum principiis, maximè Caietani, qui aliquam locationem pecuniarum, & ex illâ lucrum concedit, neceſſario trahi.

Si quis noſtras animaduerſiones legerit attentè, obſeruare licuit, me hactenus intra inculpatæ metas tutelæ continuiſſe, nec laceſſiuiſſe aduerſarios, ſed accuſationes in nos inſtructas depuliſſe & nullas repoſuiſſe. Lætor Aquilar, & Amadæum, vno ore, iiſdem verbis, ſuo ſuorumque nomine teſtari, ſe ab illâ aſſertione abhorrere: aſſentior illorum dictis, quamuis plures neutri fidem habeant, & credant multa quidem edi, ſed plura premi, & taceri dogmatum priuatorum: at ego nihil iſtam ſuſpicionem moror. ſaltem in re vſurariâ; quia nullus re verâ apertam docent, quam habet tertia profitio vſuram; ſed fucata inducitur apertâ deterior multis titulis, maximè contractu ſocietatis, addito duplici, quo mutua pecuniâ ad ſocietatem collata, & lucrum inde certum, pacto firmatur, id eſt, omnino euertitur ſocietas, quam ex D. Thoma obſeruatum eſt habere omnino periculum, perinde ac lucrum commune, aliàs futuram, non ſocietatem, quæ fraternitatem, vt conuenit, reſipiat; ſed vulpinam & fraudulentam, atque hamum aureum, captandis & expiſcandis vſuris. Ita docet Bannes quæſt. 78. art. 4. dubio vltimo.

Seuerius etiam damnat huiusmodi contractum assecurationis capitis pecuniæ, & venditionis ex illa lucri cum socio, siue à principio, siue successiuè initum Sotus lib. 6. quæst. 5. art. 2. Nec verum est quod refert Amadæus, probari à Syluestro *Verb. Societas* quæst. 2. ibi enim subiecto dubio, vtrum collocans pecuniam, apud mercatorem, aut artificem, titulo societatis, vel depositi, possit saluo capite, certum lucrum percipere, saltem ex pacto. Refert varias antiquorum vtriusque iuris, & Theologiæ consultorum opiniones, easque refellit, aut ad sensum verum trahit, & absolute negat huiusmodi pactum licitum esse, si fiat eâ lege, vt in omnem euentum, sors & caput summæ sit in tuto; quia, vt ex Baldo refert, *non est pactum societatis ex formâ, sed ex mutuo, nec ex natura, quia est contra naturam societatis, vnum, habere caput saluum, alium verò certum fructum.*

Nec excusat secundum Archidiac. periculum, cui pecunia subest deposita apud illum, qui possit deficere: quia lucrum non speratur ratione periculi, immo si immineat, deterret à pecuniâ conferenda in societatem, sed captatur ratione mutui, ex quo tamen percipi nequit, etiamsi periculum accedat ex *Cap. Nauiganti*: nec honestat quod plurimum depositarius lucretur, quia hoc suæ debet industriæ, non pecuniæ, & aliunde in se suscipit curam seruandæ pecuniæ, & amittendæ periculum. Improbat præterea Syluester quod quidam addunt, contractum societatis nudum non corrumpi, addicto pacto de securitate capitis & partis lucri, & saltem iure ciuili esse permissum; & huius opinionis est Ioannes Andræas, teste Panormitano: quia putat hoc pactum esse quidem præter, non tamen contra naturam contractus, ac proinde valere; & si sors periret, remittendum putat deponenti esse onus sibi restituendi,

Sed ex Azorio & Acutio, aliisque Theologis, & Iuris vtriusque Consultis, ait pactum illud esse contra naturam societatis, quæ fraternitatem debet resipere, constituto inter contrahentes pari iure: & si gratis concedatur, licitum esse pactum; addit non esse honestam societatem, quia qui operam & industriam confert, duplex damnum subiret, nempe suorum laborum & sortis, quod societati repugnat, & ex iure non est honesta, nisi pecuniam locans

particeps sit damni & lucri: & si quando iure admittitur pactum, quo sociorum vnus immunis à damno, lucrum percipiat; Ioannes Cal interpretatur, hoc intelligendum minimè de capite summæ, sed de damno & lucro, quæ accidunt saluâ sorte: Addit Syluester, *hoc valere, si ponens operam & industriam, immunem se paciscatur à damno capitis, quod satis resarcitur damno operarum, quæ contraponuntur pecuniæ.*

Adeò verò alienus est Syluester ab illo triplici pacto, vt quâcumque ratione ineatur, illicitum ad calcem Quæstionis esse pronunciet. Et quamuis esset incerta mens Syluestri, non est tamen dubium, quin triplex ille contractus, D. Thomæ regulis aduersetur: quare in illius defensionem falsò citatur Caietanus Tomi 2. Opusc. Tract. 31. Respons. 11. cum Tomus ille nouem tantum Tractatus habeat, & ille loco octauus, sex tantum Quæstiones complectatur, & nec verbum quidem de contractu societatis habeat. nec credibile est fidelissimum Interpretem à sui Magistri mente recessisse.

Excusabit fortè culpam Amadæus, ita citatum locum à Serra: sed esto, cur in re tam graui non consuluit Caietanum? & sine dubio nouerat deceptum Serram: sed noluit corrigere, quia commodum vndequaque capi possit, ipse putat sibi licitum esse captare: *nam dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Paragraphus Quartus.

De Monte Pietatis, & ex illo accusatio Soti depellitur.

Prosequitur hîc Amadæus quam sub mentito nomine Petri à Clausa-Valle Theophilus [Raynaudus] susceperat accusationem in Sotum & Caietanum. Ambo rei peraguntur læsæ Majestatis Pontificiæ, quòd ausi sint aliquâ vsuræ labe, maculare Montem pietatis à Leone X. & à Concilio Lateranensi probatum innoxium. Vno verbo hæc machina dissoluitur, Sotum attigisse tantum ex commercio illius Montis, quæ ad ius naturale & morale pertinent, quæ rationibus ex Philosophiâ, potius quàm

decretis expendenda sunt, quæ probabilium iure gaudent, vt possint in vtramque partem disputari, citra cuiusquam offensam: idque etiam boni consulunt, Summi Pontifices, a Theologis factum, vt de Baptismi & Pœnitentiæ Sacramento iam insinuauimus.

Sed nihil opus habet nostrâ defensione Sotus, nam quasi futuros insultus præuidisset, tot se præsidiis muniuit, contra hanc iniquam & insulsam accusationem, vt exemplo esse possit Theologis omnibus, eosque docere, quâ reuerentiâ nos prosequi conueniat Sedem Apostolicam: eam namque, hac disputatione exhibet, quæ perinde à difformi obsequio & præruptâ audacia longissimè abijt, in summos Pontifices obseruantiam. Quis grauissimi Theologi prudentiam & modestiam non miretur? Beneficij maximi loco reponimus Amadæo, quòd occasionem præbuerit subiiciendi omnibus Scriptoribus exemplum charitatis, & obseruantiæ in Sedem Apostolicam, quod imitentur. Sotus itaque veluti præscius calumniarum, quas in se morosi & æmuli, possent apparare, tribus aut quatuor præsidiis sese tutatus est. Primum est ab exemplo Caietani, qui licet interfuerit Concilio Lateranensi anno 1515. habito, vt ipse testatur, Commentario in Art. 1. quæst. 1. 2. 2. tamen Opusculum scripsit in eam Montis Pietatis conuentionem, qua à pauperibus qui mutuo pecuniam à monte sumunt, aliquid extra sortem exigitur ad stipendium ministrorum, qui curam pecuniæ accommodandæ habent. Sed hâc re deceptus est Soto, quod crediderit Opusculum illud de Monte Pietatis scriptum fuisse ab Authore post Concilium Lateranense, cum tamen ad calcem libri annotatum sit, illud absoluisse anno 1496.

Sed addit secundum præsidium validius, licet etiam primum non sit contemnendum, ex ipsâ naturâ disputationis, quod Summi Pontifices & Concilia, quibus maxime competit authoritas condendi, tum Fidei Articulos, tum morum leges, nolint mittere falcem suam, ad definiendas tanquam de Fide, iuris naturalis disputationes, quæ potius ex nudâ Philosophiâ eliciuntur, qualis est, quisnam contractus vsurarius sit, &c. quàm ex sacrâ Scripturâ, vnde decreta & veritates deducit sancta Sedes: huic verò pacto Montis Pietatis, aliquod vitium inesse putat ex eodem

capite, quod improbabat Caietanus; nimirum videri immeritò à pauperibus exigi, ex mutuo vltra sortem stipendium, quo ministri aut præfecti Montis alantur, cum ad ipsos pauperes non videatur pertinere hæc cura alendi ministros, sed ad mutuantem.

Si dicas nisi adsint ministri, periturum montem, in perniciem tantum miserorum, qui inde mutuabuntur: Ergo eorum refert montem suis expensis seruare. Negat consequentiam Soto, simili enim ratione probares, pauperibus incumbere suis expensis, seruare diuitias hominis misericordis, qui illos solatur pecuniâ mutuo datâ. Nec iustum censet hoc onere grauare pauperes, vt alant ministros Montis, quia inde beneficium suscipiunt, pari enim inquit, ratione posses alias vsuras excusare, cum mutuum sit gratis dandum: nec debet pensari in cuius fauorem opes cedant ministrorum Montis, sed mutuatione suppositâ, speculari oportet, cuiusnam referat pecuniam seruari tutam. Et hoc onere leuat pauperes Soto: idque exemplo plurium Italiæ ciuitatum, quæ vt refert Caietanus, & ipsemet in Italiâ audiuit Soto, ministros Montis publico stipendio sustentant. Male videtur Amadæo Sotus de republicâ Christianâ, & de toto genere humano meruisse, quod perfectissimæ charitatis exemplum Mediolani, Brixiæ, & in aliis ciuitatibus, optarit ad alias totius orbis Christiani ciuitates pertinere, totisque viribus annixus sit in eas inducere simile commercium.

At dices prætextu falsæ charitatis, læsam fuisse reuerentiam in Constitutiones Pontificias & Conciliorum, quæ illud stipendium ministris collatum, æquum & omnis vsuræ expers esse statuunt: sed præter quod Soto disputationis initio, & ad calcem se censuræ Summorum Pontificum subiecit, protestatus se saluâ illorum reuerentiâ de re probabili, & ratione potius naturali, quàm ex Scripturis expendendâ disserere; addit suam sententiam posse facile conciliari cum decreto Pontificio: licet enim pro mutui beneficio, neget quidquam posse recipi, vltra sortem, concedit tamen, cum onus mutuandi, seu habendi pecunias paratas, ad pauperum subsidium, graue sit & dignum pretio, nullum esse vsuræ periculum, si hoc solo nomine aliquid vltra sortem exigatur, quòd Mons astringat se ad habendas, toto anno in promptu pecunias, paupe-

ribus mutuandas. Hoc igitur est Soti crimen, quod pauperum causam egerit, & omnem vsuræ suspicionem voluerit exulare à commerciis Christianorum, non quibuscumque, sed ad minus, ab illis quæ solius in pauperes charitatis gratiâ, inita & constituta sunt. Adde Concilium Lateranense & Leonem X. vt obseruat Suares, Tomi 5. de Censuris disp. 23. sect. 7. approbasse Montes Pietatis, quatenus non dissentiunt à sacris Canonibus, & excommunicationes ab illis latas, non esse vsu receptas. Bellarminus etiam lib. 2. de Conciliis c. 13. ait dubium esse, an vltimum Lateranense Concilium verè sit Oecumenicum.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Alter titulus fucatæ Vsuræ ex pretio locatæ pecuniæ.

NOuam initiat & munit viam ad vsuras Amadæus, Num. eiusdem Propositionis 7. ære alieno post vnum aut alterum annum soluendo, minoris empto in antecessum numeratâ pecuniâ: quod ex Caietani principiis deducit licere, & Philippi à Cruce Ordinis sancti Basilij Theologi authoritate & argumentis confirmat, *laudata*, vt inquit, *hominis argumentatione, non conclusione*. Sed frigidâ illâ responsione, non curat malum quod inflixit: nam si huiusmodi emptio, aut commutatio æris alieni, sit licita, sublatum est vsurarum peccatum: id verò licere nititur probare cum Philippo à Cruce, ex vltimâ quæstione, quâ Caietanus Summam claudit, vt meritò dixeris, hunc in Caietanum impetum aliquid sapere, illius qui calcaneo nostro dicitur insidiari: Eo loco Caietanus ad calcem Summæ satis intricatam versat quæstionem de quodam genere æris alieni, & prouentus inde comparandi, quem Italico verbo *pagas* vocat, quarum differtur solutio ad biennium: & ideo cum longius absunt à tempore solutioni condicto, dicuntur *acerba*: cum verò instat dies solutionis, tum *matura* vocantur. Quærit igitur Caietanus, vtrum illud æs alienum sapiat naturam mutui, apud Genuenses mercatores collocatum, aut ex illâ prouentum, liceat redimere minori pecuniâ numeratâ in

antecessum, id est, vt triennio exacto, centum nummi soluendi, nonaginta numeratis redimantur. Affirmat Caietanus id licere, cui assentitur Nauarrus. Negant verò Ioannes Medina & Sotus: Has discordes sententias conciliat Caietani interpres supra memoratus, hâc distinctione; vsuram esse emptionem prouentus acerbi, seu æris alieni minori pecuniâ initam, si nullum damnum creetur, ex dilatione solutionis, aut lucrum cesset, nec vllæ sint expensæ, aut difficultates subeundæ, ad illos prouentus repetendos, in quos ius comparatur: quia vt Ioannes Medina arguit, actio ad rem tantum valet, quantum ipsa res ad quam actio comparatur, deductis laboribus & expensis. Cæterum si subsit aliquod periculum amittendæ summæ & sortis, vel sint faciendæ expensæ in eâ recuperandâ, nihil vetat, quin viliori pretio ematur ius ad illam, attentis expensis, & diminutione pretii compensandis. Atque hâc distinctione aut concordiâ opinionum euanescit argumentum, quod ex Caietani principiis depromit Caramuel, & ex illo intorquet Amadæus in Scholam nostram: quasi vsurarum nundinatio iniecta sit, ex vno principio quod vocat Thomistarum, quamuis subiungat damnari à D. Thoma, nec ignorare possit; improbatum à reliquis omnibus Thomistis, nec ab vllo receptum, nisi ex posito damni emergentis, & expensarum onere quo infringitur illa, quam vocat legitimam & ineuitabilem, consequentiam Caramuel ex Thomistarum principiis, quasi vnus Scholæ nostræ condiscipulus, constituat communia principia, etiamsi damnentur à Magistro, aliisque discipulis.

Certum autem est, ipso Amadæo teste, à D. Thoma improbari solutionem anticipatam, quæ maius se ipsâ debitum extinguat, nisi creditor remittat gratuito partem æris alieni, aut qui eo grauatur, soluere nequeat, sine maximo suarum rerum dispendio. Nec aliud sentit Caietanus loco quem carpit Amadæus; sed totus ipse est à Num. 10. ad calcem vsque illius Propositionis, in dilatandâ voragine vsurarum, relatis argumentis nec solutis Philippi à Cruce; qui parum memor aut forrè ignarus, eorum quæ D. Basilius in auaros, & in vsuram scripsit ad Psal. 14. eloquentiâ quæ Demosthenem prouocet, à paternâ charitate alienissimus propugnat vsuras, id est, fœ-

nus ex mutuo captatum, quod Caietanus dixerit *Verb. Vsura cap.*1. posse locari pecunias, & inde lucrum honestè percipi: sed loci illius ex Caietano compendium dedimus, & eo nihil aliud docet, quàm pecunias posse interdum locari ad alios vsus, qui ad commutationem non pertineant, qualis est pecunia accommodata trapesitæ ad pompam, vel ægro ad remedia condienda. Id vero locationis genus, quid commune habet cum illo, quod ex Caietano inuehit de la Cruz ad omne genus commutationum? Nec videtur dissentire Amadæus, qui periculosa argumenta refert, & nullam dignatur adhibere solutionem: nempè vt venenum propinetur illitum authoritate vnius aut alterius Doctoris, & argumentis, quorum non facile occurret solutio: eâ de causâ iure damnatum Amadæi opus scripsit Nicolaus *Dubois* illi amicissimus.

Quartam Propositionem habet Aquilar 115. eam verò regerit Amadæus in Thomistas, *quos vult esse mangonum & cauponum Magistros, quod doceant vinum aqua tuto miscere, & triticum paleis, atque ita corrupta vendere communi pretio.* Sed hanc infamiæ notam eluat Soto cui præ cæteris inurit. Ille lib. 6. quæst. 3. art. 2. profert exemplum mercatoris, qui habeat grana & vini genera maioris pretii, quàm possint publico foro diuendi; ponit etiam iniuriam illi fieri à monopolio emptorum, & ab iniquo gubernatore vrbis: concedit si hæc omnia adsint, posse aliquid miscere frumento, & vino purissimis, quo seruatâ vtriusque bonitate, nihilo sint inferiora, immo fortè præstantiora, iis quæ in foro distrahuntur: & tum licet peccet contra bonam fidem, nihil tamen lædere iustitiam commutatiuam. Certe qui hæc in Soto damnet, iniquus fuerit, aut cæcus censor: vtinam æque tuta & honesta, ipse qui carpit Sotum, doceret Amadæus.

His omnibus vt finem disputationis de vsuris faciam, addo Thomistas interdum huiusmodi opiniones, accensere speculatiuè non practicè probabilibus, licet secundum apices Metaphysicæ, semotis incommodis quæ praxis attendit, nihil videantur habere mali: hæc verò duo genera opinionum, nedum distincta, sed etiam adeò remota sunt, vt hinc inde commeandi, seu ab vno ad alterum legitimâ consecutione veniendi, nulla detur facultas. Hoc mihi videtur exemplo demonstrari satis idoneo ad compescen-

das Amadæi querimonias. Putat-ne sibi & recentioribus fieri iniuriam, si opiniones quas quotidie cudunt nouas, eodem animo excipiamus, & eo loco reponamus, quo ex charitatis & prudentiæ legibus, in omnes homines communis naturæ, & si velis gratiæ consortes, oportet nos esse comparatos, vt scilicet reputemus, ac præsumamus bonos, quos nullius vitii compertos habemus? Sed credis-ne, Amadæe, quorquot præsumptæ bonitatis, illâ probabili æstimatione prosequimur, hominibus, nos ex charitate debere, aut per prudentiam licere, res nostras pretiosissimas permittere? Damnares-ne imprudentiæ, diffidentiæ, si nollem pro illis spondere, aut eorum cautionem admittere? Atqui probabiliter, id est ex te, firmiter probos existimo: & quidquid ex illâ probabili opinione fiet, effugiet imprudentiæ notam. Quid hoc rei est? Iubes me tuæ opinioni probabili, id est, non magis compertæ veritatis, quàm sit apud me bonitatis homo ignotus, quem præsumo probum, quia nullius mali conscium noui; & huic pateris, me nullâ culpâ negare nummum, & insaniæ damnares, si res meas nullo alio experimento bonæ fidei, concederem: & tamen perstrepis, peccati mortalis damnas, si nolim meam aliorumque salutem, tuæ opinioni probabili credere.

At inquies, probabile iudicium nihil differt à firmo & certo ex D. Thomæ regulis: Præter quod supra demonstratum est, id te infelicissimè suscepisse probandum, controuersiarum Scholæ nostræ, te prorsus ignarum prodis: ignoras hoc Scholæ nostræ placitum, opinionem, fidem & scientiam, ita repugnare eidem intellectui inesse, de re eâdem, etiam ex diuersis mediis, vt nullâ potentiâ conuenire queant: nec aliunde repetimus hanc pugnam & dissensionem, quàm ex innatâ opinioni formidine, quæ cum demonstrationis euidentiâ, aut fidei indubitato assensu, coire nunquam possit.

Paragraphvs VI. et Vltimvs.

Confirmatur Sententia Pontificia, quâ de Duello & Homicidio quatuor, de Vsura vna damnantur Propositiones.

AD postremam primæ Disputationis partem ex 45. Propositionibus pertinent ordine 2. 17. & duæ sequentes, & 42. Prior huius ordinis ita habet: *Vir equestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Secundâ asserebatur licere Religioso, vel Clerico, calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere; si alius non suppetat modus defensionis; vti non videtur suppetere, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni, publicè & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* 3. *Propositio permittit interficere falsum accusatorem, testem, aut judicem, à quo iniqua certò immineat sententia; si aliâ viâ non possit innocens damnum euitare.* 4. *Propositio à peccato eximit maritum occidentem propriâ authoritate vxorem in adulterio deprehensam: Postrema ad vsuram spectat, & permittit mutuum danti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad sortem non repetendam vsque ad certum tempus transactum v. g. duorum annorum.* A consensu in has Propositiones accuratè vindicat Nicolaus *Dubois* Theologos Societatis, & in alios interdum etiam nostræ Scholæ deriuat: Sed quidquid sit, certum est ex principiis D. Thomæ nostræ Disputationi constitutis omnes meritò censurâ Pontificiâ fuisse confixas.

Atque vt à postrema incipiam, Caramuel eam propositionem defendit hâc ratione, quod obligatio non repetendi mutuum sit pretio æstimabilis, pro qua proinde pretium, non pro mutuo repetatur, & in hanc sententiam recensentur Ioannes Medina, Philippus à Cruce, Pasqualigus, & ex nostris Serra, Bertrandus Loth, & Acacius de Velasco, quos interpretari possumus ad mentem D. Thomæ, tum licere pretium illius obligationis, seu dilationis mutui non repetendi exigere, cum aliquod ex lucro cessante, vel emergente damno detrimentum ea

dilatio infert, quo sepofito quidquid percipietur ex obligatione etiam condicta ad longum tempus, ex mutuo nascetur, & vsuræ vitio sordescet: quia mutuum, vt arguit Franciscus bonæ spei Carmelita, indiuiduum est obligationi non repetendi mutui ad aliquod tempus: quod verò longum, aut breue designetur, non magis mutui naturam mutat, quàm magnæ aut modicæ pecuniæ mutuo datæ circumstantia: quare obligatio non repetendi magnum æs supra modicum, non est vltra mutuum pretio æstimabilis, quia aliàs nullum quamlibet modicum mutuo datum posset ab illo pretio seiungi, atque ita idem supra seipsum esset pretio æstimabile: deinde si à mutuo & ab obligatione illud non exigendi siue ad breue, siue ad longum tempus nasci possit ius pretium exigendi, vel illa obligatio futura est otiosa toto biennio, quo conceditur mutuum non repetendum, vel ad annum, aut dimidium anni; si primum dicas, nihil prorsus sumi potest supra mutuum datæ pecuniæ pro toto tempore quo apud dantem & appendentem futura erat otiosa seu infrugifera: si secundum asseratur, incidimus in titulum emergentis damni aut lucri cessantis. Hinc Tractatus Philippi à Cruce, qui illud genus pretii ex conuentione non repetendi mutuum ante duos annos quasi legitimum probauerat, damnatus est à supremo Concilio sanctæ Inquisitionis Hispaniarum, & improbatur Propositio ab omnibus ferè Theologis, iis quos nominaui, exceptis: à qua ait differre Sinnich in Saül pag. 53. Propositionem vrgente Episcopo Gandauensi à Louaniensibus censurâ notatâ. *Vsura non est, dum aliquid vltra sortem exigitur tanquam ex beneuolentia, vel gratitudine debitum: sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum*; quod tunc contingit, si promissi scriptum exigatur, quo se mutuū appendenti qui accipit, astringat ad compensandum ex gratitudine donum; quodnam verò sit discrimen inter has duas ex gratitudine & ex iustitiâ exigendi rationes sic explicat S. Doctor 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2. Compensatio beneficii tum fit titulo iustitiæ, cum quis illud largienti illi se obstringit certo pacto pro mensura rei collatæ; ita vt nec plus, nec minus referat: Secundò peragitur titulo amicitiæ, quæ magis affectum quàm rem collatam spectat; nec ex illo titulo comperit, aut consequitur ciuilis obligatio, quæ eleuatur illâ vo-

luntariâ & gratuitâ compensatione. Hinc contendit S. Doctor non licere aliquid pecuniâ æstimabile pro mutui compensatione exigere, nisi velut quoddam gratuitum donum quis illud acceperit. Hæc de vsura.

Primam de Duello Propositionem expendimus Disputatione de Charitate art. 1. paragrapho 4. Sed cum ad homicidium vergat, commodè reuocatur ad tractationem de Iustitia & de iure, vbi constituta sunt certissima principia ex D Thoma art 1. paragrapho 2. & sequentibus quibus conuelluntur omnes Propositiones censurâ Pontificiâ damnatæ, nempe nulli priuato ius esse, mortem vlli homini vt medium ad propriam incolumitatem optandi vel inferendi; sed ad summum præter mentem pati illam posse, cum armis res peragitur, quibus impetito occumbendum est, nisi validè se tuetur, & periculum mortis, qui iniustè vim patitur, depellat in caput inuasoris Ideo iura non permittunt furem ad bonorum defensionem interficere, nisi sit vel nocturnus effractor domuum, vel telo armatus. Hinc efficaciter confutatur opinio Marci Vidal, & Thomæ Hurtado, Sayti, & Emmanuelis Rodrigues, qui duellum permittunt, si necessarium sit ad euitandam notam ignauiæ, cuius potius quàm præcepti diuini causâ suspicio est illud singulare certamen detrectare. Huius infamiæ euitandæ causâ nonnulli ex Theologis duellum honestant. *Sed hæc causa*, inquit Caietanus, *licet apud idiotas plurimum valere videatur, tamen apud sapientes nulla est*; ita 2. 2. quæst. 95. art. 8 interpretatione responsionis ad 3. Exscribenda essent verè aurea verba illius Commentarij, quo sex duelli, quæ obtendi solent causas accuratè expendit; & omnes improbat, præter sextam iustæ defensionis, non cuiuscumque boni, sed solius vitæ; cum apertâ vi & certo mortis periculo, nisi depellatur, impetitur. Eò etiam reuocat cum Banne insidias in vitam à falsis testibus instructas: tum enim censent impendere certum vitæ periculum, quod ius habeas in caput falsi testis, aut Iudicis iniqui detorquendi: Nec referre putant, an manu aggressoris, vel Iudicis, quem corrumpit, tibi sit pereundum: sicut, inquit Bannez, posses interimere eum qui laxaret catenam leonis, à quo sis discerpendus, nisi illum occupes; Opinionem Caietani & Bannez sic explicatam defendunt

Duuallius, Syluius, Ioannes Suarez, Reginaldus; & propter tot & tantos ex recentibus & antiquis probabilem reputat Delugo : vt immeritò dicat Nicolaus *Dubois* num. 75. Banuem perperàm à me esse excusatum; quamuis reuera non excusarim, sed tantum præ Amico minus peccasse dixerim : quia non dat ius interimendi falsos testes, aut Iudices, nisi certò sciat, sibi ab illis mortem impendere, nec illam euitandi aliam superesse rationem, nisi illos occupet : Hanc tamen opinionem improbat Pontificia censura; quia opportuna esset multis coniecturis & suspicionibus, quas prudenter amoliri voluit Summus Pontifex, & has omnes de homicidio opiniones damnauit, ex D. Thomæ principiis, priuato nunquam licere mortem aliis optare aut inferre, nisi ex vna necessitate propriam vitam defendendi.

DISPVTATIO II.

DE
VARIIS RELIGIONIS PARTIBVS
ADVERSVS AMADÆI
SEPTEM TRACTATVS.

HVIVS Collectoris Opus bellicum esse contra genus omne virtutum, pluribus quàm vellem argumentis probatum est, nec tamen hactenus materiam exhausimus: è quindecim Tractatibus sex, è centum viginti quinque Propositionibus quinquaginta expendimus prima Disputatione: superest examen nouem Tractatuum, & 80 circiter Propositionum, breuius, vt spero, futurum primo, licet pauciores Tractatus, & assertiones perstrinxerimus. Huius methodi & partitionis institutæ causas Sectione sequenti aperiemus.

SECTIO PRIMA.

De Religionis ratione & partibus; vnde generatim respondetur Amadæo.

AQVILAR correxit Amadæus, & Propositiones 132. ad paulo minorem numerum, & ad 15. capita reuocauit: nos idem iuris in Amadæum sumimus, non ingra-

tà vt spero, neque inutili methodo Lectoribus, vbi consilium meum paucis explicuero. Cum omne genus boni & virtutis, Opus collectitium impugnet, defensionem instituti, quæ argumento, & aduersarij conatibus frangendis visa est opportunior.

Articvlvs Primvs.

Ratio Religionis definitione virtutis Christianæ constituta.

De virtute librum scripserat Brutus, grauissimum, vt ait Tullius, & suo nomini inscriptum, quo republicâ Iulij Cæsaris Tyrannide oppressâ, & Triumuiratu iam extinctâ à Senatu pulsum, & à negotiis publicis vacuum, dicit se prouocatum ad scriptionem rerum Philosophicarum, minus quidem ipsi gratam, vtiliorem tamen nobis eius consulatu, & quacumque reipublicæ administratione. Bruti librum miris laudibus effert Quinctilianus: eo namque ait, non tam hominem, quàm ipsam virtutem sibi videri loquentem audire. Hâc commendatione singulari, auget dolorem ex antiquis monumentis amissi tanti thesauri. Longius ab ingenij præstantiâ Bruti, qui de eloquentiâ cum Tullio contendebat, absum quàm vt sperare possim hanc grauissimam litterarum iacturam à me resarciendam. Verum si eruditione & eloquentiâ, tanto interuallo à Bruto distamus, aliquâ tamen similitudine argumenti, nos Amadæi importunitas coniunxit, & cæteris dotibus inferiores, aliquâ ratione superiores sumus, virtutis infusæ & Christianæ præstantiâ supra moralem, quam vnicam Ethnici nouerant, & prosequebantur. Ad eam verò Brutus naturâ & studio, & exemplo Catonis Auunculi, comparatus fictusque, impensè eius studium coluerat, & illam memorato libro laudauerat; sed cum Authori fortuna defuisset pugnanti pro republica, id est, pro virtute aduersus patriæ perduelles, sibi violentas manus intulit, & inter moriendum vocem emisit, parum se dignam, testatus se virtutis amore cœco vnam coluisse quasi summum bonum, sed errasse, & iam agnoscere virtutem vanum esse nomen, & fortunæ ludibrium. Forte in

pœnam tantæ ignauiæ visum est Deo, vt liber ille de virtute periret, quem Author postremis vitæ verbis retractauerat, & quasi spongia deleuerat quidquid in eius commendationem scripserat. Sed quam Brutus virtutis causam deseruit,ac penè prodidit desperatione quadam,hanc iure potior, & validioribus ex Euangelij Panoplia instructus armis & argumentis prosequar nihil veritus Amadæi tela.

Sed vt ad rem propius accedamus, hanc disputationis partem secundam aggredior definitione virtutis ex Aristotele excerpta, & à D. Thoma luculenter explicata prima. 2. quæst. 55. & alibi passim.

Paragraphvs Primvs.

Explicata definitio Virtutis, & distinctio Christiana à Morali.

Ea verò sic habet: *virtus est dispositio perfecti ad optimum, seu qualitas, aut habitus studio comparatus, vel Dei dono infusus, natura conueniens, eamque aptans ad optimum, id est, ad finem, quem insequimur comparandum & fruendum.* Hâc virtutis definitione apertum est, generatim sumptam duplici relatione, aut comparatione constare: nimirum ad mentem cui inest, & ad finem, quo fertur, & nos trahit: vt merito dixeris virtutem esse quoddam vinculum, quo mens bono & fini iungitur, conglutinatur, ac penè immiscetur. Huius genuinæ definitionis virtutis, nullum apertius exemplum suppetit, quàm ab ipsius Prudentiæ, virtutum moralium præstantissimæ vsu & partitione desumptum.

Solet verò diuidi in varias species Prudentia, in Monasticam, Oeconomicam, Politicam, &c. nam cum hominis multiplex sit institutio, variasque induat personas, Patrisfamilias, Principis, & hominis, quæ omnium est grauissima; hinc existunt memoratæ species Prudentiæ: neque enim conuenit nos vnum semper hominem agere, sed pro diuersis institutis, variæ instant partes obeundæ, quibus dirigendis necesse est, pro re subiectâ varias præfici Prudentiæ species. Sicut enim alia sors est hominis,

quâ ratione pollet, & differt à brutis : ita aliam oportet esse priuati hominis, aut Principis regulam, ad quam quisque res suas componat : hinc Prudentia Monastica differt ab Oeconomicâ, hæc à Politicâ ; ista rursus à Militari. Omnium verò ratio repetitur ex duplici capite, nempe ab hominis, vt sic loquar, personâ, & à fine quem spectat: atque ita Militaris ducem instruit ad pugnam, victoriæ reportandæ causâ : Politica principi adest, vt tranquillitati publicæ consulat ; opus est patrisfamilias Oeconomica, administrandæ & augendæ rei familiari: sed omnium amplissima & præstantissima est, quam Monasticam dixeris, cuius imperio omnia administrantur officia, quæ homini conueniunt, quâ brutis præstat.

Hæc naturæ dos, est iuris naturalis, omniumque virtutum, quæ studio comparari possunt, velut promptuarium. Inde Deus deprompsit leges nobis impositas, ius suum cuique seruandi, cohibendi libidines, standi promissis, sensum animi nullis mendaciis fucandi : hæc enim omnia conueniunt homini, quâ distat à brutis, & conferunt ad finem, cui natus est, consequendum.

Hâc definitione virtutis generatim gradum facimus ad virtutum infusarum genus, supra virtutes morales, de quibus hactenus disputatum est, longe positum. Quis enim dubitet, hominem gratiâ & baptismo regeneratum, in sortem diuinæ naturæ euectum, cui comparatum sit ius, ad diuinitatis visionem supra naturæ creatæ, aut possibilis cuiusque vires, & vota positam, omnium denique quæ soli Deo eximia sunt, perfectionum capacem & compotem, qui longius ab homine natiuis facultatibus instructo, quàm ipse à brutis distet, ac proinde aliam illi impositam personam, aliam præscriptam legem, quæ filio & hæredi conueniat, alia implenda esse officia : denique illi opus esse noua supellectile virtutum, quibus strenuè gerat personam regenerati hominis, ex secundo Adamo, & ciuis cœlestis patriæ ; nihil Filio Dei admittat indignum, legem charitatis impleat, & ad felicitatem in diuinitate visâ positam promoueatur.

Hinc latum discrimen earum virtutum à moralibus, studio & viribus naturæ comparatis, elucescit, quod ab origine ; à statu ; à fine singularum repetit S. Doctor. Moralis quidem virtus à naturæ principiis, & seminibus

exiſtit;Chriſtiana à Patre luminum deſcendit: illa noſtro ſtudio & labore comparatur; iſta ex Auguſtino *in nobis fit ſine nobis*, id eſt, nullo noſtro conatu efficienda; ſed ſolo affectu & voto euocatur: moralis vna ratione, infuſa ſuperno fidei lumine regitur. Sed præcipuum diſcrimen harum virtutum eſt ab optimo, ſeu à fine in quem nos ferunt. Morales virtutes,quæcumque tandem ſint, bonum inſpiciunt, quo naturæ procliuitas fertur,cui etiam conſequendo ſuppetunt vires naturæ ſanæ, atque ad illud comparandum, voluntas idonea media, & præſidia adhibet; virtutes verò infuſæ eò tendunt vnde effluxerunt: & ſicut vis inſita ſurſum mouet aquam, & vrget dum eò prouexerit vnde eſt delapſa; ita huius generis virtutes,*quaſi fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, ex diuinæ naturæ conſortio prouectæ, in illius viſionem feruntur, & inſtitutæ nobiſque collatæ ſunt, veluti media & adiumenta, ad tantum bonum conſequendum idonea.

Paragraphvs Secvndvs.

Ex Virtutis Chriſtianæ præſtantia confirmantur ſuperius dicta de Iure naturali, &c.

SEd quid hæc virtutum collatio & diſtinctio ad noſtras cum Amadæo imitatore Theophili diſputationes, qui hæc omnia luculenter illuſtrauit? Ita eſt, ſed hîc euertuntur, quæ alio loco adſtruxit fundamenta virtutum; quarum collatio validè confirmat ſuperius conſtituta, & viam munit ad ea quæ ſuperſunt ex Amadæo, de Religionis partibus & virtutibus refellenda. Inde namque grauiſſima ſupperit cauſa expoſtulandi de laxiſſimis Theologis, quod licet Chriſtiani inſtitutio, & Euangelij fides, naturæ iura & officia confirmarit, pluraque addiderit multo grauiora; magiſque nos ſupra cæteros mortales gratiæ & fidei expertes, quàm naturæ præſtantia ſupra animantia prouexerit; ita tamen noſtris affectibus & commodis indulgent, vt longe ſeueriores illis ſint Philoſophi officiorum magiſtri & exactores. Quare D. Thomas Ethicæ Chriſtianæ veriſſimus interpres & vindex, non eſt paſſus eò infamiæ Euangelium delabi, vt laxior ſit quam ſanxit

tiæ ratio. Res quidem inanimes innato quodam pondere & cæco impetu ad finem, vti sagittarius ad scopum sagittam, mouet & impellit. Ignorant prorsus (vt Senecæ verbis vtar) *quà vel quò eant*; & cum nulla eis insit notitia, à sensu, aut à ratione, aguntur potius quàm sese agant aut moueant; certo tamen ictu, dirigente Deo attingunt, in quæ appetitu innato feruntur, locum & bonum. Longe alia est motus & appetitus animantium ratio: afficiuntur namque rebus, easque duce sensu appetunt & quærunt, allecta illecebris voluptatis, quo vno bono duci possunt & capi. Hinc media sunt, inter res expertes vitæ & sensus, & hominem rationis compotem: eminent supra infimum ordinem, quòd ad minus sentiant *quà eant*, & voluptatis sensu pelliciuntur ad pastum, & ad generationem: sed ignorant *quò ferantur*; quia supra illorum captum est incolumitas sui, & totius speciei atque ornatus vniuersi, quem præcipuum generationis & pastus finem, diuina sapientia constituit: eoque non solum impellit, vt res inanimes cæco impetu, sed etiam ducit voluptatis illicio, & admouet fini ac bono honesto, sibi prorsus ignoto. Ab hoc secundo ordine, quo animalia reponimus, facilis est ascensus ad supremum naturæ intelligentis, cuius hæc summa dos est supra bruta, vt norit, *quà & quò eat*, seu viam, *quà fertur* ad naturæ bonum honestum, media quibus ad hoc vtendum sit, & finem quo sit fruendum; neque solam voluptatem sentiat, ex cibo & generatione (quod animantium est) aut ex qualibet actione rectà; sed etiam bonum honestum insequatur.

Hinc colligere licet quod probandum susceperam; hominem à ratione aberrare, & à sua sorte in brutorum ordinem desciscere, dum semoto aut postposito officio, & honesto, quidquid tandem agat boni aut indifferentis, inde solam, aut certè primam voluptatem aucupatur. Hinc nascitur, quem Cicero arripuit in argumentum pudor voluptatis, etiam cum virtuti studemus. Hinc dictum à Cicerone, *nos occultare appetitum voluptatis, etiam cum sumus erectiores ad virtutem*: ex quo, inquit, *intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantiâ*, eamque contemni & reiici oportere; & victum cultumque corporis, ad valetudinem, & ad vires, non ad voluptatem esse referendum. Nec enim voluptatis cupi-

ditas, si nimia sit (id est si prima aut sola quæratur) minus displicet, & iure improbatur, quàm iactantia & gloriatio: vt inde facile agnoscas communem hominum sensum, diuinæ legi melius conuenire, quàm Theologorum nonnullos, dum voluptatis affectum, vt præposterum damnat ex quâcumque causâ, *si ducat* (vt inquit Seneca) *& non sit accessio*, seu virtutis condimentum.

Hinc rursus colligere licet, litterarum etiam sacrarum studium, ex vna voluptate sciendi, curiositatis vitium esse; nec simili quamuis alterius generis carere, qui exercitia pietatis, orationem mentalem, aliaque id genus opera, vt frequentem Sacramentorum vsum suscipiunt, spe deliciarum cœlestium, & si minus sapiant, negliguntur. Hinc apertius est coniugalem congressum, voluptatis causâ initum, aliquid libidinis resipere. Hinc denique mirari licet, supinitatem nonnullorum recentiorum, quod patiantur se ab Ethnicis vinci, eaque indulgeant, quæ ipsi prohibent & damnant, solo honesti studio. Nam si virtutem solâ conuenientiâ cum naturâ, eaque nec nudâ, nec sanâ, sed geniali peccato corruptâ repetitam, adeò exactam absolutamque exigunt, vt nedum scelera & libidinem, sed etiam voluptatem ex ipsis rebus honestis captatam, cum prima spectatur improbent; quid fiet Amadæo, quid aliis quos defendit Scriptoribus, qui in æternum Ecclesiæ dedecus concedunt, & licita esse contendunt quæ Apostolus non patitur etiam nominari, & lenocinentur cupiditatibus venereis, quibus nedum naturæ, qua supra cæteros animantes præstantia deteritur, & fœdatur pulchritudo, sed ipsi adulterio & fornicationi admiscetur sacrilegium, & membrum Christo capiti iunctum auellitur, & fit membrum meretricis; atque inde in infinitum excrescit peccati turpitudo & immanitas? At ex istis Scriptoribus libidines etiam monstrosæ, vix æquant vnius nummi furtum.

Vno verbo rem ex certioribus, & sanctioribus regulis concludo: Cum virtutis & vitii magnitudo, conuenientiâ cum hominis naturâ, vel ab eâ dissensione metienda sit, & longe maior intercapedo sit inter hominem, ex primo Adamo natum, & ex secundo regeneratum, seu naturæ per se spectatæ, & donis cœlestibus ornatæ, quam intercedat hominem inter & brutum; quis non videat, multo

exactiorem requiri iustitiam & virtutem, ab homine Christiano, quàm ab Ethnico, & longe atrociora esse peccata, quæ à nobis perpetrantur, peccatis gentilium? Et tamen Amadæus audet ea excusare, aut eleuare, quæ aduersus legem gratiæ Christi sanguine sancitam, quæ contra regenerati hominis dotes, & officia admittimus; quæ Ethnicus, vnius honesti studio, vnius odio vitii execratur, hoc solum nomine quod à lege naturali, quod à ratione vel minimum recedant. Sed forte conqueretur Amadæus, secum magis declamationibus agi, quàm argumentis: verum vt illi morem geram, ex Dialecticæ & Theologiæ regulis, aduersus has laxitates instituam disputationem.

Paragraphus Tertius.

Partitio exactior virtutum vtriusque ordinis natura, & gratia: & inde officiorum nostrorum magnitudo demonstratur.

HÆc Prolegomena præmittimus, necessaria Disputationi cum Amadæo, & examini septem Tractatuum, quos ad religionem referimus. Cum vera Religionis nequeat exacta notitia comparari, nisi collatione cum aliis virtutibus, omnium ex definitione virtutis generatim ab Aristotele traditâ, rationem venabimur, vt vnius Religionis pro quâ pugnaturi sumus, natura & præstantia elucescat, & quas illi infert Amadæi collectio, iniuriæ depellantur.

Itaque cuiuscumque sit generis, seu moralis, seu infusa virtus, optimè definitur, *dispositio perfecti ad optimum*; seu homini quâ ratione, aut quâ fide viuit, vis quædam addita, illum ad finem proximum, seu vltimum aptans & trahens. Hinc existit moralium & infusarum virtutum diuisio tripartita, ex accessu ad Deum, bonorum omnium fontem metienda. Vel enim vni Deo adhæret virtus, neque aliud obiectum, aliumve finem inspicit præter Deum: & hoc primo & supremo genere, virtutes reponuntur, quas Theologicas vocamus: nam diuinitas, fidei & charitati *vnum est illud necessarium*, in quo prosequendo totæ sunt; neque aliud curant, nisi Deum, aut quod Deo

cognatum sit, & in illum referatur. Secundi ordinis virtutes infra primas sunt, vno gradu, quo longius à Deo distant: illis quidem Deus finis vnus est & proximus; sed aliud habent obiectum; & circa res versantur, extra Deum positas, in illum tamen referendas. Hoc ordine continetur Religio; cuius causâ ista tractamus. Vni Deo subiicitur, inseruit, vnum inspicit vt finem, sed Dei cultum promouet, eius iura seruat, & rebus sacris, ad Dei honorem institutis, orationibus, sacrificiis, aliisque id genus officiis attendit. Harum ego virtutum officia soleo explicare, exemplo, vt mihi videtur, accommodato, Mariæ & Marthæ sororum. Illa assidet pedibus Iesu, vnum audit, vni attendit: Martha hinc inde tota domo sollicita discurrit, vrget famulos, cibos parat, mensam instruit, ægre fert sororem quam putat otiosam, sibi non adesse. Vnus est vtriusque finis Christus, hoc solum differunt, quod Maria vni vacet, vni inhiet, & tota in vno obtutu hæreat; Marthæ animus diuisus est, attendit cibis Christo ministrandis: Maria optimam partem sortita est, quia totum quod appetit, haurit ab vno Christo, qui illi instar est omnium: Martha & Religio alia præter Christum, & Deum curant, hisque intendunt, neque tamen omnino à Deo recedunt, sed in eum referunt, quidquid contingunt.

Inter hos duos virtutum ordines, constituendus est tertius omnium infimus, eoque continentur virtutes, de quibus hactenus disputatum est, & officia vitæ humanæ inter se partiuntur. Quædam affectus nostros moderantur, quales sunt Temperantia & Fortitudo; quarum prima cibi, potus, & tactus delectationes cohibet: altera inter ignauiam atque audaciam posita, pugnat aduersus pericula, & mortis terrores: iustitia verò commutationes aliasque operationes, quibus initur, & seruatur societas humana dirigit; & adiunctas habet Gratitudinem & Liberalitatem, aliasque virtutes, quibus cum aliis hominibus colligamur.

Hoc triplex virtutum genus, à nobis accuratius distinctum & explicatum, exigit conditio hominis, quâ ratione ducitur, & Christiani, quâ ex fide viuit. Quis enim neget, ad quæ implenda nobis dantur, officia amandi colendique Deum, sua cuique iura seruandi, regend affectus homini conuenire ex ipsâ naturæ institutione

etiam si submoueamus dona gratiæ ? Hic verò cum nouam induamus personam filiorum Dei & hæredum, quæ multo longius distet ab homine, natiuis facultatibus instructo, quàm Princeps & Rex ab homine priuato; certum est obeundis, quæ Christianū adstringunt officiis in Deum, in se, aliosque eiusdem gratiæ consortes, aut capaces homines, opus esse infusarum virtutum supellectile, ab humanis omnino diuersâ.

Hanc occultissimam mirabilemque virtutum œconomiam, tuis oculis, Lector, subiiciam, Hierosolymitani Templi, nostrarumque Ecclesiarum fabrica & partitione: tribus constant vt plurimum partibus, atrio, quò populus confluit; Choro siue sancto, vbi Leuitæ & Sacerdotes diuinas laudes decantant; Altari denique & Sanctuario illo augusto, quo summo Sacerdoti semel per annum, concedebatur ingressus ad Deo colloquendum. Virtutes infimi ordinis, quæ nos ipsos nobiscum domitis affectibus, & cum aliis conciliant, ad atrium pertinent Laicorum, quibus non erat concessum sacra contingere, nec Deo litare, nisi manibus Sacerdotum: ita huius ordinis virtutes, in Deum non exsurgunt vt finem proximum, sed in illum vt finem generalem omnium bonorum, superioris ordinis virtutum operâ referuntur. Ad alterum locum, seu ad Chorum Sacerdotum & Leuitarum, Religio, deuotio, & pietas conscendunt, & Deo suis manibus ministrant. Solis virtutibus Theologicis, vt olim summo Sacerdoti, datur subire Sancta Sanctorum, & vni Deo nedum vt fini, sed etiam vt obiecto adhærere, & semotâ Marthæ sollicitudine, assidere Christo cum Mariâ, & vnâ diuinitate frui.

De hac triplici distinctione virtutum, fortè selectiora ex D. Thoma addemus, cum de virtutibus Theologicis: hîc paucis perstringam, quæ de Religione S. Doctor copiosissima habet quæst. 81. nam quæ præmisimus Commentarij vim habent & lucem. Ea ergo veluti media, inter superioris & infimi ordinis virtutes, Deum inspicit veluti finem proximum, eumque colit sacrificiis, orationibus, quasi fontem, & finem rerum omnium.

Hinc conuenientissimè nomen Religionis sortitur, vt explicat S. Doctor Art. 1. seu à relegendo cum Cicerone, & Isidoro, etymologiam repetamus; quod identidem

doceat nos relegere, & mente reuoluere, quæ ad diuinum cultum pertinent: siue à religendo ex Augustino dicatur, quod peccatis à Deo delapsi, & remoti, illum iterum eligamus, eique arctissimis vinculis alligemur. Et vt solutione ad 4 addit S. Doctor, seruitutem dominio respondere oportet; & cum singularissimum in nos Deus habeat dominium, singulari etiam seruitute esse colendum: quamuis verò ad omnes id pertineat, religiosis tamen maxime conuenit, quia aliis negotiis valedicunt, vt vni Deo vacent.

Sic explicatâ notione & etymologiâ Religionis, quis dubitet virturem esse perfectissimam, & vnam? Quid enim sanctius, quàm rependere Deo obsequia, iure dominij debita, eiusque Majestatem reuereri? Hinc probat Art. 3. Religionem vnam specie atoma virtutem esse, quia illi incumbit Deum reuereri, vt omnium rerum primam causam, & finem vltimum: & hoc illustrat responsione ad 3, art. 4. subtilissimâ collatione religionis cum charitate. Hæc vna Deum & homines prosequitur, quod bonitatem inspiciat consortij patientem & amantem; & ideo vna fertur in Deum, cæterosque eiusdem boni & amicitiæ participes: religio autem vnam Dei Majestatem & excellentiam spectat, quâ Deus à creatis omnibus sejungitur. Hinc etiam diuidenda est Religio, quâ Deus colitur, ab eâ virtute, quâ homines reueremur, & obseruantiam vocamus.

Religionem mediam constituimus inter virtutes Theologicas & morales: hinc Art. 5. concludit S. Doctor, infra illas stare, & Art. 6. istis eminere, quod Theologicis à Deo longius absit, & propius moralibus. Licet enim Deo adhæreat Religio, vt fini, in quem omnia refert, ipsis tamen rebus quibus colitur Deus, addicta est, vt Martha distenta erat prandio quod parabat Christo: atque inde, vt à suo obiecto speciem haurit Religio. Theologicis verò virtutibus diuinitas vna loco est omnium, fides Deo, Deum credit, & in Deum, quia illius testimonio de se ipso, aut ab illo reuelatis assentitur: Eadem est ratio charitatis, Deum amat, vno bonitatis diuinæ respectu. Religio licet Deo iungatur, illique nos subiiciat, aut eo referat, rebus tamen ad illius obsequium paratis insistit: ac proinde arctior & intimior est charitatis cum Deo cognatio,

cognatio, quàm Religionis, quod ad illam nullum medium præter Deum, ad istam vinculi loco, sint orationes & sacrificia, per se attenta, & inspecta à Religione, in Deum tandem referenda.

Verum si remotior sit à Deo virtutibus Theologicis, propius accedit moralibus: quia Deo subditur vt fini proximo, & ex illâ adhæsione ius sibi comparat in res omnes, easque suo imperio aduocat, & admouet ad Dei obsequium. Hinc concluditur Art. 8. Religioni maximè cum sanctitate conuenire: nam sanctitatis duplex est significatum, & velnti dos, nempe mundiciei, recessu à rebus infimis & sordidis, & accessu ad Deum comparatæ, & firmitatis; vnde apud Antiquos sancta dicebantur sancita, id est, lege firmata, quæ nefas sit violari, aut mutari. Hoc duplici sensu Religio indiuidua est sanctitati: quia nos, resque Deo sacras, ab affectu rerum infimarum, & à quocumque vsu profano segregat, & vni Deo addicit: quæ verò semel Deo consecrata & mancipata sunt, sacrilegij genus est, ad alia transferrè & adhibere. Vnde consecrationi additur firmitas, quæ est altera significatio sanctitatis & dos Religionis.

Hæc omnia præmisimus veluti præsidia, aduersus illorum conatus, qui Religionis sanctitatem impetunt, & partes ferè omnes conculcant. Non dicam quæ ex superioribus facile intelligi possunt, relatos ab Amadæo Scriptores, Christianos sanctissimâ Religione Deo sacros fœdare illuuie sordium, & indulgere posticos congressus, irruminationes: quorum nequidem vestigia in brutis extant, & à quibus etiam nominandis, ne dicam patrandis, abhorrent Philosophi. Præter hæc fæda in Religionis munditiam permissa, firmitas etiam labefactata est, arbitrario illo & versatili probabilitatis vsu, quo nihil statum, aut ratum est ex legibus & moribus, *sed omni vento opinionum circumferimur.* Verum vt generatim ad ea quæ supersunt expendenda, respondeam, nihil istis videtur sanctum, aut sacrum esse. Quid enim Religioni arctius, aut sanctiori necessitudine cognatum deuotione & oratione, quæ Religionis flos, fructus, & operæpretium est? Sed hæ Religionis partes omnino profligantur, dum mentis attentio, necessaria esse negatur ad orationem, & ad Horas Canonicas persoluendas: vt cum de summis rebus Deo

O

colloquimur, liceat labiis Deum honorare, corde & animo, voluntariè variis distento. Nec reuerentius volunt excipi & administrari Sacramenta, Baptismi, Pœnitentiæ, Matrimonij, & Eucharistiæ, vel tremendo Missæ sacrificio interesse, quàm Horas Canonicas persolui. Nec melius consulitur authoritati Ecclesiæ, & censuris ab illa latis in contumaces, quàm Sacramentorum sanctitati. Vnius simoniæ, Religioni infensissimæ, patrocinium videntur suscepisse Authores, ex quibus collectæ sunt Propositiones; quare Religionis vindicias, totâ hâc Sectione prosequar, aduersus septem Tractatuum assertiones illi aduersas.

Articvlvs Secvndvs.

Animaduersiones in Tractatum 6. de Horis Canonicis.

HVnc primum Tractatum aggredimur, quo Templum Dei, & domus Orationis, videtur mutari in nundinationes prophanatum cogitationum, ac penè *in speluncam latronum*, seu prophanorum hominum, qui patrimonium Christi Sanguine comparatum, piorum bona collata in stipendium ministrorum Dei idoneorum, qui assiduis noctu diuque precibus, vigilias agant aduersus dæmonum insultus, præsidio sint Ecclesiæ, iram Dei compescant, prouocent misericordiam; ea dilapident, & orationibus mente vagâ peractis, quæ fiant illis in peccatum, & toti Ecclesiæ in ruinam, putent se iure emercari, & in omne genus deliciarum, ne vitiorum dicam, impunè diffluere, diuitiis piorum opulenti & pingues: Nec deest tantæ impietati patrocinium aliquot Scriptorum, quorum opiniones diligentiâ pœnitenda Amadæus collegit.

Paragraphvs Primvs.

De Deuotione & Oratione obseruationes aliquot ex D. Thoma.

REligioni S. Doctor annectit veluti florem, fructumque arbori, & fœtum matri, aut verius germen fœ-

cundissimum Orationis, omniumque pietatis Christianæ operum. Ista non attingerem, nisi ex constitutâ religionis notione, quasi sponte profluerent, & responsionem ad opus istud indeuotissimum, ne dicam impium, omni spiritus pinguedine, & succo solidæ doctrinæ expers, solis penè falsò citatis vt plurimùm Authorum testimoniis conflatum, in gratiam Lectorum aliquo pietatis, & eruditionis condirem lenocinio.

Deuotionis cum religione cognationem probat S. Doctor Art. 1. ab ipsâ nominis significatione: deuotos enim dicimus, qui vel se Dei totos dedunt obsequio, vel pro salute patriæ, vt olim duo Decij caput certæ morti objectant. Igitur deuotio religionis feruor est, seu prompta voluntas, ad perpetuum Dei famulatum, auidè expetens, & arripiens quæcumque ad Dei gloriam conducunt. Et cum voluntas à fine cui se subiicit, competet in alia authoritatem & imperium, hinc religio & deuotio, dum nos Deo subiiciunt, vim & ius habent imperandi reliquis virtutibus & facultatibus; vt dicit S. Doctor ad 1. atque ex hoc imperio singulis modum præscribunt, illisque immiscentur, non vt species singulorum generum, sed sicut vis mouens inest mobilibus.

Hinc etiam apertum est quod docet S. Doctor, deuotionem nihil à religione differre, nisi fortè vti actum à facultate & virtute vnde prodit; quia eiusdem virtutis est, aliquod velle bonum, illudque promptâ voluntate insequi: & cum religionis pars præcipua sit operari quæ ad Dei cultum pertinent, accedit prompta voluntas à deuotione, veluti stimulus & calcar ad ea implenda, quæ conferant ad Dei gloriam. Deuotionis autem & religionis fomentum, ait S. Doctor Art. 3. esse diuinarum perfectionum, aut beneficiorum Dei assiduam meditationem.

In hunc verò Articulum Caietanus Commentarium habet, quod Granatensi nostro est admirationi, illudque refert ad verbum, quintâ, ni fallor, parte Memorialis, seu Enchiridij vitæ Christianæ, & veluti gemmam inseruit annulo aureo & pulcherrimo. Memoranda sunt verba, quibus enumerationem eorum quæ nobis sunt continuò meditanda, concludit: *Nec religiosi, inquit, aut religiosa siue spiritualis etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad eiusmodi se non transfert: quomodo namque*

effectus absque causa, finis absque medio, insula & portus absque nauigatione haberi nequit; sic nec Religio absque frequentibus actibus suarum causarum, mediorum, vehiculorum. Similes gemmas non licet ex Amadæi Opusculo colligere: quamuis enim titulo speciem pietatis præferat, eius tamen omnino abnegant veritatem insertæ Propositiones. Quàm longè absunt ab excolendâ religione, & accendendâ charitate, qui opera religionis docent licitè peragi, solis labiis, corde voluntariâ euagatione à Deo remotissimo, atque eo animo stipendia constituta, iis qui Horis Canonicis Deum colunt & demerentur, comparari illâ Antichristianâ solutione pensi horarij?

Duabus superioribus de religione & deuotione quæstionibus D. Thomas. 83. de oratione annectit, eaque solitâ breuitate & vbertate tractat, quæ Scriptores exegetici multis voluminibus prosequuntur. Nos ea tantum seligemus quæ superioribus appendent, quæ singularem habent eruditionem, & faciunt ad nostram controuersiam. Cum verò orationem statuat Art. 1. esse operationem mentis elicitam à religione, quæ insit voluntati: ad lucem huius profundissimæ doctrinæ, obseruari velim quæ habet S Doctor lect. 7. Periherm. mentem seu rationem practicam à speculatiuâ differre, quod ista rerum tantum conceptus, & iudicia formet, practica verò efficiat; idque bifariàm contingere; nam vel rem cogitatam absoluit & perficit necessariò, cum subditur mentis facultati & imperio, vel inchoat tantum, aliosque precibus, & votis inuitat, penès quos est rei concedendæ, & implendæ arbitrium. Sed vtrouis modo res fiat, semper importat rationis operationem ac directionem, quæ falsi & veri iudicio & assensu careat Vnde concludit petitionem & imperium, esse quidem à voluntate admouente intellectum, sed ab intellectu elici, quia rationis est ordinare: inde Aristoteles Ethic. ait ad optima quæque deprecari rationem: cui consentiunt Augustinus & Damascenus, dum orationem, petitionem quamdam decentium à Deo esse definiunt, & veluti desideriorum nostrorum interpretem. Hinc Art. 3. infert orationem ad religionem pertinere: quia religio, vt dictum est, cultum diuinum promouet.

Orationem generatim definit ex Cassiodoro, quasi oris orationem directam ab egeno, & subdito ad maiorē, cuius

opem petit, sicut imperium est superioris ad inferiorem. Vtriusque communis ratio est in actu mentis posita, vt egregiè explicat S. Doctor 1. Periherm. lect. 7. vbi duo genera operationum distinguit, & subinde duas formulas verborum: Primâ inquirimus & exprimimus, quid sit rei, de quâ cogitatio subit, & iudicamus, ac Propositione indicatiuâ siue neget, siue affirmet, nostrum de re iudicium aperimus Secundam verborum aut operationum mentis formam & speciem, ad alios dirigimus, tribus de causis, vnde totidem existunt orationum genera: vocante, eos qui adsunt compellimus, vt attendant, & nos audiant; interrogante, vt respondeant; compellente, vt impleant quæ animo versamus.

Rursus hæc postrema species orationis fit imperio maioris ad subditum, aut votis & precibus subditi ad maiorem, in quem nihil potest, nisi significatione desiderij, quod optantis verbo exprimit. Has omnes operationes ait S. Doctor ad mentem pertinere, & hoc differre, quatuor species operationis intellectus practici, à primâ intellectus speculatiui; quod huic soli, quæ iudicio de quâcumque re & propositione exprimitur, verum aut falsum insit, & enunciatione efferatur; aliis verò quatuor orationum speciebus insit quidem ordo & directio rationis, & ad operationem mentis à D. Thoma, & Aristotele ex communi hominum sensu reuocentur: sed à veri consecutione, notitiâ & significatione, ac subinde à falsi exertatione & periculo absint.

Mirum est quàm latè pateat apud D. Thomam hæc obseruatio: vix vlla est Philosophiæ aut Theologiæ pars, in quam non excurrat, soluendis infinitis difficultatibus opportuna. Hinc enim S. Doctor imperium à iudicio distinctum constituit, quo vult legem æternam, Prædestinationem, & omnem Prouidentiæ diuinæ vim constare. In eo prudentiæ operæpretium ponit: & licet recentiores totis viribus obsistant, & ab illo imperio libertati perniciem impendere vociferentur, vani tamen sunt illorum conatus, & pro D. Thoma nedum Aristoteles, & sapientissimi Philosophorum, sed etiam communis hominum sensus pugnat, illa vulgari formula, cogitandi & loquendi, enuntiando & imperando, quasi iure gentium constituta sit, illa operationum mentis ratio, quâ tot difficultates erudi-

tissime & profundissime profligat Sanctus Doctor.

Sed ad orationem redeamus Art. 1. cuius interpretandi gratiâ hæc attulimus, definitur oris ratio, seu decentium petitio, quæ ab intellectu practico, ad alios operationem suam dirigente perficitur Atque ex eâ definitione infert S.Doctor Art 3. orationem esse actum religionis: ad illam enim pertinet, reuerentiam & honorem exhibere Deo, quod maximè fit oratione ad illum directâ, vt ad omnium bonorum Authorem, cui nos subiicimus, & malorum nostrorum ab illo remedia efflagitamus, eoque nullum illi gratius est sacrificium iuxta illud Psalm. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Omissis aliis articulis, quæ minus ad rem nostram faciunt, & à principio posito non ita apertè deducuntur, infert Art.x. orationem soli creaturæ rationali conuenire; quia est petitio inferioris & egeni, directa ad superiorem, cuius auxilium efflagitat: vnde nequit conuenire creaturis inferioribus homini rationis expertibus, nec Deo, qui nullius rei eget, nec superiorem habet aut parem.

Art. 11. Ex eodem fundamento elicit orationis vocalis vsum. Nam cum duplex genus orationis existat, publica vna, priuata altera; priorem vocalem esse oportet, vt innotescat populo, cuius nomine &, stipendio peragitur: altera singularis à priuato fit, & licet sola mente perfici possit, conuenit tamen voces adhiberi, vt quædam signa externa, quibus ait Augustinus Epist. 121. *ad augendum desiderium sanctum, nos ipsos acrius excitamus.* Deinde conueniens est hominem se totum Deo dedere, & illi non solum mente, sed etiam corpore, & voce seruire: sed gratissima & laudatissima oratio vocalis est, cum ex vehementi in Deum affectu redundat in corpus, & linguam soluit in Dei laudes: ita Art. 12.

Decimo septimo & vltimo principiis ad totam quæstionem positis, egregiè illustratur diuisio orationis ad Timoth. 2. *in obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.* Cum oratio sit quoddam Dei & hominis colloquium, de rebus ad salutem necessariis; primo conueniendus est Deus, non loco, sed mente, quod oratione fit, vt est ascensus mentis in Deum: Deinde efflagitanda sunt quibus egemus; quod postulatione fit, aut supplicatione; sed totis viribus enitendum est, vt optatis fruamur,

& varia hinc inde argumenta accipienda, quibus Deum ad vota nostra flectamus; hæc verò loca argumentorum, vel à Dei sunt obsecratione, seu sacrâ contestatione; qualis est illa Danielis, *propter temetipsum inclina, Deus meus! aurem tuam*, vel à nobis ipsis assumimus, gratiarum actione de beneficiis acceptis, vt potiora obtineamus.

Sed ad quid ista congerimus? Vt inde iudicet Lector, quis nos melius orare doceat, an D Thomas à quo ista omnia didicimus, an Amadæus qui orandi genus insinuat, ex sua vel aliorum opinione, quod non sit ascensus mentis in Deum, sed ad futilia quæque voluntaria euagatio, quâ Deum non reuereamur, sed rideamus & aspernemur, non dignati illi attendere, etiam dum rogamus, vt subueniat nobis, & aliis quorum stipendio viuimus. Scio Caramuelem hanc de oratione explicatam suam opinionem, vocare *virginem & masculam*, quæ nihil moretur, anxiè Religiosorum scrupulos, quæ orationem ad Deum cæcam & clausam, ad vana quæque propensam, ab omni maculâ peccati vindicet. Sed caueat Amadæus qui Caramuelis vestigiis insistit, ne his probabilitatibus masculis & virginibus, Religionem funditus tollat, negatâ Deo attentione, quam si recusaueris seruo te alloquenti, vix sensus communis compos habendus sis.

Paragraphvs Secvndvs.

Refelluntur Propositiones Tractatus sexti de Horis Canonicis.

Qvamuis quæ ex D. Thoma de Oratione retulimus, hunc Tractatum conuellant; pauca tamen addenda sunt, ad Dominicanos à calumniâ vindicandos, ex quibus suffragia petuntur pro illis Propositionibus deploratissimis.

Primâ Propositione, *Sacerdotes qui officium diuinum voluntariè distracti recitant*, *asseritur*, Authore Asorio, *satisfacere præcepto*: sed adeò falsa & inuidiosa Amadæo visa est hæc Propositio, & quam illi adiungit veluti ramum trunco, *qui officium non modò voluntariè distractus recitat, sed qui etiam omnino prætermittit, ante sententiam Iudicis*

fructus beneficij non debere restituere: vt licet velit maximè vtramque obtinere, non audeat tamen illas manifestè probare, suosque, exceptis paucis, dicat damnare, & ipsimet Asorio,cui adscribitur, improbari. Sed suis purgaris, magnis nominibus nostrûm S. Antonini, Durandi, Syluestri, Paludani, & nequidem D. Thoma excepto, munit assertionem vt probabilem, ac securam facit, addito tot testimoniis hoc argumento, quod Caramueli demonstratio est, quâlibet Peripateticâ euidentior: *Ecclesiam præcipere non posse actus internos*, qualis est attentio mentis; ergo etiam si desit, nihil peccat, qui pensum horarium soluit, & officio vagâ mente de industriâ recitato, fructus sacerdotij suos facit.

Sed defendenda est religio & innocentia nostrorum hominum: hos enim passim, & hîc maximè Collector lacessit: & quidquid sit de eius mente, plus nobis odio prodesset, quàm posset obsequio; cum communem faciat nostram, & pietatis Christianæ causam. Suspectam fidem hominis habebam, quod D. Antonini, Syluestri, Paludani, & D. Thomæ suffragiis ascriptis, taceret loca vnde deprompserat; quod tamen ad rem quam molitur, plurimum conferebat: sed contentus aliorum fide retulisse testimonia, noluit indicare Authorum libros, tatus vt res erat, iis lectis calumniam in aliorum caput esse casuram. Legi D. Antoninum 3. Part. Tit. 3. c. 4. §. 8. legi Syluestrum Verb. Horæ quæst. 5. vbi de attentione ad horas, refert mentem D. Thomæ & Paludani, (quos etiam incusat Amadæus,) & ex illis statuit ad pensum horarium adhibendam attentionem, cum inchoatur; ita vt ex Paludano, non ab imaginatione, sed ab intellectu hæc recitatio proficiscatur: & si inter orandum mens euagetur, subinde reuocandam, ne, vt inquit S. Doctor prima intentio omnino desinat, & eâ stante quælibet euagatio inuoluntaria, caret peccato mortali; eo verò grauat quotquot inter recitandas horas, externis rebus, quæ nihil ad officium pertinent, distinentur, & euocantur ab attentione necessariâ. Hæc D. Anton. & Syluester ex D. Antonino & D. Thoma. Quid de Caietano dicam, quid de Soto? Illi non solum propositionem damnant, sed fundamentum etiam ex Caramuele conuellunt, & attentionem internam necessariam probant, Concilii Lateranensis verbis

expressis Innocentij cap. dolentes, de celebratione Missarum, *Districtè præcipimus in virtute obedientiæ vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis* (nempe Clericis) *Deus dederit, studio sè celebrent pariter & deuotè.*

Nec dicas actum tantum externum præcipi: nam præter quod hæc verba aliud sonant, mens Concilij spectabat actum internum: quia externa recitandi consuetudo iam diu recepta erat; vitium tantum suberat modo recitandi. Nec verum est, quod vniuersim assumitur, *actum internum subterfugere præcepta Ecclesiæ*: nam Clementina Multorum de hæreticis, excommunicatione ferit *eos qui odio vel amore*,) interno certè affectu) *inquirunt hæreticos, aut inquirere permittunt* Et hoc omnino necesse est, cùm actui externo indiuiduum esse oporteat internum: nulla vero esse potest intimior cognatio horum actuum, quàm orationis vocalis, cum interna attentione & reuerentiâ; quæ si nostra voluntate seiungantur, non caret peccato, oratio etiam arbitraria, & nullo præcepto præscripta.

Atque hinc nostram sententiam confirmamus. Quis dubitet præceptum orationis ad Deum, longe arctius ligare conscientias, præcepto ieiunii, quod longe præstantius sit bonum mentis oratione Deo oblatum, quàm corporis ex ieiunio; Atqui ex D. Thoma, eiusque discipulis, præuaricatio præcepti de ieiunio, non caret lethali peccato, ex variis capitibus supra satis explicatis, quod præceptum Ecclesiasticum de ieiunio sit (veluti designatio iuris naturalis & diuini præcipientis ieiunium vt medium vtile expiandis & cauendis peccatis, & menti ad rerum diuinarum contemplationem & affectum promouendæ? Quis verò ignoret orationem ad hæc omnia bona comparanda, ieiunio efficaciorem esse, & ab illâ nostram salutem pendere, vt docet Apostolus ad Roman. 10. *Quicumque inuocauerit nomen Dei, saluus erit?* vnde quatuor gradibus ad salutem constitutis, innuit Apostolus nos saluos seclusâ fide esse non posse, sicut nec orare sine fide; nec credere sine prædicante, nec prædicare nisi ex missione diuinâ. Præter hoc commune omnibus præceptum orandi, quibus cura salutis incumbit; accedit aliud onus, iis qui beneficia possident, ex stipendiis piorum charitate collatis. Nam sicut eleganter ait Gra-

natensis, arma deferenda sunt, non solum iis qui ab inimicis vitæ insidiantibus sibi timent; sed iis maximè qui militiam exercent: ita orationum armis, omnes ad vnum instructos esse oportet, contra spiritualia nequitiæ; sed illud pensum præterea exigitur à ministris Ecclesiæ, ad hoc institutis, & largissimo stipendio donatis. Quis verò possit in animum inducere, Ecclesiæ preces statas exigi à Sacerdotibus & Clericis, ad exorandam diuinam bonitatem, & maiestatem colendam, nullâ attentione, & neglecto omnis pietatis studio persolui posse, à viris, virginibus, & Monialibus Deo sacris? Si ita mentem piorum sua bona largientium liceat interpretari, pessimè his largitionibus & sanctionibus, consultum erit Dei honori, & Ecclesiæ saluti: neque enim stipendiis & præceptis imponendum erat onus huiusmodi orationum, quibus non colitur Deus, sed inhonoratur, nec misericordia conciliatur, sed ira prouocatur. Quid enim à reuerentiâ in Deum, à salutis cura, ab Ecclesiæ defensione, alienum magis, quàm oratio labiis tenùs prolata, cum voluntariâ mentis euagatione? Viderit Caramuel quid sibi sensus & animi fuerit, cum opinionem, quæ has preces eximit ab omni culpâ, *virgines* vocat *& masculas*.

Atque hinc conuellitur altera Propositio primæ adiuncta, Sanctiones Concilij Lateranensis, & Pij V. quibus beneficiorum fructu multantur, qui pensum horarium soluere neglexerint, non exigere indictam restitutionem, ante sententiam à Iudice latam. Omitto constitutiones huiusmodi interpretatione irritas, ac penè ridiculas fieri, cum vix vnquam auditum sit, à Iudicibus in Clericos inquisitum, qui officio deessent: Ipse Amadæus agnoscit, eleemosynis piorum, constituta beneficia officiorum causâ: vt qui ista negligant implere, nullum ius habeant ad prouentus beneficiorum, quos proinde nequeant saluâ conscientiâ, vti rem furto sublatam retinere, quia hoc furtum cumulatur sacrilegio, dum bona Ecclesiæ Christi sanguine empta liguriunt viri Epicuro magistro quàm Christi digniores.

Neque huic licentiæ & laxitati fauet Soto quæst. citatâ art. 6. solum hoc statuit, omisso penso horario, non esse omnes beneficij prouentus restituendos, si impleta fuerint alia onera & munera adiuncta sacerdotio, præter

pensum officij compensandum, cum omittitur, deductis aliis officii munetibus, quibus fuerit satisfactum,

Quod ad secundum primæ Propositioni adiunctum corollarium attinet, *licere officium alij recitandum* nomine Beneficiarij permittere, ex principiis positis apertè conuellitur: nam cum pensum horarium sit officio annexum, & velut indiuiduum, consuetudine receptâ, & communi piorum sensu, censetur esse onus, vt dicitur *personale*, quod proinde nequeat alienâ operâ persolui. Et immeritò in huius laxitatis patrocinium aduocatur Syluester Verb. horæ quæst. dict. 3. nam cum dicit contrariam sententiam *tutiorem*, id aduersatiuè non comparatiuè sumendum est, quasi tuta sit opinio, quæ pensum horarium negat esse personale. Adde eò loci agere de officio, non priuatim, sed publicè in choro persoluendo, cui minus mali sit, alium sufficere in absentis locum.

Sed nullus hic finis est falsitatum: exsoluuntur ab hoc onere, qui legere nequeant, licet memotiter possint horas recitare, & huius indulgentiæ Sotus falsò Author inducitur. Liberalior est ex thesauro Caramuelis Collector: ab officio eximit, quotquot nequeunt soli horas recitare, licet copiam habeant socii, qui alternâ recitatione laborem leuet. Et hoc nomine putat Caramuel cum Diana & Sanctio, exsolui in totum ab hoc penso; quia adiutorium socii fauor est non contemnendus: at gratiatum ea lex est, ne inuitis obtrudantur. Quis non miretur adeò futilibus argutiis frangi præcepta Ecclesiæ, irrita fieri consilia piorum, qui suas opes ad id fine dubio contulerunt, vt statæ laudes Dei, singulis diebus celebrarentur, cum id fieri posset sine graui noxâ? Quam verò temerè causari & obtendere potest Clericus, qui licet legendo, aut solus nequeat persoluere laudes Deo, possit tamen minori labore memoriter, & adiuncto socio, idque nolit, hoc solum nomine, quod gratiâ & fauore non sit inuito vtendum? Sed contẽdo immeritò inuitũ esse, & inique recusare adiumentum, quo in persoluendo officio leuetur, Quis non miretur has argutias eleuandis legibus excogitatas? quasi non sit comperta mens Ecclesiæ, & piorum, qui ex asse hæredes instituêre Clericos, qui diu noctuque Deum colerent, & hoc onus tot titulis sibi impositum, tum detrectare, cum leuius est ferendo, & adsunt socii, qui alternâ recitatione

minuant laborem, aut adsit felicitas memoriæ, quæ legendi fastidium & tædium tollat? Videntur isti Scriptores huiusmodi euanidis subtilitatibus, Regem illum imitari, à quo cum Cynicus rogaret sibi sestertium donari, respondit acutè, sed illiberaliter, sestertium esse donum minus liberalitate regiâ, quod non deceat à Principe erogari: cedo igitur talentum, inquit Cynicus, maius est inquit donum quàm à Cynico peti, aut capi debeat. Non dissimilibus præstigiis, & illiberalibus argumentis, quos Amadæus refert, Theologi eludunt officia pietatis, falluntur Ecclesiam, & legibus diuinis atque Ecclesiasticis ludificantur.

Secundâ huius Tractatus propositione, Moniales ex Lessio leuantur à penso horarum Canonicarum priuatim soluendo. Certum apud nos est, illas minus eo onere grauari, quàm Religiosos, qui ex eleemosynis viuunt, uat Clericos qui sacerdotiis potiuntur: quia dotem contulerunt Monasterio, quâ ali possunt, vel industriâ valent, vt sibi victum comparent. Si verò hæc desint, id est, si sustententur eleemosynis vel reditibus eorum qui Monasteria extruxerunt, & dotarunt alendis virginibus, quæ Deo vacent, & inducta sit consuetudo in Monasterium, horas publicè recitandi; perinde existimo hâc lege teneri ad illud pensum, ac Clericos & Religiosos professos. Qui hoc penso Theologi eximunt Moniales, & professos sacris nondum initiatos, interpretandi sunt de iis, qui suâ dote, aut industriâ viuunt, non piorum eleemosynis, cum prouentibus à Monasterij institutore relictis, nec inducta, nec seruata, vel vnquam inualuit consuetudo recitandi officium. Atque ab hâc sententiâ non longe abest Caietanus, cum docet Religiosos, ex solâ professione non astringi ad horas Canonicas, nisi accedant alii tituli, à stipendiis & eleemosynis, vel à consuetudine: & hâc conditione excuso opinionem Serræ, aliorumque Thomistarum. Quod verò refert Amadæus ex Caramuele, & Villalobos, non posse induci in Monasteria Monialium consuetudinem horas Canonicas recitandi quæ vim habeat legis, quia deest ad hoc necessaria authoritas; *Quis enim id iuris contulit pueris imberbibus & fœminis, à quibus initium sumpsit hac consuetudo? Efficacissimum* vocat Caramuel *hoc argumentum.*

Ego ne dicam futile, subtilius sane est, quàm solidum: sed his tricis aut argutiis mirè capitur ille Author. Nec verius est quod Amadæus affert ex Aragonio, Serra, Gallego, huiusmodi consuetudines Monialium ex deuotione voluntaria seruandas esse, non stricto iure, quod liget conscientias. Hæc omnia suspicor conficta in gratiam Monialium, quibus adulari visum est; vt tempus choro & officio recitando impendendum, non sit illis Religioni fallere in locutoriis. Sed quis ita temerè instituta dixerit Monasteria virginum, vt suas ipsæ leges condiderint, nec à suorum ordinum Prælatis, vel ab Episcopis, vel à Sede Apostolica inductæ sint, aut saltem confirmatæ? Atque hinc validè præcluditur effugium Caramuelis, *pueris imberbibus deesse authoritatem inducendi consuetudines quæ ligent*; cum paucissimi, aut ferè nulli sint Ordines, qui à suis præpositis, & à Sede Apostolica non repetant vim sui instituti; cuius nobilissima pars sit, pensum horarium ad laudes Deo persoluendas.

Paragraphvs Tertivs.

Quinque Propositiones de eodem argumento damnatæ Pontificiâ Censurâ.

Antequam ad Sacramenta accedamus, tractationi de horis Canonicis inserenda est censura Alexandri VII. in 5. Propos. in 20 & 21. ordine, in 33. & duas insequentes; hæ tres posteriores singulares sunt & nouæ: duas priores ad examen iam vocatas, Pontificiâ authoritate refellemus. Prima ita habet: *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.* In hanc censuram incurrisse Petrum à Soto obseruat Nicolaus *Dubois* num. 430. Excusari potest, quod in Concilio Trid. mortuus ante creatũ in Pontificem Pium V. eius decretum videre non potuerit: Sed immeritò Ioan. à Cruce, Bartholomæum Medinam, Ioan. Corandum, Lud. Lopes, Dominicum Sotum, & me eidem damnationi obnoxios facit. Ioannes quidem à Cruce, & tres alii Thomistæ citati

hoc vnum docent: qui Sacerdotio potiuntur, si intra annum decies horas Canonicas omittant, non esse illis fructus restituendos; quia inseruiunt liberalissimo domino, qui multo minus, quàm dominus temporalis, modica attendit; Esto, non sit vera hæc opinio, differt tamen à Propositione damnatâ: nec nisi per vim eò trahi potest; quamuis constitutio Pii V. habeat hæc verba: *Omnes beneficij, vel beneficiorum fructus, qui illis diebus responderent, amittat*; ille scilicet, qui pensum diurnum non persoluit; vnde infert Suares videri hanc mentem Pontificis, vt pro numero dierum, quibus prætermisit, qui Sacerdotio potitur, horas Canonicas, restituat nedum partem fructus, aut redituum: sed omnes in totum, etiam si alia beneficio adiuncta onera impleuerit; quamuis, inquam, interpretatio ea Suaresij obtineat, stare tamen poterit, quod ad defensionem Dominici Soto dixi; & Nicolaus *Dubois* sugillat obscuritatis; licet verba sint apertiora, quàm vt Interprete indigeant. Distinxi onus pensi horarij ab aliis eidem beneficio adiunctis; vt si istis satisfecerit Sacerdos aut Clericus, non sit illi restituenda pars fructus, nisi quæ respondet penso horarum canonicarum. Hanc Soti opinionem, meamque interpretationem non audet Nicolaus apertè damnare: quia in illam inclinant ex Societate Toletus, Henriquez, Lessius, & Sa; & ad argumentum, quod deduci contra potest, ex decreto Pii V. ad sensum Suaris, confugit num. 444 ad responsionem Zipæi, qui negat Bullam Pij obtinere & ligare conscientias, quod non fuerit euulgata, nec sit pluribus locis vsu recepta; concedit hac exceptione posse eximi Clericum à restituendo fructu, qui aliis beneficij, quæ impleuit, oneribus respondet. Sed quam ipse ad certam partem arctat, exceptionem, Zipæus pari iure extenderet ad totam constitutionem, & admitti posset, nisi accessisset noua censura Alexandri VII. quæ opinionem tantùm illorum damnat, qui negant vllâ restitutione vrgeri ante sententiam Iudicis Clericum, qui neglexit horas canonicas, quòd sit pœna, quam nullus sibi debeat infligere. Certum autem est Ioannis à Cruce, aliorumque Thomistarum, Soti, meamque sententiam à propositione notatâ, toto genere differre, & immeritò nos in illam censuram trahi.

Alteram ordine vigesimam primam Propositionem

accuratè expendi Paragrapho superiori, & Præfatione ad nouam editionem 1. p nostræ Ethices, vt depellerem, quam inde in me & Syluestrum moliebatur idem Scriptor accusationem; illa verò asserebatur: habens Capellaniam collatiuam, aut quodlibet aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacere suæ obligationi, si officium per alium recitet: Nicolaus totis viribus Syluestro & mihi damnatam Propositionem impingit: sed responsum est Syluestrum, quo citatur loco docere Canonicum, dum studiorum, aut aliorum negotiorum causâ abest à choro, posse sufficere ministrum, qui illud officii obeat, quod ipsi incumbebat; licet non propterea eximatur à labore officii priuatim recitandi: idque vsu receptum est in pluribus Galliæ primoribus Ecclesiis, vbi dum Canonici intersunt choro, & silent, inferiores Clerici officium decantant, à quo tamen priuatim persoluendo, submissâ voce in Ecclesia, aut domi, nemo (quod sciam) illos excemit. Quid ergo docui cum Syluestro, quod Propositioni damnatæ faueat, & non sit vsu receptum? quare videtur hic Author carpendis Thomistis potissimùm scripsisse, & immeritò asserit Canonem Bonifacii VIII. in cap. fin. de Rescrip. directè repugnare mihi permittenti horas canonicas per alium in choro decantari: hanc damnationem commererer, & sponte subirem; nisi cautelam adhibuissem, publicâ recitatione cum cantu in choro alienâ & vicariâ voce, non eximi Canonicum à soluendo priuatim penso horario. Quid habet quod sententiæ nostræ eo sensu explicatæ obiiciat?

Trigesimâ tertiâ ordine Propositione asserebatur *restitutio fructuum, ob omissionem horarum suppleri posse per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit*, hanc docuit Bonartius libro secundo de horis canonicis, quam conatus est munire suffragio Suaris lib. 4. de oratione: Illam tamen eò loci non probat, quia non agit de restitutione fructuum, quæ suppleatur per quascumque eleemosynas ex fructibus beneficii factas, quæ anticipatæ solutionis rationem habeant, quod tamen asserit Bonartius, idque alienum est à mente Pontificis, qui id vnum spectabat, vt eo imposito onere negligentiores Clericos adigeret ad persoluendum pensum horarum: parum autem rem promouisset, relictâ facultate quibus.

cumque eleemosynis quocumque tempore collatis, id debitum expediendi. Adde quo tempore erogatæ sunt eleemosynæ, suum fuisse effectum consecutas, antequam existeret ea restitutionis necessitas, nata ex neglectu horarum canonicarum: ergo nequeunt eam implere. Denique ratio solutionis aut compensationis supponit debitum contractum quod extinguat; huiusmodi verò eleemosynæ antecedunt onus & ius constitutione Pontificiâ, ex omissis horis canonicis impositum: ergo ineptæ sunt huic debito compensando.

Apertior est damnatio Propositionis 34. Authore Caramuele, quæ ita habet: *In die palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*; quia, inquit Caramuel, si quotidie Sacerdos citra vllam iustam causam officium Resurrectionis recitaret; peccaret tantùm venialiter: si verò ad id suppetat aliqua ratio, immunis erit etiam à peccato veniali: Præcepti enim vis sita tantùm est in septem horis canonicis persoluendis: quod verò officium celebretur de Feriâ, aut de Festo, id accidentarium reputatur: ac proinde saluâ præcepti substantiâ, leuis est immutatio quoad modum & ceremoniam, quæ non sufficiat ad graue peccatum. Vnus est Caramuel qui hanc opinionem propugnet: cui tamen accedit Syluester verb. *Hora*, quæstione 11. num. 15. vbi docet: *Si in fraudem dicatur officium breuius, secundum Archidiaconum, id non contingere citra graue peccatum*; quod tamen non reputat mortale: quia non est determinatum ex præcepto officium. Non longè videtur abesse ab hac Caietanus opinione, in summa, ver. *Hora*, §. 3. nec censet reum peccati mortalis, eum qui mutat horarum qualitatem, & de Feria recitandas, de Sanctis soluit. Hoc laxius videtur Dominico Soto de Iure & Iustitia lib. 10. quæst. 5. art. 5. *Licet*, inquit, *non prorsus contradicere ausim sententiæ Caietani; non tamen omnino culpa caret; nec tam laxa remittendæ sunt in re huiusmodi habenæ: imo debent antistites eiusmodi ausus cohibere.*

Caietani opinionem, si ad certos casus restringatur, non reputant Valentia & Lessius improbabilem; distinctionem Caramuelis confutat Nicolaus, quibusdam canonibus, qui non videntur ad rem pertinere, quia sanciunt publicum in choro psallendi potius quàm priuatim recitandi officii morem: Et certum est multo grauius eos peccare

peccare qui receptam in Metropolitanis Ecclesiis Missas & Officia celebrandi consuetudinem mutant, quàm qui ab vsu priuato recedunt; vt hos à mortali peccato excuset. Bonartius, quatuor obseruanda monet; 1. si absit contemptus; deinde si rarò contingat; 3. si mutatio non sit notabilis: aliàs ob nimiam mutationem, damnaret peccati mortalis, eum qui per totum annum diebus Dominicis officium Paschale celebraret. Si verò mutatio fiat officii ferè æqualis, nec multum differriat à tempore, (quod erat quarto loco obseruandum) non imputat peccato mortali, à quo tamen non excusaret illum, qui die natali Christi, Feriæ occurrentis officium recitaret: quia plurimum discedit à Festo cuius ratio habenda erat. Minus obnoxia peccato est, Missæ quàm officii immutatio, quia liberior est à præcepto, & cuiusque permittitur arbitrio: Id de Missis voluntariis intellige; si quæ verò præscriptæ sint aliquâ lege aut consuetudine; quod de officiis statutum est, tum locum habet: nec à mortali immunis esset, si quis natali die Christi publicè Missam Pentecostes decantaret, cum multiplici Alleluya; quod sub priuatione communionis Paschalis Concilium Toletanum quartum *cap. 11.* vetuit: *Tunc enim*, inquit, *opus est fletibus ac ieiuniis insistere, gaudium in tristitiam vertere, quo vsque veniat tempus Resurrectionis Christi: quando oportet Alleluya in lætitia canere: hoc enim Ecclesiæ vniuersalis concessio in cunctis terrarum partibus roborauit.*

Quintâ & postremâ Propositione inter damnatas ordine 35. docet Caramuel *vnico officio posse quem satisfacere pro die præsenti & præterito.* Vt si Feria secunda & tertia duobus Martyribus sacra sit authoritate publicâ, aut priuatâ, id est voto, & sub vesperum secundæ Feriæ, cui incumbit onus recitandi officii, legat Matutinas & Laudes, vtriusque diei satisfacere penso inde probat Caramuel; quod vnâ eâdemque actione implere possum duplex numero præceptum, eodem tempore coniunctum, vt verbi gratiâ Missam audiendi vno die, qui Dominicus sit, & sacer Diuo Petro; certum est incidere duo illa præcepta in eumdem diem, vnâque Missâ obseruari: Ergo poterit Clericus pensum horarium duorum dierum vnâ recitatione officii implere. Consecutionem probat quibusdam Thesibus Louanii 3. die Iunii 1642. publicè defensis, quæ

id asserebant, quod ipse propugnat: Hanc opinionem damnatam censurâ Pontificiâ improbant Sinichius in Saüle pag. 436. & Franciscus bonæ spei Carmelita, qui acutè argumentum Caramuelis soluit, hâc distinctione, eodem tempore, vnâque actione, satisfieri duobus præceptis, si non sint addicta diuerso tempori, ad rem faciendam determinatè & seorsim seruando, hoc est, vt fiant cum circumstantiâ vi præceptorum determinato tempori affixâ; siue præcepta illa sint specie diuersa, vt præceptum vnum de legendis horis ex motiuo Religionis, & alterum ex motiuo Iustitiæ, siue solo numero distinguantur, vt præceptum de audiendâ Missâ, Dominicâ die & Festo: de abstinentiâ à carnibus, Vigiliâ & sabbatho; secusest, si præcepta sunt diuerso tempori alligata, quale est onus persoluendi pensum horarium quod suo ita addicitur diei, vt in alium transferri nequeat; Et, si locum haberet argutia Caramuelis dimidiâ parte annui pensi, possent citra noxam & peccatum Clerici se liberare; nempe si non vno die, sed integrâ medietate anni vellent Laudes & Matutinas intermittere, legendo alternis diebus Matutinas & Laudes sub vesperum, hâc solertiâ; & captatâ opportunitate temporis velut medii inter duos dies vnâ recitatione officii duorum dierum pensum soluerent: quod alienum est à pietate & à sensu communi Fidelium, qui singulis diebus suum & integrum ascribunt officium. Et huic sententiæ consentit omnium vsus. Sed de hoc Tractatu satis: ad Sacramenta accedamus.

SECTIO SECVNDA.

Animaduersiones in varios de Sacramentis Tractatus.

DE Baptismo Sacramentorum primo agit Amadæus Tractatu vndecimo, & de Matrimonio postremo Sacramentorum Tractatu decimo quarto, quem ferè totum expendimus, exceptâ primâ propositione ad hunc locum remissâ, quod attingat Matrimonium qua Sa-

cramentum est. De hoc igitur, aliisque Sacramentis quæ partes sunt religionis, nobilissimæ disputaturi sumus, si prius Sacramentorum cum religione cognationem paucis explicuero.

Articvlvs Primvs.

Communis notio Sacramentorum.

Sacramentorum cum religione necessitudinem nullus ignorat, nisi cui nunquam lecta & audita fuerit celebris Augustini sententia libro 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibili consortio colligentur*: sunt enim veluti cingulum, tessera, & signum militare, quo duces, suos milites donant & insigniunt, vt internoscantur: & ad hoc instituta tantum, quidam malè opinantur esse Sacramenta; quasi hâc vnâ ratione dicantur signa rei sacræ sanctificantis nos, quod à prophanis & Ethnicis nos segregando videantur sanctificare, id est, Deo mancipare, veræque religioni addicere: neque alia sanctificandi ratio, aut vis, inesse videbatur Sacramentis antiquæ legis, quibus tamen D. Thomas vnam & communem notionem cum nostris, hîc â nobis explicatam constituit. Sed qui ita sentiunt, & ad hoc tantum valere volunt Sacramenta nostra, malè consulunt dignitati Sacramentorum legis gratiæ; neque longe absunt ab hæresi Sacramentatiorum, quibus paria faciunt nostris Sacramenta antiqua: nam externa illa & admodum ieiuna institutio, seu sanctificatio, non eximeret Baptismum & Eucharistiam à vacuis & egenis elementis, quò legis ceremonias deiicit Apostolus. Aliquid ergo altius & sanctius, de nostris Sacramentis est cogitandum: & communis Patrum ac Theologorum mens est, instituta esse, veluti causas morales, vel instrumenta physica gratiæ nos verè sanctificantis. Hinc meritò sunt accensenda præcipuis religionis partibus, & fundamentis Ecclesiæ.

Tria verò S. Doctor ponit, quibus totam astruit religionem, nempe mysteria quæ fide credimus, leges diuinas implendas ex charitate, vnde plenitudo legis ab Apo-

stolo definitur, & Sacramenta quæ spem roborant, collatione gratiæ, vnde Fides & Charitas profluunt veluti lux & calor ab igne, quibus mysteria credimus, legem obseruamus, & salutem æternam nobis comparamus. Multis hæ religionis partes conueniunt, nec differunt paucioribus, quæ non est prosequi huius disputationis. Certum est origine diuinas esse, nec potuisse poni aut institui, nisi Deo authore: & sicut ipse solus nouit mysteria diuinitatis, & reuelare potest, ac leges sancire, quæ nomen ac vim diuinarum habeant; ita Sacramenta seu sacrificia ad Deum pertinet instituere vt certa signa, causasque, vnde gratia profluat, augeatur, & peccati abstergantur sordes: hinc recipiendis vel administrandis Sacramentis necessariæ dispositiones idoneæ, pro cuiusque dignitate ac fructu, quæ si nostrâ negligentiâ desint, incurrimus lethale peccatum. Nec minus grauiter peccant, qui ab institutione Christi recedunt, id est, materiam & formam aliam adhibent, quàm ferat vsus & traditio à Christo ad nos vsque deriuata.

Paragraphus Primus.

Defenditur sanctitas Sacramentorum contra primam Propositionem ex Tractatu de Matrimonio.

EA verò Authore Sa asseritur, ***non esse peccatum, Sacramentum Matrimonij peccato mortali implicitum inire:*** non audet Propositionem defendere Amadæus, sed duo tentat; primum excusat Sa ex mendo textus, vnde sublatum est τὸ *per procuratorem, Matrimonij Sacramentum accipere, non esse peccatum*: quod verum esset, si sententia Soti obtineret, Matrimonium medio procuratore initum non ligare, nec vim habere sacramenti, donec coniuges mutuo consensu coram ratum fecerint. Deinde in Durandum aliosque Theologos regerit Propositionem, ne excepto quidem D. Thoma, quod sententiam aduersam Durando, nempe Matrimonium esse verum Sacramentum conferens gratiam, probabiliorem dixerit.

Sed esto ita sit; hæc verba interpretanda sunt aduersatiuè, secundum regulas S. Doctoris, non comparatiuè ex

mente Probabilistarum; qui ex verbis comparatiuis inferunt vtramque sententiam tutam esse, & probabilem, probabilitate non impeditâ; quod alienum est à S. Doctore, qui nullam opinionem quamlibet probabilem, si falsa sit, & legi repugnans, docet diffidentibus Doctoribus excusare à peccato. Cæterùm stante verâ ratione Sacramenti, & [illegible] certâ Matrimonio, seu coràm, seu interiecto procuratore celebrato, certum est lethali peccato non carere, si celebretur ab homine sordido & saucio lethali peccato: idque videtur repeti ex duplici capite. Nam cum ex veriori sententiâ, non alii sint huius Sacramenti ministri, quàm ipsi coniuges, vltrò citroque sibi Sacramenti gratiam impertientes, si reatu peccati implicentur dum conferunt aut recipiunt Sacramentum, vtrinque etiam peccant, tum collatione, tum susceptione: idque certius est ex secundo capite, quia obicem ponunt Sacramento viuorum.

Magis dubium est, an collatione peccent: distingui solet duplex genus ministrorum, quidam sunt destinatò ad hoc consecrati, & gratiâ donati velut stipendio, vt dignè fungantur munere, quales sunt Episcopi, Sacerdotes, rei sine dubio grauis peccati, si illotis, vt dicitur, manibus contrectent res sacras, & sibi conscij culpæ lethalis, conferant Sacramenta. Ab hoc onere eximunt quidam ministros secundi Ordinis, quos vocamus *necessitatis*, qui occasione potius, quàm ad hoc instituti baptizant paruulos, cum deest Sacerdos: huius Ordinis ministerio videntur fungi coniuges, dum sibi conferunt Sacramentum. Declarari potest hæc ministrorum differentia, eorum qui Regibus famulantur, exemplo. Nam si quis occasione datâ cum absunt ministri regii, inseruiat Principi, nihil peccat, si sordidior sit, quia nullo stipendio id obsequium præstat: verùm eos qui apparent primo gradu, & adsunt regi cum stipendio, oportet ornatiores esse, & si cultum negligant, loco mouentur, quasi in regiam majestatem injurij, abutantur stipendio constituto, vt Regi inseruiant decentiori formâ & statu. Ita de ministris Sacramentorum statuunt plures Theologi.

Quæ eâdem Propositione congerit Amadæus de ordinibus, excepto Sacerdotio, ne D. Thomam eiusque discipulos carpendi vlla occasio prætermittatur, refellam Ar-

ticulo sequenti, vbi duas de Baptismo Propositiones expendero.

Paragraphus Secundus,

Duæ Propositiones de materia dubia Sacramenti Baptismi.

VTramque iungimus, quia eodem nituntur aut refelluntur principio I. Partis Disput. 1. quatuor distinximus classes materiæ & formæ Sacramentorum; in primâ reponitur certa & licita, alterâ extremâ, continetur certò nulla, tertia quæ ad primam accedit, complectitur materiam validam, sed illicitam; postrema quæ propior est secundæ, habet materiam certo illicitam & omnino dubiæ efficaciæ, quâ disputatione citatâ, diximus nunquam vti licere, cum apertum aditur periculum irriti Sacramenti, nisi grauius malum ingruat, nempe damnatio pueri, aut adulti morituri sine Sacramento.

His ita constitutis, facile est de vtraque Propositione iudicium: primò asseritur licitum esse in articulo necessitaris, baptisare sub conditione aquâ rosaceâ, quod non improbabile, id est, tutum ex Probabilistarum regulis censet Bauni: D. Thomas 3. part. quæst. 66. art. 4. ad 3. negat Baptismum fieri posse sanguine animalis, aut vino, aut quocumque liquore alicuius plantæ, maximè, si arte exprimatur. Nec valet argumentum Amadæi, ab aquâ sponte fluente ab arbore, maximè post pluuiam, aut glacie resolutâ, quam Ioannes de la Cruz ait idoneam esse materiam Baptismi, at non alchymicos liquores; hi enim expressi ex herbis eliquatis longius recedunt ab aquâ elementari, eâ quæ sponte defluit è vite vel arbore, quæ vix aliud est, quàm pluuia nondum in vitis substantiam conuersa. Si hîc detur locus probabilitatibus, quid vetat Baptismum fieri quocumque mixto, ex probabili opinione Medicorum, elementa mixtis inesse secundum suas formas paulutum refractas? Quidni sanguine, cum illi multum insit pituitæ, quæ nihil differat ab aqua? Quidni etiam vino, ex duplici opinione probabili, facti vnâ, solere aquam vino miscere caupones, & alterâ

iuris, seu naturæ, aquæ vino mixtæ etiam modico nihil perire à vino; in quam, ait Delugo, opinionem, pedibus, manibusque, ire Collegium Romanum, vt conuersionem aquæ infusæ Calici immediatam in sanguinem defendant?

Sed quis erit probabilitatum, id est, ineptiarum & errorum finis, & modus? Quidni etiam quod habet secunda Propositio, probabilis & tutus sit Baptismus sub conditione, cum saliuâ & sudore? Quem sine dubio defenderet Amadæus, quamuis damnatum à Gregorio in Decretalibus titulo 2. 42. de Bapt. cap. penultimo vbi statuitur: *Nullatenus dubitandum, eos verum non habere Baptismum, in quibus verbum & elementum, aut eorum alterum, est omissum; nec pro Christianis habendos, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, aliquorum simplicitas pro Baptismo saliuæ conspersione leniuit:* nihil, inquam, moraretur hoc decretum Amadæus, nisi opportunissimum iudicasset, ad impressionem in Dominicanos ferè omnes, nec excepto D. Thomâ faciendam, quâ nunquam atrocius grassatus est, quàm additionibus ad has tres Propositiones: Quare vt illius conatus frangamus, sit

Articulus Secundus.

Depelluntur infinitæ contumeliæ à D. Thomâ eiusque Discipulis.

Cum primum huius Opusculi examen aggressus hærerem de Authore incertus, ad hunc vsque locum progresso, quæ occurrerant argumenta, & vestigia Theophili Rainaudi, adeò aperta mihi videbantur, vt penè inuitus cogeret credere, non potuisse ab aliâ quàm ab istius Authoris officinâ opus prodire; quia contumeliæ in Dominicanos per Theophili libellos de immunitate Cyriacorum, & de absolutione moribundi sparsæ, in hoc Tractatu nouis & grauioribus auctæ atque exaggeratæ legebantur; & licet suspicari tum possem, quod ita habere postmodum comperi, nempe ista quidem ex Theophilo deprompta, sed ab alio scripta fuisse; tamen

ex charitate, quæ peccata operit, & si in totum tolli nequeant, qua licet minuit, censebam in vnum hominem hos omnes libellos potius referendos esse quàm in plures diuidendos, ne numerum reorum & criminum augerem; interpretationem tum probabilem & benignam, extenuando in nostros odio, quasi in vnum tantum ex eodem instituto, non in plures cadere posset, ipsius Amadæi assumpto quod occultauerat proprio nomine suum agnoscentis opus confessio exclusit; sed à quocumque profectæ sint Dominicanorum huiusmodi insectationes ab omni specie veri & æquitate alienas esse paucis demonstro.

Paragraphus Primus.

Summa insectationum Amadæi.

Occasione decreti superioris, quo Pontifex damnat Baptismum, cum saliuâ & sudore, intempestiuè omnino irruit in Dominicanos: & primò Paludanum impetit longissimè positum, quæsitum opportune, importunè petit: an Baptismus ille post decretum Pontificium sit de fide nullus; & statim inducit Paludanum absque formidine negantem, iuxta id quod tradit in 4. dist. 24. quæst. 1. *Nullam Propositionem, notam per fidem infusam esse, cuius subiectum non sit Deus, quantumcumque prædicatum sit Deus.* Hæc autem Propositio: Baptisatus sputo non est Christianus, non habet pro subiecto Deum: quare addit ex Paludani principio, nullam conclusionem Fidei posse deduci; quod ex Suares ait Fidei apertè repugnare.

Euerso & confosso Paludano, Tabienam Dominicanum eodem telo impetit: ille *Verb. Excommunicatio*, statuit nihil ab Ecclesiâ falsum damnari, nisi dicat Hæreticum esse; quod in hoc decreto Pontificio desideratur.

Videntur omnes Dominicanos ad internecionem deposci; quare his duobus eodem telo peremptis, tertius adiungitur Canus, & læsæ Majestatis Pontificiæ reus peragitur, & quasi Hæreticus traducitur, quod Canonibus Pontificiis non afferat authoritatem Librorum Canonicorum, nec ab omni lapsu etiam contra prudentiam,

immunitatem Pontificibus, seu in confirmandis Religiosorum Ordinibus, seu in Sanctis Diuorum albo referendis: aduersus hæc tria Cani dicta perinde ac contra trifaucem Cerberum fulminat Censuris Turriani, Bannesii, Arriagæ.

A Cano inuehitur in Caietanum & plurimis erroribus grauat, potissimum quod probet Baptismum Christi nomine collatum, contra expressum decretum Zachariæ *in cap. Synod.* dist. 4. de Conf. Can. 83. hâc de causâ illum pungit Spinæ verbis: nec illius tantum erroris accusat; plures addit Propositione primâ de Matrim. vbi notat contra sensum Ecclesiæ, secutum opinionem Durandi, nullum Ordinum esse Sacramentum præter Sacerdotium. Erroris de Baptismo socium dat Syluestrum, immo mirare, Lector, D. Thomam, illique instruit insidias ex 4. dist. 5. art. 2. vbi referens aliorum opiniones, sic præfatur: *Quidam dicunt, si desit intentio mentalis baptisanti puerum, piè creditur quod summus Sacerdos scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat*: At Amadæus, erasis primis verbis *quidam dicunt*, reliqua refert quasi dicta à D. Thoma ex propriâ mente, si desit intentio baptisantis, suppleri à Deo. Nec contentus impegisse in hunc errorem, adiungit alterum ad finem secundæ Propositionis de Baptismo Martyrii. Sed omnium atrocissimum habet Propositione primâ de Matrimonio, vbi D. Thomam in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 1. ait tollere Episcopatum à numero Ordinum & Sacramentorum, ac proinde omni gratiâ vacuum & expertem facere, & ex Petro à Soto depromit censuram hæreseos in Magistrum.

Cum ista primum scribenti & edenti adhuc insideret animo Theophilum, vnum istius libelli fuisse Authorem, addideram me fecisse synopsim accusationum Amadæi qui mihi erat Theophilus, vt agnosceret Lector fidem promissorum hac farragine contumeliarum absoluisse, cum vltimis de immunitate Cyriacorũ verbis ita scripsit, gustum nunc parcè exhibeo, cras in indice vniuersali ad singulos quosque Cyriacorum plenas cuppas huius nappæ propinabo; illum indicem audio in Hollandia typis datum, & propediem hîc expectari: cum ad manus meas peruenerit, si aliquem habeat nodum vindice dignum, & nouam colligationem accusationum in nostros, aliorum solutioni

adiungam. Interim ad verum Amadæum accedamus: nihil enim nostra interest, siue à seipso ista deprompserit, seu à Theophilo sit mutuatus: Prima & expedita responsio, ad plerasque harum obiectionum est, nos Dominicanis minimè asserere immunitatem à quocumque lapsu, & sicubi cæspitent, & à vero aberrent, non excusare, maximè cum à Magistri communis & tutissimi ducis vestigiis sponte recedunt, quod interdum contingit Caietano ad purpuram assumpto. Præterea dico illorum lapsus inuidiosè in maius augeri, & cum facile possent excusari, in prauum & ab eorum mente alienum sensum detorqueri. Postremò respondeo plures illorum scripsisse ante Concilij Florentini & Tridentini, ac Pontificum decreta, quibus quæstiones prius in medio relictas definiuere: quales sunt de de Matrimonio per Procuratorem inito, de Minoribus Ordinibus, aliæque id genus controuersiæ. Dico tandem plerasque harum accusationum; ac ferè omnes in caput Authoris recidere, & famæ ipsius nocere magis, quàm accusatorum innocentiæ.

Paragraphus Secundus.

Defensio Paludani, Armillæ, Caietani, & Cani.

His vniuersim præmissis, ne videar difficultatem vllam subterfugere, ad singula respondeo. Imprimis Paludanum scriptis, pietate, nobilitate familiæ, quæ etiamnum in Gallia floret, & Patriarchatu Hierosolymitano celeberrimum, immeritò carpit cum Suare Amadæus, nec aduertit illius assertionem nedum excusari posse sensu Catholico, sed omnino admittendam, si attendamus illum agere de Propositionibus Fide diuinâ credendis. Quis verò nesciat, eas hoc differre à propositionibus demonstratis, aut probabilibus; quod illis assentiendi vnica sit ratio Deus, eiusque reuelatio, omnium credendorum vnicum medium & argumentum? Ergo nihil temerè scripsit Paludanus verbis supra ex illo relatis: hoc enim tantum significare voluit, assertionis cuiusque Fidei vim totam esse à Deo testante, non ab argumentis hinc inde petitis.

Armillam seu Tabienam Paludano vinctum eiusdem accusationis vinculo purgare est facile, adhibitâ distinctione Scholæ ex Caietano, duo esse genera damnandi Propositionem hæreticam, nempe verbis expressis, quod Caietanus diceret *actu signato*: vel *actu exercito*, cum censuris, aliisque id genus loquendi formulis, quæ pondus & vim habeant sententiæ, propositionem damnantis hæreseos, qualis est illa Gregorii decernentis, immo & probantis, *non licere dubitare Baptismum cum saliuâ & sudore non facere Christianum.*

His duobus Dominicanis leuiter lacessitis, Canum sibi præ omnibus Dominicanis minus gratum grauat triplici errore iam supra memorato: sed miror ausum damnare quod Canonibus Pontificum de Moribus, de institutis Ordinum Religiosorum, & de Sanctis in Diuorum album relatis, non asserat parem cum Libris & Scriptoribus Canonicis authoritatem, quæ illis vix astrui potest citra Fidei perniciem. Certè si quæ sit potestas concessa Ecclesiæ definiendi res Fidei, quàm Canus non solum censet maximam; sed etiam pro eâ pugnat multò validius quàm Theophilus suo libro *Ipse dixit* inscripto; quis neget eam valere maximè, cum res definiendæ ex Fidei articulis deducuntur, necessariâ & euidenti consecutione, & immediate reuelatis sunt proximè junctæ.

Verùm Molina eas negat in quæst. 1. D. Thomæ vllo Conciliorum aut Pontificum decreto posse euehi ad ordinem articulorum Fidei: Ergo Molina vnâ assertione plus detrahit Pontificum authoritati, quàm Cano tribus accusationum capitibus: nempe cum de moribus tractant, & nullo Dei verbo, neque argumentis inde necessariis, sed solâ ratione naturali probantur; cum de Ordinibus Religiosorum agunt, vbi magis prudentiâ opus sit quàm scientiâ aut Fide: cum viros opinione sanctitatis florentes Diuis accensent, vbi infinitæ facti quæstiones occurrunt dirimendæ iudicio potius, quàm ex Scripturâ & Traditione. Quid ergo peccauit Canus, cum his tribus capitibus ait non statui decreta Fide diuinâ credenda, aut opus esse Ecclesiæ & Pontificum sanctiones Scripturæ æquales, quasi aliàs tota pereat Majestas Sedis Apostolicæ?

At contra ego pronuntio, Amadæum qui id contra Canum contendit, Sedi Apostolicæ grauissimam noxam

inferre, & ab eius obsequio deterrere hæreticos omnes, & Catholicorum plurimos. At inquies, nisi Canones perinde ac Scripturam Canonicam recipiamus, perit illorum reuerentia: quasi verò his fundamentis nitatur authoritas Pontificia, quibus sublatis corruat. At nos verius & solidius propugnamus iura Pontificum, & Ecclesiæ, asserta illis authoritate infallibili, cùm res definiunt ex Scripturâ & Traditione; nec propterea dicimus nutare illorum decreta, si desint aut taceant diuina eloquia: tum enim sibi ab omni lapsu & errore immunitatem parant, illo inconcusso decreto, quod toto hoc opere propugnamus, cum res dubiæ sunt, nec quidquam certum ex Scripturâ & Traditione statui potest, standum pro lege & pro parte tutiori, quam sibi ipsis assumpsere, aliisque, suis canonibus semper præscripsere sanctissimi Pontifices, perpetuo illo oraculo millies repetito, *in dubiis partem tutiorem eligendam esse.*

Hîc etiam mirari subit Amadæi consilium: è toto iure Ecclesiastico, nulla extat frequentius repetita, aut firmius sancita regula delectu tutioris partis: hanc verò mille telis impetunt Amadæus & Caramuel, deprauant detortis interpretationibus recentiores: & vbi ista sibi permiserint, alios criminantur, si totum ius canonicum loco Bibliorum non habeant. Quid hoc rei est? videntur mihi prætorianos Pilati milites imitari, qui genu Christo per ludibrium flexo impingebant alapas, & in faciem conspuebant.

Sed quid de inauguratione Sanctorum dicam? Satis illis consultum putant Cano, Caietanus, & alii, quos Amadæus traducit Theologi, asserta Pontificibus longè infra diuinam maiori prudentiâ, & æquitate, post exactam disquisitionem de sanctitate Diui, à miraculis aliisque testimoniis, quàm Iudicibus quibusque sapientissimis, ad pœnam damnantibus reum confessum & conuictum, qualem non negat Canus. Sed iis non contentus Amadæus vult excipi decretum quodcumque Pontificium, tanquam fide diuinâ certum; etiam cum testantur Pontifices rem sibi dubiam, nec periculum erroris & peccati se posse euitare, nisi delectu probabilioris & tutæ opinionis. Concedamus hoc Amadæo, quis indubitatum perinde decretum dicat, ac Verbi incarnationem, vt iustam

habeat causam, Canum qui negat, tradncendi, tanquam hæreticum? Huic censuræ subscripturum fore puto neminem.

Idem iudicium esto de institutione Ordinum Religiosorum, quam Canus prudentissime reuocat ad prudentiam, magis quàm ad clauem scientiæ: & ad quæstiones facti, magis quàm iuris pertinere, nullus negare potest, nisi ignarus sacrorum rituum. Quæ verò obiicit Caietano de Baptismo validè collato nomine Christi, præter quod ex Nicolai Pontificis decreto nescio quo, suam opinionem hausit, non puto accedere, quidquid ab illo peccatum fuerit, ad Campellanæ opinionem Cardinalis Delugo munitam suffragio, quâ paruulos ait, si desit aqua ad Baptismum, saluos fieri Sacramento legis naturalis, id est, benedictione aut precatione paternâ.

Quod pro Delugo respondebit Amadæus, ego reponam pro Caietano, & Syluestro. Si vera sint quæ ex illis refert (neque enim reperi quibus notat locis) dicam magis ad sensum pietatis prolata, quàm ad Scripturæ & Traditionis tenorem exactè constituta, magisque excusanda, quàm Campellanæ dictum, quod scripserint ante decreta Concilii Tridentini, quibus vis Sacramentorum cum solâ aquâ elementari, Ordinum sacerdotio inferiorum character & gratia, extra omnem controuersiam sanciuntur: sed de discipulis satis.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Vindiciæ Diui Thomæ.

SI Amadæo fides vlla sit, ipse D. Thomas non omnino certus figit pedem, sed in hoc lubrico titubat, & cadit, cum supplementum aliquod intentionis, ad validum Baptismum necessariæ, repetit à Deo summo sacerdote: sed aduersarii artem deteximus te verâ seuerissimè castigandam; nisi culpa maius supplicium esset quâlibet pœnâ à nobis deposcendâ: imo Deum precamur, vt quas commeruit, condonet. Cæterum sanctissimum Doctorem ab eâ calumniâ purgat accuratissimè Caietanus quæstione quam tractat ipse Amadæus 3. part. 64. art. 8. ad 2. argumentum, cuius vis in hoc posita erat, si necessaria sit

cumque eleemosynis quocumque tempore collatis, id debitum expediendi. Adde quo tempore erogatæ sunt eleemosynæ, suum fuisse effectum consecutas, antequam existeret ea restitutionis necessitas, nata ex neglectu horarum canonicarum: ergo nequeunt eam implere. Denique ratio solutionis aut compensationis supponit debitum contractum quod extinguat; huiusmodi verò eleemosynæ antecedunt onus & ius constitutione Pontificiâ, ex omissis horis canonicis impositum: ergo ineptæ sunt huic debito compensando.

Apertior est damnatio Propositionis 34. Authore Caramuele, quæ ita habet: *In die palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*; quia, inquit Caramuel, si quotidie Sacerdos citra vllam iustam causam officium Resurrectionis recitaret; peccaret tantùm venialiter: si verò ad id suppetat aliqua ratio, immunis erit etiam à peccato veniali: Præcepti enim vis sita tantùm est in septem horis canonicis persoluendis: quod verò officium celebretur de Feriâ, aut de Festo, id accidentarium reputatur: ac proinde saluâ præcepti substantiâ, leuis est immutatio quoad modum & ceremoniam, quæ non sufficiat ad graue peccatum. Vnus est Caramuel qui hanc opinionem propugnet: cui tamen accedit Syluester verb. **Hora**, quæstione 11. num. 15. vbi docet: *Si in fraudem dicatur officium breuius, secundum Archidiaconum, id non contingere citra graue peccatum*; quod tamen non reputat mortale: quia non est determinatum ex præcepto officium. Non longè videtur abesse ab hac Caietanus opinione, in summa, ver. *Hora*, §. 3. nec censet reum peccati mortalis, eum qui mutat horarum qualitatem, & de Feria recitandas, de Sanctis soluit. Hoc laxius videtur Dominico Soto de Iure & Iustitia lib. 10. quæst. 5. art. 5. *Licet*, inquit, *non prorsus contradicere ausim sententiæ Caietani; non tamen omnino culpa caret; nec tam laxa remittendæ sunt iure huiusmodi habenæ: imo debent antistites eiusmodi ausus cohibere.*

Caietani opinionem, si ad certos casus restringatur, non reputant Valentia & Lessius improbabilem; distinctionem Caramuelis confutat Nicolaus, quibusdam canonibus, qui non videntur ad rem pertinere, quia sanciunt publicum in choro psallendi potius quàm priuatim recitandi officii morem: Et certum est multo grauius eos

peccare

peccare qui receptam in Metropolitanis Ecclesiis Missas & Officii celebrandi consuetudinem mutant, quàm qui ab vsu priuato recedunt; vt hos à mortali peccato excuset. Bonartius, quatuor obseruanda monet; 1. si absit contemptus, deinde si rarò contingat; 3. si mutatio non sit notabilis: aliàs ob nimiam mutationem, damnaret peccati mortalis, eum qui per totum annum diebus Dominicis officium Paschale celebraret. Si verò mutatio fiat officii ferè æqualis, nec multum differentiat à tempore, (quod erat quarto loco obseruandum) non imputat peccato mortali, à quo tamen non excusaret illum, qui die natali Christi, Feriæ occurrentis officium recitaret; quia plurimum discedit à Festo cuius ratio habenda erat. Minus obnoxia peccato est, Missæ quàm officii immutatio, quia liberior est à præcepto, & cuiusque permittitur arbitrio: Id de Missis voluntariis intellige; si quæ verò præscriptæ sint aliquâ lege aut consuetudine; quod de officiis statutum est, tum locum habet: nec à mortali immunis esset, si quis natali die Christi publicè Missam Pentecostes decantaret, cum multiplici Alleluya; quod sub priuatione communionis Paschalis Concilium Toletanum quartum *cap.* 11. vetuit: *Tunc enim*, inquit, *opus est fletibus ac ieiuniis insistere, gaudium in tristitiam vertere, quo vsque veniat tempus Resurrectionis Christi: quando oportet Alleluya in lætitia cantare: hoc enim Ecclesiæ vniuersalis concessio in cunctis terrarum partibus roborauit.*

Quintâ & postremâ Propositione inter damnatas ordine 35. docet Caramuel *unico officio posse quem satisfacere pro die præsenti & præterito.* Vt si Feria secunda & tertia duobus Martyribus sacra sit authoritate publicâ, aut priuatâ, id est voto, & sub vesperum secundæ Feriæ, cui incumbit onus recitandi officii, legat Matutinas & Laudes, vtriusque diei satisfacere penso inde probat Caramuel; quod vnâ eâdemque actione implere possum duplex numero præceptum, eodem tempore coniunctum, vt verbi gratiâ Missam audiendi vno die, qui Dominicus sit, & sacer Diuo Petro; certum est incidere duo illa præcepta in eumdem diem, vnâque Missâ obseruari: Ergo poterit Clericus pensum horarium duorum dierum vnâ recitatione officii implere. Consecutionem probat quibusdam Thesibus Louanii 3. die Iunii 1642. publicè defensis, quæ

id asserebant, quod ipse propugnat: Hanc opinionem damnatam censurâ Pontificiâ improbant Sinichius in Saüle pag. 436. & Franciscus bonæ spei Carmelita, qui acutè argumentum Caramuelis soluit, hâc distinctione, eodem tempore, vnâque actione, satisfieri duobus præceptis, si non sint addicta diuerso tempori, ad rem faciendam determinatè & seorsim seruando, hoc est, vt fiant cum circumstantiâ vi præceptorum determinato tempori affixâ; siue præcepta illa sint specie diuersa, vt præceptum vnum de legendis horis ex motiuo Religionis, & alterum ex motiuo Iustitiæ, siue solo numero distinguantur, vt præceptum de audiendâ Missâ, Dominicâ die & Festo: de abstinentiâ à carnibus, Vigiliâ & sabbatho; secusest, si præcepta sunt diuerso tempori alligata, quale est onus persoluendi pensum horarium quod suo ita addicitur diei, vt in alium transferri nequeat; Et, si locum haberet argutia Caramuelis dimidiâ parte annui pensi, possent citra noxam & peccatum Clerici se liberare; nempe si non vno die, sed integrâ medietate anni vellent Laudes & Matutinas intermittere, legendo alternis diebus Matutinas & Laudes sub vesperum, hâc solertiâ; & captatâ opportunitate temporis velut medii inter duos dies vnâ recitatione officii duorum dierum pensum soluerent: quod alienum est à pietate & à sensu communi Fidelium, qui singulis diebus suum & integrum ascribunt officium. Et huic sententiæ consentit omnium vsus. Sed de hoc Tractatu satis: ad Sacramenta accedamus.

SECTIO SECVNDA.

Animaduersiones in varios de Sacramentis Tractatus.

DE Baptismo Sacramentorum primo agit Amadæus Tractatu vndecimo, & de Matrimonio postremo Sacramentorum Tractatu decimo quarto, quem ferè totum expendimus, exceptâ primâ propositione ad hunc locum remissâ, quod attingat Matrimonium qua Sa-

cramentum est. De hoc igitur, aliisque Sacramentis quæ partes sunt religionis, nobilissimæ disputaturi sumus, si prius Sacramentorum cum religione cognationem paucis explicuero.

Articulus Primus.

Communis notio Sacramentorum.

SAcramentorum cum religione necessitudinem nullus ignorat, nisi cui nunquam lecta & audita fuerit celebris Augustini sententia libro 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum visibili consortio colligentur*: sunt enim veluti cingulum, tessera, & signum militare, quo duces, suos milites donant & insigniunt, vt internoscantur: & ad hoc instituta tantum, quidam malè opinantur esse Sacramenta; quasi hâc vnâ ratione dicantur signa rei sacræ sanctificantis nos, quod à prophanis & Ethnicis nos segregando videantur sanctificare, id est, Deo mancipare, veræque religioni addicere: neque alia sanctificandi ratio, aut vis, inesse videbatur Sacramentis antiquæ legis, quibus tamen D. Thomas vnam & communem notionem cum nostris, hîc â nobis explicatam constituit. Sed qui ita sentiunt, & ad hoc tantum valere volunt Sacramenta nostra, malè consulunt dignitati Sacramentorum legis gratiæ; neque longe absunt ab hæresi Sacramentariorum, quibus paria faciunt nostris Sacramenta antiqua: nam externa illa & admodum ieiuna institutio, seu sanctificatio, non eximeret Baptismum & Eucharistiam à vacuis & egenis elementis, quò legis ceremonias deiicit Apostolus. Aliquid ergo altius & sanctius, de nostris Sacramentis est cogitandum: & communis Patrum ac Theologorum mens est, instituta esse, veluti causas morales, vel instrumenta physica gratiæ nos verè sanctificantis. Hinc meritò sunt accensenda præcipuis religionis partibus, & fundamentis Ecclesiæ.

Tria verò S. Doctor ponit, quibus totam astruit religionem, nempe mysteria quæ fide credimus, leges diuinas implendas ex charitate, vnde plenitudo legis ab Apo-

stolo definitur, & Sacramenta quæ spem roborant, collatione gratiæ, vnde Fides & Charitas profluunt veluti lux & calor ab igne, quibus mysteria credimus, legem obseruamus, & salutem æternam nobis comparamus. Multis hæ religionis partes conueniunt, nec differunt paucioribus, quæ non est prosequi huius disputationis. Certum est origine diuinas esse, nec potuisse poni aut institui, nisi Deo authore: & sicut ipse solus nouit mysteria diuinitatis, & reuelare potest, ac leges sancire, quæ nomen ac vim diuinarum habeant; ita Sacramenta seu sacrificia ad Deum pertinet instituere vt certa signa, causasque vnde gratia profluat, augeatur, & peccati abstergantur sordes: hinc recipiendis vel administrandis Sacramentis necessariæ dispositiones idoneæ, pro cuiusque dignitate ac fructu, quæ si nostrâ negligentiâ desint, incurrimus lethale peccatum. Nec minus grauiter peccant, qui ab institutione Christi recedunt, id est, materiam & formam aliam adhibent, quàm ferat vsus & traditio à Christo ad nos vsque deriuata.

Paragraphus Primus.

Defenditur sanctitas Sacramentorum contra primam Propositionem ex Tractatu de Matrimonio.

EA verò Authore Sa asseritur, *non esse peccatum, Sacramentum Matrimonij peccato mortali implicitum inire:* non audet Propositionem defendere Amadæus, sed duo tentat; primum excusat Sa ex mendo textus, vnde sublatum est τὸ *per procuratorem, Matrimonij Sacramentum accipere, non esse peccatum*: quod verum esset, si sententia Soti obtineret, Matrimonium medio procuratore initum non ligare, nec vim habere sacramenti, donec coniuges mutuo consensu coram ratum fecerint. Deinde in Durandum aliosque Theologos regerit Propositionem, ne excepto quidem D. Thoma, quod sententiam aduersam Durando, nempe Matrimonium esse verum Sacramentum conferens gratiam, probabiliorem dixerit.

Sed esto ita sit; hæc verba interpretanda sunt aduersatiuè, secundum regulas S. Doctoris, non comparatiuè ex

mente Probabilistarum; qui ex verbis comparatiuis inferunt vtramque sententiam tutam esse, & probabilem, probabilitate non impeditâ; quod alienum est à S. Doctore, qui nullam opinionem quamlibet probabilem, si falsa sit, & legi repugnans, docet diffidentibus Doctoribus excusare à peccato. Cæterum stante verâ ratione Sacramenti, & certâ Matrimonio, seu coràm, seu interiecto procuratore celebrato, certum est lethali peccato non carere, si celebretur ab homine sordido & saucio lethali peccato: idque videtur repeti ex duplici capite. Nam cum ex veriori sententiâ, non alii sint huius Sacramenti ministri, quàm ipsi coniuges, vltrò citroque sibi Sacramenti gratiam impertientes, si reatu peccati implicentur dum conferunt aut recipiunt Sacramentum, vtrinque etiam peccant, tum collatione, tum susceptione: idque certius est ex secundo capite, quia obicem ponunt Sacramento viuorum.

Magis dubium est, an collatione peccent: distingui solet duplex genus ministrorum, quidam sunt destinatò ad hoc consecrati, & gratiâ donati veluti stipendio, vt dignè fungantur munere, quales sunt Episcopi, Sacerdotes, rei sine dubio grauis peccati, si illotis, vt dicitur, manibus contrectent res sacras, & sibi conscij culpæ lethalis, conferant Sacramenta. Ab hoc onere eximunt quidam ministros secundi Ordinis, quos vocamus *necessitatis*, qui occasione potius, quàm ad hoc instituti baptizant paruulos, cum deest Sacerdos: huius Ordinis ministerio videntur fungi coniuges, dum sibi conferunt Sacramentum. Declarari potest hæc ministrorum differentia, eorum qui Regibus famulantur, exemplo. Nam si quis occasione datâ cum absunt ministri regii, inseruiat Principi, nihil peccat, si sordidior sit, quia nullo stipendio id obsequium præstat: verùm eos qui apparent primo gradu, & adsunt regi cum stipendio, oportet ornatiores esse, & si cultum negligant, loco mouentur, quasi in regiam majestatem injurij, abutantur stipendio constituto, vt Regi inseruiant decentiori formâ & statu. Ita de ministris Sacramentorum statuunt plures Theologi.

Quæ eâdem Propositione congerit Amadæus de ordinibus, excepto Sacerdotio, ne D. Thomam eiusque discipulos carpendi vlla occasio prætermittatur, refellam Ar-

iuris, seu naturæ, aquæ vino mixtæ etiam modico nihil perire à vino: in quam, ait Delugo, opinionem, pedibus, manibusque, ire Collegium Romanum, vt conuersionem aquæ infusæ Calici immediatam in sanguinem defendant?

Sed quis erit probabilitatum, id est, ineptiarum & errorum finis, & modus? Quidni etiam quod habet secunda Propositio, probabilis & tutus sit Baptismus sub conditione, cum saliuâ & sudore? Quem sine dubio defenderet Amadæus, quamuis damnatum à Gregorio in Decretalibus titulo 2. 42. de Bapt. cap. penultimo vbi statuitur: *Nullatenus dubitandum, eos verum non habere Baptismum, in quibus verbum & elementum, aut eorum alterum, est omissum; nec pro Christianis habendos, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, aliquorum simplicitas pro Baptismo saliuæ conspersione leniuit:* nihil, inquam, moraretur hoc decretum Amadæus, nisi opportunissimum iudicasset, ad impressionem in Dominicanos ferè omnes, nec excepto D. Thomâ faciendam, quâ nunquam atrocius grassatus est, quàm additionibus ad has tres Propositiones: Quare vt illius conatus frangamus, sit

Articvlvs Secvndvs.

Depelluntur infinitæ contumeliæ à D. Thomæ eiusque Discipulis.

Cvm primum huius Opusculi examen aggressus hærerem de Authore incertus, ad hunc vsque locum progresso, quæ occurrerent argumenta, & vestigia Theophili Rainaudi, adeò aperta mihi videbantur, vt penè inuitus cogerer credere, non potuisse ab aliâ quàm ab istius Authoris officinâ opus prodire; quia contumeliæ in Dominicanos per Theophili libellos de immunitate Cyriacorum, & de absolutione moribundi sparsæ, in hoc Tractatu nouis & grauioribus auctæ atque exaggeratæ legebantur; & licet suspicari tum possem, quod ita habere postmodum comperi, nempe ista quidem ex Theophilo deprompta, sed ab alio scripta fuisse; tamen

ex charitate, quæ peccata operit, & si in totum tolli nequeant, qua licet minuit, censebam in vnum hominem hos omnes libellos potius referendos esse quàm in plures diuidendos, ne numerum reorum & criminum augerem: interpretationem tum probabilem & benignam, extenuando in nostros odio, quasi in vnum tantum ex eodem instituto, non in plures cadere posset, ipsius Amadæi assumpto quod occultauerat proprio nomine suum agnoscentis opus confessio exclusit; sed à quocumque profectæ sint Dominicanorum huiusmodi insectationes ab omni specie veri & æquitate alienas esse paucis demonstro.

Paragraphus Primus.

Summa insectationum Amadæi.

Occasione decreti superioris, quo Pontifex damnat Baptismum, cum saliuâ & sudore, intempestiuè omnino irruit in Dominicanos: & primò Paludanum impetit longissimè positum, quæsitum opportune, importunè petit: an Baptismus ille post decretum Pontificium sit de fide nullus; & statim inducit Paludanum absque formidine negantem, iuxta id quod tradit in 4. dist. 24. quæst. 1. *Nullam Propositionem, notam per fidem infusam esse, cuius subiectum non sit Deus, quantumcumque prædicatum sit Deus.* Hæc autem Propositio: Baptisatus sputo non est Christianus, non habet pro subiecto Deum: quare addit ex Paludani principio, nullam conclusionem Fidei posse deduci; quod ex Suares ait Fidei apertè repugnare.

Euerso & confosso Paludano, Tabienam Dominicanum eodem telo impetit: ille *Verb. Excommunicatio*, statuit nihil ab Ecclesiâ falsum damnari, nisi dicat Hæreticum esse; quod in hoc decreto Pontificio desideratur.

Videntur omnes Dominicanos ad internecionem deposci; quare his duobus eodem telo peremptis, tertius adiungitur Canus, & læsæ Majestatis Pontificiæ reus peragitur, & quasi Hæreticus traducitur, quod Canonibus Pontificiis non afferat authoritatem Librorum Canonicorum, nec ab omni lapsu etiam contra prudentiam,

immunitatem Pontificibus, seu in confirmandis Religiosorum Ordinibus, seu in Sanctis Diuorum albo referendis: aduersus hæc tria Cani dicta perinde ac contra trifaucem Cerberum fulminat Censuris Turriani, Bannesii, Arriagæ.

A Cano inuehitur in Caietanum & plurimis erroribus grauat, potissimum quod probet Baptismum Christi nomine collatum, contra expressum decretum Zachariæ *in cap Synod.* dist. 4. de Conf. Can. 83. hâc de causâ illum pungit Spinæ verbis: nec illius tantum erroris accusat: plures addit Propositione primâ de Matrim. vbi notat contra sensum Ecclesiæ, secutum opinionem Durandi, nullum Ordinum esse Sacramentum præter Sacerdotium. Erroris de Baptismo socium dat Syluestrum, immo mirare, Lector, D. Thomam, illique instruit insidias ex 4. dist. 5. art. 2. vbi referens aliorum opiniones, sic præfatur: *Quidam dicunt, si desit intentio mentalis baptisanti puerum, piè creditur quod summus Sacerdos scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat*: At Amadæus, erasis primis verbis *quidam dicunt*, reliqua refert quasi dicta à D. Thoma ex propriâ mente, si desit intentio baptisantis, suppleri à Deo. Nec contentus impegisse in hunc errorem, adiungit alterum ad finem secundæ Propositionis de Baptismo Martyrii. Sed omnium atrocissimum habet Propositione primâ de Matrimonio, vbi D. Thomam in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 1. ait tollere Episcopatum à numero Ordinum & Sacramentorum, ac proinde omni gratiâ vacuum & expertem facere, & ex Petro à Soto depromit censuram hæreseos in Magistrum.

Cum ista primum scribenti & edenti adhuc insideret animo Theophilum, vnum istius libelli fuisse Authorem, addideram me fecisse synopsim accusationum Amadæi qui mihi erat Theophilus, vt agnosceret Lector fidem promissorum hac farragine contumeliarum absoluisse, cum vltimis de immunitate Cyriacorũ verbis ita scripsit, gustum nunc parcè exhibeo, cras in indice vniuersali ad singulos quosque Cyriacorum plenas cuppas huius nappæ propinabo; illum indicem audio in Hollandia typis datum, & propediem hîc expectari: cum ad manus meas peruenerit, si aliquem habeat nodum vindice dignum, & nouam colligationem accusationum in nostros, aliorum solutioni

adiungam. Interim ad verum Amadæum accedamus: nihil enim nostra interest, siue à seipso ista deprompserit, seu à Theophilo sit mutuatus: Prima & expedita responsio, ad plerasque harum obiectionum est, nos Dominicanis minimè asserere immunitatem à quocumque lapsu, & sicubi cæspitent, & à vero aberrent, non excusare, maximè cum à Magistri communis & tutissimi ducis vestigiis sponte recedunt, quod interdum contingit Caietano ad purpuram assumpto. Præterea dico illorum lapsus inuidiosè in maius augeri, & cum facile possent excusari, in prauum & ab eorum mente alienum sensum detorqueri. Postremò respondeo plures illorum scripsisse ante Concilij Florentini & Tridentini, ac Pontificum decreta, quibus quæstiones prius in medio relictas definiuere: quales sunt de de Matrimonio per Procuratorem inito, de Minoribus Ordinibus, aliæque id genus controuersiæ. Dico tandem plerasque harum accusationum; ac ferè omnes in caput Authoris recidere, & famæ ipsius nocere magis, quàm accusatorum innocentiæ.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Defensio Paludani, Armillæ, Caietani, & Cani.

HIs vniuersim præmissis, ne videar difficultatem vllam subterfugere, ad singula respondeo. Imprimis Paludanum scriptis, pietate, nobilitate familiæ, quæ etiamnum in Gallia floret, & Patriarchatu Hierosolymitano celeberrimum, immeritò carpit cum Suare Amadæus, nec aduertit illius assertionem nedum excusari posse sensu Catholico, sed omnino admittendam, si attendamus illum agere de Propositionibus Fide diuinâ credendis. Quis verò nesciat, eas hoc differre à propositionibus demonstratis, aut probabilibus; quod illis assentiendi vnica sit ratio Deus, eiusque reuelatio, omnium credendorum vnicum medium & argumentum? Ergo nihil temerè scripsit Paludanus verbis supra ex illo relatis: hoc enim tantum significare voluit, assertionis cuiusque Fidei vim totam esse à Deo testante, non ab argumentis hinc inde petitis.

Armillam seu Tabienam Paludano vinctum eiusdem accusationis vinculo purgare est facile, adhibitâ distinctione Scholæ ex Caietano, duo esse genera damnandi Propositionem hæreticam, nempe verbis expressis, quod Caietanus diceret *actu signato*: vel *actu exercito*, cum censuris, aliisque id genus loquendi formulis, quæ pondus & vim habeant sententiæ, propositionem damnantis hæreseos, qualis est illa Gregorii decernentis, immo & probantis, *non licere dubitare Baptismum cum saliuâ & sudore non facere Christianum.*

His duobus Dominicanis leuiter lacessitis, Canum sibi præ omnibus Dominicanis minus gratum grauat triplici errore iam supra memorato: sed miror ausum damnare quod Canonibus Pontificum de Moribus, de institutis Ordinum Religiosorum, & de Sanctis in Diuorum album relatis, non asserat parem cum Libris & Scriptoribus, Canonicis authoritatem, quæ illis vix astrui potest citra Fidei perniciem. Certè si quæ sit potestas concessa Ecclesiæ definiendi res Fidei, quàm Canus non solum censet maximam; sed etiam pro eâ pugnat multò validius quam Theophilus suo libro *Ipse dixit* inscripto; quis neget eam valere maximè, cum res definiendæ ex Fidei articulis deducuntur, necessariâ & euidenti consecutione, & immediate reuelatis sunt proximè junctæ.

Verùm Molina eas negat in quæst. 1. D. Thomæ vllo Conciliorum aut Pontificum decreto posse euehi ad ordinem articulorum Fidei: Ergo Molina vnâ assertione plus detrahit Pontificum authoritati, quam Cano tribus accusationum capitibus; nempe cum de moribus tractant, & nullo Dei verbo, neque argumentis inde necessariis, sed solâ ratione naturali probantur; cum de Ordinibus Religiosorum agunt, vbi magis prudentiâ opus sit quàm scientiâ aut Fide: cum viros opinione sanctitatis florentes Diuis accensent, vbi infinitæ facti quæstiones occurrunt ditimendæ iudicio potius, quàm ex Scripturâ & Traditione. Quid ergo peccauit Canus, cum his tribus capitibus ait non statui decreta Fide diuinâ credenda, aut opus esse Ecclesiæ & Pontificum sanctiones Scripturæ æquales, quasi aliàs tota pereat Majestas Sedis Apostolicæ?

At contra ego pronuntio, Amadæum qui id contra Canum contendit, Sedi Apostolicæ grauissimam noxam

inferre, & ab eius obsequio deterrere hæreticos omnes, & Catholicorum plurimos. At inquies, nisi Canones perinde ac Scripturam Canonicam recipiamus, perit illorum reuerentia: quasi verò his fundamentis nitatur authoritas Pontificia, quibus sublatis corruat. At nos verius & solidius propugnamus iura Pontificum, & Ecclesiæ, assertâ illis authoritate infallibili, cùm res definiunt ex Scripturâ & Traditione; nec propterea dicimus nutare illorum decreta, si desint aut taceant diuina eloquia: tum enim sibi ab omni lapsu & errore immunitatem parant, illo inconcusso decreto, quod toto hoc opere propugnamus, cum res dubiæ sunt, nec quidquam certum ex Scripturâ & Traditione statui potest, standum pro lege & pro parte tutiori, quam sibi ipsis assumpsere, aliisque, suis canonibus semper præscripsere sanctissimi Pontifices, perpetuo illo oraculo millies repetito, *in dubiis partem tutiorem eligendam esse.*

Hîc etiam mirari subit Amadæi consilium: è toto iure Ecclesiastico, nulla extat frequentius repetita, aut firmius sancita regula delectu tutioris partis: hanc verò mille telis impetunt Amadæus & Caramuel, deprauant detortis interpretationibus recentiores: & vbi ista sibi permiserint, alios criminantur, si totum ius canonicum loco Bibliorum non habeant. Quid hoc rei est? videntur mihi prætorianos Pilati milites imitari, qui genu Christo per ludibrium flexo impingebant alapas, & in faciem conspuebant.

Sed quid de inauguratione Sanctorum dicam? Satis illis consultum putant Cano, Caietanus, & alii, quos Amadæus traducit Theologi, assertâ Pontificibus longè infra diuinam maiori prudentiâ, & æquitate, post exactam disquisitionem de sanctitate Diui, à miraculis aliisque testimoniis, quàm Iudicibus quibusque sapientissimis, ad pœnam damnantibus reum confessum & conuictum, qualem non negat Canus. Sed iis non contentus Amadæus vult excipi decretum quodcumque Pontificium, tanquam fide diuinâ certum; etiam cum testantur Pontifices rem sibi dubiam, nec periculum erroris & peccati se posse euitare, nisi delectu probabilioris & tutæ opinionis. Concedamus hoc Amadæo, quis indubitatum perinde decretum dicat, ac Verbi incarnationem, vt iustam

habeat causam, Canum qui negat, traducendi, tanquam hæreticum? Huic censuræ subscripturum fore puto neminem.

Idem iudicium esto de institutione Ordinum Religiosorum, quam Canus prudentissime reuocat ad prudentiam, magis quàm ad clauem scientiæ: & ad quæstiones facti, magis quàm iuris pertinere, nullus negare potest, nisi ignarus sacrorum rituum. Quæ verò obiicit Caietano de Baptismo validè collato nomine Christi, præter quod ex Nicolai Pontificis decreto nescio quo, suam opinionem hausit, non puto accedere, quidquid ab illo peccatum fuerit, ad Campellanæ opinionem Cardinalis Delugo munitam suffragio, quâ paruulos ait, si desit aqua ad Baptismum, saluos fieri Sacramento legis naturalis, id est, benedictione aut precatione paternâ.

Quod pro Delugo respondebit Amadæus, ego reponam pro Caietano, & Syluestro. Si vera sint quæ ex illis refert (neque enim reperi quibus notat locis) dicam magis ad sensum pietatis prolata, quàm ad Scripturæ & Traditionis tenorem exactè constituta, magisque excusanda, quàm Campellanæ dictum, quod scripserint ante decreta Concilii Tridentini, quibus vis Sacramentorum cum solâ aquâ elementari, Ordinum sacerdotio inferiorum character & gratia, extra omnem controuersiam sanciuntur: sed de discipulis satis.

Paragraphvs Tertivs.

Vindiciæ Diui Thomæ.

SI Amadæo fides vlla sit, ipse D. Thomas non omnino certus figit pedem, sed in hoc lubrico titubat, & cadit, cum supplementum aliquod intentionis, ad validum Baptismum necessariæ, repetit à Deo summo sacerdote: sed aduersarii artem deteximus re verâ seuerissimè castigandam; nisi culpa maius supplicium esset quâlibet pœnâ à nobis deposcendâ: imo Deum precamur, vt quas commeruit, condonet. Cæterum sanctissimum Doctorem ab eâ calumniâ purgat accuratissimè Caietanus quæstione quam tractat ipse Amadæus 3. part. 64. art. 8. ad 2. argumentum, cuius vis in hoc posita erat, si necessaria sit

mentalis intentio ministri ad validum Baptismum, nos illius intentionis incertos, fore semper dubios, & anxios, an ritè simus baptisati.

Hanc dubitationem & vim argumenti inde petitam infringit S. Doctor intentione Ecclesiæ verbis ministri expressâ, quæ tantæ est efficaciæ, vt priuatum ministri errorem corrigat: nam si atheus, cui omnia nostra mysteria fabula sint, nomine Ecclesiæ conferat Baptismum eo animo, vtcumque res se habeat, valere tamen velit ex mente Ecclesiæ, certum est illius atheismum nihil obesse efficaciæ Sacramenti. Hanc verò ministri voluntatem consentaneam Fidei Ecclesiæ, omnino requiri ad Sacramentum, aliàs nullum futurum, expressè docet S. Thomas articulo vltimo eiusdem quæstionis, cum ait: *Si minister non intendat Sacramentum conferre, talem peruersitatem tollere veritatem Sacramenti.* Idem habet quæst 68. ad 7. & eodem sensu interpretanda sunt verba relata ex quarto sententiarum.

Quid facies huic interpolatori adeò atrocis plagii conuicto? Sed qui in Magistrum hanc corruptelam molitus est, putas-ne sincerius discipulos habiturum? Socrates lecto Heracliti nomine Scotini, id est, obscurissimi Philosophi libro, ita censuit, quæ ex illo intellexerat sibi mira videri; sed miranda magis credere quæ non caperet. Quid simile de Amadæo pronuntio, exploratas à me nostris Authoribus ab eo corruptelas illatas fidelissimas comperisse: sed longè deteriores putare, quas non licuit experiri.

Omitto eadem fraude, vitio verti D. Thomæ, quod vim martyrii ad remittenda peccata repetat cum Paulo à charitate, sine quâ nihil prodest, etiam si corpus tradiderimus vt ardeamus. Sed periculosa magis est postrema accusatio de Episcopatu, quasi velit D.Thomas nullam conferri gratiam consecratis Episcopis: sed mera est calumnia, Episcopatum vult esse apicem & gradum, quo Sacerdotij caracteris extensio fiat & augmentum, siue intensio gratiæ sanctificantis. Putat-ne sic explicatam sententiam Magistri damnati à discipulo sanctissimo Petro Soto? Sed quid non tentat aduersarius? malis artibus armat filios in parentes.

SECTIO TERTIA.

Animaduersiones in Tractatum duodecimum de Pœnitentia.

Accedimvs ad examen Tractatus omnium longissimi, qui præter viginti Propositiones, alias habet adiunctas tres supra viginti : has omnes commodiori methodo, ad quatuor capita reuoco. Expendam breuissimè quæ de absolutione moribundi repetit, secundo & tertio complectar, quæ ad onus, & ad sigillum pertinent, id est, ad peccata aperienda reo, & tacenda Confessario, vltimo capite attingam quæ ad postremam partem Sacramenti pertinent de satisfactione.

Articvlvs Primvs.

De Absolutione Moribundi.

A Duabus postremis propositionibus huius Tractatus aggredior ordine præpostero, sed necessariò mutato; quod Disputatione primâ difficultates de absolutione moribundi profligatæ sint, & pauca addenda supersint. Hoc primum moneo, nouum argumentum occurrere, quo opusculum istud tanquam genuinus partus, afferatur Authori Dissertationis de absolutione moribundi : quia hæ propositiones illi singulares sunt, & in Aquilar desiderantur, cum tamen reliquas omnes. & earum vindicias ab illo Authore Hispano mutuatus sit, vt iam pluribus obseruauimus.

Omissas aliquot hîc adiungam : Baptismum cum aquâ rosaceâ ex Bauni non improbabilem defendit propositione 19. cui addere poterat, necessitatis articulo licitum fore Baptismum cum aceto. Ægidii opinionem de Baptismo cum sudore & sputo, quod vt plurimum materiam dubiam vocat Ægidius, licitum vrgente necessitate, non inficiatur propositione 33. Matrimonium cum peccato, sine nouo peccato iniri ex propositione 32. excusat in

gratiam Sa, qui ita habet: *Quidam ignorantes Matrimonium contrahentes in peccato mortali, ab ignorantia excusantur à peccato mortali.* Quam verò Amadæus præfigit toti Opusculo, de licitâ inspirationum repulsâ, citra peccatum vel leue, propositione 34. immunitatem ab omni peccato concessam Clericis voluntariâ distractione & perpetuâ recitantibus, habet propositione 42. Monialibus onus ab Officio recitando semouet propositione 34. à quâ omnino abstinendum erat ipsi, & Amadæo, ne viderentur adulari Monialibus, & ab illis excutere onus Chori frequentandi, quod detrectant. Votum mortis alienæ permittit propositione 80. falsò aduocatis in patronos Caietano & aliis Thomistis.

Vt paucis absoluam, vix vllam habet propositionem Amadæus desideratam in Aquilar, aut ab illo non assumptam, præter duas hic expendendas, duobus principiis primâ Disputatione constitutis.

Paragraphvs Primvs.

Principia duo ad quæstionem ponuntur.

QVorum primum sit Sacramentum Pœnitentiæ cum Matrimonio hoc à reliquis differre, quod suscipientis actibus constet, vt parte essentiali, seu materiâ subiectâ absolutioni quasi formæ. Nam vt eleganter D. Thomas, eadem est Sacramentorum & remediorum artis medicæ ratio: nec immeritò, cum illa ad animi, ista ad corporis curandos morbos pertineant. Quare sicut remedia ad valetudinem corporis comparata, duplicis omnino generis sunt; quædam extra ægrum posita & aduentitia, vt pharmaca quæ propinantur, & pictacia quibus vulnera & partes morbidæ illiniuntur & obuoluuntur; alia sunt insita corpori, & ab ipsomet ægro prodeunt, vt exercitationes, diæta, & parcior victus: ita Sacramentorum plura vim totam habent rebus externis, oleo, aquæ, aliisque elementis inditâ vel infusâ virtute; quædam verò materiam à suscipiente depromunt, actusque internos, aut externos exigunt, non solum quasi præuios ad gratiam, sed veluti partes quibus conficiantur.

Ad

Ad hoc postremum genus reuocantur Pœnitentiæ & Matrimonij Sacramenta ; ac proinde sicut nullum est Matrimonium, cui mutuus animi consensus desit, aliquo singulari signo significatus ; ita Pœnitentia & absolutio Sacramentalis certissimè vana & cassa est, nisi verus pœnitentis dolor, veraque confessio, signo singulari expressa accesserit.

Hinc aliud deductum est Pœnitentiæ ab aliis Sacramentis discrimen, quod ad ista validè excipienda, nullo opus sit recipientis consensu, vt cum pueris ante rationis vsum confertur Baptismus, quibus cætera omnia Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, validè possent administrati. Adultis verò qui res suas arbitrio peragunt, ad illa Sacramenta recipienda, sufficit interpretatiuus in ea consensus, id est, nisi illos loquela & sensus deficeret, præsumptio est ex vitâ more Christiano peractâ, desideraturos esse & petituros Sacramenta ad salutem vtilia & necessaria.

Paragraphus Secundus.

Dirimitur quæstio, & de vtraque Propositione fertur iudicium.

AD Absolutionem verò peccatorum Sacramentalem, nullus est Theologorum, qui neget sicut ad Matrimonium præter interpretatiuam & præsumptam voluntatem requiri magis expressam, qualis est ista, confiterer si adesset Sacerdos : nec illa sufficit Coninch, nisi sit absoluta ; nec Suari, nisi directa ad claues Ecclesiæ ; nec Thomistis quibusdam, nisi præeat alicuius peccati confessio, vel interni doloris significatio : idque putant euinci, aut certe probabilissimum fieri, discrimine inter Pœnitentiam, aliaque Sacramenta, ex certâ institutione & Traditione Ecclesiæ comperto : vnde concludunt absolutionem nullam, aut ad summum dubiam esse, cui non solùm actus enumerati contritionis, & voluntatis confitendi, sed etiam illorum significatio defuerit, quæ haberi nequeat ex solâ vitâ Christiano more transactâ : quia hoc signum æquiuocum est, & commune, nihil de confessione cogitantibus, quod

proinde innuit interpretatiuam, id est, ex præsumptione futuram voluntatem confitendi, si eo statu rogato moribundo liceret respondere; non tamen expressam, aut aliquo signo doloris & voti confessionis significatam, & contestatam Sacerdoti ab adstantibus, qualem requirunt Vasques & Suarez propositione 19. ad validam absolutionem; nec omnino recedit Amadæus titulo propositionis 20. quâ exigunt moribundo votum confessionis significatum petitione Confessarii, adiunctâ modo Catholico vitâ exactâ, quæ signum sit aliquod contritionis.

Si nihil vellet aliud Amadæus, non negarem posse conferri absolutionem sub conditione, non vt certo aut probabilius validam; sed velut summe dubiam, & si liceat per tempus omnino repetendam. Neque aliud videbatur obtendere Theophilus Disputatione illâ de absolutione moribundi; immo damnabat Iacobum Baium, quod cuilibet Christiano, quem sensus defecissent, nullo voti confessionis aut doloris signo edito censeret, non posse sententiâ absolutionis per modum iudicij collatâ iuuari, quod nulla præcessisset causæ discussio; sed per modum suffragii adhibendam esse, inclusâ conditione tacitâ, vel expressâ, inquantum possum, & quatenus capax es. Hâc etiam opinione relatâ suspendit iudicium Disputatione citatâ Theophilus; sed modo exerte profert Amadæus: *Vnum ego: Confessarium teneri sub lethali, absolutionem sub conditione impendere moribundo: quoties licitè secundum aliorum opinionem potest:* Atqui contra Raynaudum, plures quos refert Amadæus, docent absoluendum moribundum, eodem modo quo baptisandum, & Extrema-Vnctione muniendum, eâ solâ præsumptâ voluntate à vitæ Christianæ tenore, nullâ aliâ contritionis, aut voti confessionis insinuatione: ita enim ex Amadæo docent suis Thesibus Theologi Societatis Viennenses, ita Diana, & alii: Ergo illis assentiar, & nisi paream, damnas me peccati mortalis.

At ego contra intercedo tuæ falsissimæ regulæ versatilis tuæ probabilitatis ad nutum cuiusque Doctoris, quâ contendo non solum me non adstringi, sed neque etiam mihi licere in quæstione propositâ discedere ab institutione certissimâ Traditione confirmatâ, Sacramenti Pœnitentiæ omnino nullius & vani, nisi præter interpretatiuam

voluntatem, adsit signum præsentis contestatæ petitione confessarij, aut doloris sensu, gemitu, vel verbis expressæ.

Atque his abundè responsum fit vtrique propositioni: duo tantum animaduerto. Primùm mirari me relatam S. Antonini opinionem in antiquo Sacerdotali Romano, desiderari in recenti: nec ab Amadæo librorum helluone quæsitum aut inuentum, aut certè non citatum: quod mihi omnino suspectum nullam fidem facit.

Sed multo grauius peccat testimonio D. Thomæ pessimâ fide ascito ex Opusculo 65. de Sacremento Vnctionis, vbi docet infirmum, *qui petitâ Vnctioue ante aduentum Sacerdotis sensum & vocem amisit, vrgendum esse*: quia eo casu debet etiam baptisari, & à peccatis absolui. Ex eodem Opusculo paragrapho de cautelâ in confessione habendâ ait, *infirmum ante aduentum Sacerdotis etiam mortuum habendum pro confesso, & post mortem absoluendum, Cui*, inquit, *Iesuita in hac parte non acquiescunt*: Hic Amadæus fidem absoluit dicti Sapientis: *Occasionem quærit qui vult recedere ab amico*, Prouerb. 19. Sui instituti legibus astringitur D. Thomæ doctrinæ: sed cum Amadæus totam hanc Disputationem deprompsit à Theophilo, non legerat eodem Authore librum, cum hâc inscriptione: Agger contra ictum fluuij, seu de regimine tyrannico tollendo & legitimo moderando, ratus sibi illâ constitutione de sequendo D. Thoma, iugum esse impositum, quod nec ipse, nec plures Patrum suorum ferre possunt, occasionem captat, non solum recedendi à D. Thoma, sed etiam totam Societatem semouendi, & ex falsis & adulterinis D. Thomæ operibus Non adeò peruersi, aut obtusi criterii in recensendis Authorum libris est, vt nisi animum impulisset nimius ardor carpendi D. Thomam, non posset facile agnoscere illud opusculum, nec stylum, nec eruditionem, grauitatem, aut modestiam S. Doctoris resipere. Nam vt omittam infinita argumenta, S. Doctori omnino insolens est, quodcumque conuitium aut verbum asperius dictum: quare obseruatum est, stultitiam nulli vnquam obiecisse hominum, sed semel sententiæ Dauid de Dinando (cui etiam voluit parcere) quâ materiam primam loco Dei constituit.

At duodus quos citat Amadæus paragraphis, Sacerdo-

tes, qui aliquid peccant in administrandis Sacramentis *stultos & fatuos* vocat Author illius Opusculi; quod à D. Thoma adeo alienum est, vt ne dicam Sacerdoti aliquid præter officium agenti, sed nec etiam Atheo stultitiæ notam voluerit inustam, contentus opinionem stultitiæ damnasse. Adde huius Opusculi Authorem perpetuum esse in citandis ad singulas lineas canonibus, & plures vno paragrapho apud ipsum extare, quàm apud D. Thomam, totis supra viginti Voluminibus: vt facile agnoscas opus esse alicuius Iuris Canonici, non Theologiæ Consulti. Cur igitur, inquies, insertum est operibus D. Thomæ? Sed ego reponam, cur operibus Augustini additæ sunt Homiliæ ridiculæ ad Fratres de Eremo? quasi non sit hoc commune malum celebrioribus Authoribus multa illorum nomine prorsus indigna in lucem prodire, vt sint vendibiliora.

Sed hæc condono homini quærenti occasiones, vt recedat à D. Thoma. Quis posset excusare apertam loci citati falsationem? Author ille Canonistam potius agens, quàm Theologum, ratus non minus sibi sine Canonibus, quàm Iuris-Consulto, turpe esse sine lege loqui; relatis ab Amadæo verbis, quibus post mortem ægrum pro confesso habendum & absoluendum à peccatis docuit, hæc addit verba: *Vt de Pœnitentia distinct. 1. multiplex vt de sent. excom. à nobis.* Quæ submouit Amadæus castiganda fraude, vt locum daret epiphonemati, *PP. Societatis D Thomæ in hac parte non acquiescunt*; & ne Lector agnosceret, illud opus alienum esse à D. Thoma, & verba relata de absolutione mortui, iuxta Canonum sensum interpretanda, de absolutione à censuris, non à peccatis: hanc verò crassissimam inscitiam & impietatem, non dubitauit Amadæus D. Thomæ imponere. Certè dum ista cogito tentata à graui Theologo sene, vt cum Gregorio loquar, *flere magis libet, quàm aliquid dicere.*

Articvlvs Secvndvs.

De Confessionis onere, seu de Peccatis & Peccatorum circumstantiis Confessario aperiendis.

HOc est secundum caput Tractatus de Pœnitentiâ, quò pertinent duodecim Propositiones Amadæi expendendæ, quas ferè omnes vnico argumento repetito ex institutione huius Sacramenti refello. Certum est quæcumque hominis Christiani peccata mortalia, post Baptismum admissa, solâ vi clauium, id est, absolutione Sacramentali, aut voto absolutionis remitti posse, ac proinde clauibus subiicienda, confessione: si liceat per tempus & mortem; aut ad minus absolutionis voto: vt proinde æque latè pateat confessionis onus, ac virtus clauium, & nihil omnino subtrahi possit silentio à clauibus, quod debeat remitti, & veniâ egeat.

Vnde cadunt ferè omnes Propositiones Amadæi, quibus eximit ab onere & pudore confessionis, peccata dubia, quæ tamen certum est, si vera sint, (vt contingere solet,) non posse remitti, nisi virtute clauium, quibus si subducantur, voluntario silentio, nunquam veniam consequentur.

Aliquis fortè causabitur, principium à nobis constitutum, de pari amplitudine confessionis cum vi clauium incertum esse, aut falsum. Sed in confesso oportet esse apud omnes Catholicos, & soli Hæretici negant, qui confessionis onus vocare solent *carnificinam Pontificiorum, & inuentum cusum in officina diaboli ad animarum perniciem, & in ludibrium Scripturæ.* Nos hæc conuitia nihil morati, demonstramus confessionis onus explicatum totâ suâ amplitudine ex verbis Christi ad Apostolos Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remituntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Non potuit apertioribus verbis Christus iudiciariam in Christianos omnes potestatem Apostolis conferre, quàm cum præmissâ & priùs infusa Spiritus sancti gratiâ, veluti quâdam consecratione, illos aptat ad tantum ministerium, quo gratiæ donis, veluti stipendio quodam, dignos se

præbeant huic muneri obeundo. Confert verò ius, non tantum dissoluendi, sed etiam retinendi peccata: nam sola condonatio peccatorum vi clauium, nisi adderetur facultas retinendi, voluntariam quidem & beneficam in nos potestatem constitueret, cui vtilissimum esset confessione peccata submittere certò condonanda, non tamen necessariam, seu quæ vim haberet iure exigendi confessionem, sed cuiuscumque arbitrio permitteretur hoc beneficio vti. Quare, vt optimè obseruat Suares, additâ potestate prout visum fuerit retinendi peccata; hinc imposita est lex aperiendi nostris Iudicibus quæcumque peccata, quorum nobis simus conscii: aliàs excidimus ab omni spe indulgentiæ peccatorum, quæ à clauium potestate nostro silentio subduxerimus.

Vim argumenti & rem totam placet illustrare luculento exemplo, Iudicis & Præfecti à Rege in Prouinciam missi, cum amplissimâ potestate dirimendi quascumque causas, seu iudicio capitis, seu rei ordinariæ. Certum est liberum esse hunc Iudicem adire, iis omnibus, qui ex illâ Prouinciâ contendunt, & lites eius arbitrio permittere; sed debere, nego: Quid enim vetat, quin priuatim, aut amicorum arbitrio, conueniant? Quia litteris regiis collata est quidem voluntaria se sponte adeuntium lites dirimendi, non tamen ita necessaria potestas, quin possint illo inconsulto lites suos subditi componere. Si verò præfectura regio diplomate, perinde ad retinendas, ac dirimendas causas instituta sit, certum est tum potestatem fore necessariam & cogentem, & quamlibet ab aliis tentatam sententiam aut concordiam, futuram præter ius, Iudici & Præfecto regio comparatam, ac subinde nullam: atqui Apostolis & Pastoribus Ecclesiæ, non solum voluntaria dissoluendi, sed etiam necessaria retinendi, & cogens ad subiicienda sibi confessione peccata, à Christo potestas est collata: Ergo frustra est & vana, quæcumque speratur, aut tentatur remissio peccatorum, nisi re ipsâ, cum licet, ingenuâ confessione, aut confessionis voto Iudices nostros adeamus, & omni ambage semotâ sigillatim peccata aperiamus, prout necesse est ad certum iudicium, nosse singulorum speciem, omnium numerum & circunstantias, quæ conferant ad grauitatem; vnde desumenda est iudicij æquitas.

Quamuis in hoc foro conscientiæ haberemus tantum rationem potestatis iudiciariæ, caderent quæcumque Amadæus 12. propositionibus docet de onere minuendo confessionis, de peccatis, aut peccatorum circumstantiis: sed cum præterea dati nobis sint Sacerdotes, non solum vt Iudices ad præterita peccata retinenda aut condonanda, sed etiam vt Medici, ad cauenda futura, & ad curandos morbos animi, certum est, necessariò aperienda esse peccata Confessariis, vt possint vtroque munere Iudicis & Medici ad nostram salutem defungi.

Paragraphvs Primvs.

De onere confitendi peccata dubia.

Atque hinc refellitur valide de peccatis dubiis duplex propositio; quarum prior apud Aquilar quarta, Authore Coninch, eximit ab onere confitendi dubia peccata, nisi saltem probabiliter constet, nos illis implicari: altera huius appendix apud Aquilar 17. Ex Delugo confessos peccatum vt dubium liberat ab onere confitendi, si sublato dubio, certum fiat & compertum. Falsò in horum opinionum patrocinium aduocati sunt, primum ab Henriques, & ex illo ab Aquilar, & ex vtroque ab Amadæo, Caietanus, D. Antoninus, & alii: Sed cuius suffragio stare poterit hæc opinio, quæ ipsimet Dianæ est improbabilis? Tomo decimo Tract 16. Resolutione 79. ait, *aduersari communi opinioni Doctorum, communi praxi totius Ecclesiæ*, & alibi, *probasse omnino esse reiiciendam.*

Atque vt paucis Scholæ nostræ sensum, remque ipsam per se satis intricatam, & arte Amadæi obscuriorem aperiam, notandum est triplicem esse veluti gradum mentis, de peccati conscientiâ, aut de quâcumque re dubiâ: Primum propriissimè, cum partibus, hinc inde argumentis probabilibus librata mens suspendit assensum, neque in alteram partem flectitur, immo forte nec potest, vt ex Aristot. dictum est Disp. 2. nisi pro rationum momentis, & si paria sint vtrinque, necesse est suspendi: atque hic est primus dubitantis animi, & quasi in æquilibrio positi status. Secundò credimus nos probabi-

lius peccati reos, & conscios esse. Tertiò denique verisimilius reputamus nos minimè peccasse: & si eò progrediatur vi rationum consensus, vt leuissimæ supersint suspiciones de peccato commisso, aut confesso (quem vnum Caramuel dubitantis animi gradum agnoscit) tum concedimus, quod contendit Amadæus, & ex Thomistis refert, nullum superesse, onus confitendi, si deueniatur ad postremum tertii gradus statum: secus verò si dubitario posita sit in primo & secundo statu, vel tertii status gradu, id est, si aliqua probabilitas vrgeat pro peccati conscientia: tum enim obtinet regula, in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Idem etiam censet Layman, in articulo mortis vult morituro incumbere onus confitendi peccata dubia: quidni etiam sano? Neque enim ab articulo mortis, sed ab institutione diuinâ petendæ sunt regulæ confessionis, nisi aliam dixeris sano, aliam ægro esse constitutam.

Nec placet conditio secundæ Propositioni ex Delugo apposita, vbi semel peccata vt dubia confessus quis fuerit, non adstringi ad ea iterum confitenda, vbi deposito dubio, certa accesserit persuasio peccati commissi. Nam lex, & dos præcipua confessionis ea est, vt sit quasi speculum conscientiæ pellucidum, & peccata oculis Sacerdotis subiiciantur, prout insunt conscientiæ ac memoriæ, atque iudicium Sacerdotis variare possunt: atqui longè alia est ratio conscientiæ, peccato dubio aut certo implicatæ; & hoc maximè refert ad iudicij pondus: nam peccatum dubium materia esse potest absolutionis necessaria, quandoquidem non potest remitti, si reipsâ insit animo, nisi absolutione & vi clauium; non tamen sufficit nisi certum euaserit: Ergo alia est peccati certi, alia dubii, ad hoc tribunal collati ratio; vt dubii confessio nequeat eximere ab onere confitendi, vbi certum euaserit. Atque vt rem absoluam, argumento communi, quo cæteras Amadæi Propositiones impugnauimus: id omnino aperiendum est Sacerdoti, quod nequit vllâ ratione remitti, nisi absolutione, aut illius voto; quod tum tantum sufficit, aut excusare potes, cum deest copia Sacerdotis, vel menti non occurrit, vt possit saltem tanquam dubium manifestari: Atqui ipsamet peccata dubia nequeunt remitti nisi vi clauium, nec votum sufficit; quandoquidem

ipſamet dubitatio peccatum ſuggerit memoriæ.

Vnde præcluditur argumentum Amadæi ex Concilio Tridentino Seſſione 14. cap. 5. vbi præcipitur vt neceſſaria confeſſio peccatorum, *quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter quis offendiſſe meminerit;* At qui dubitat, non meminit: ſed eſt hæc mera vitiligatio.

Atque huiuſmodi cauillis præcludendis obſeruandum eſt; non poſſe conſcientiâ aut memoriâ, res conuenientiori ordine digeri, quàm à Philoſophis præſcripto prædicamentorum claſſibus, vbi ſpecies & indiuidua pleno iure & primo loco reponuntur, obliquè & indirectè eò reuocantur partes ſpecierum, puncta linearum, res denique incompletæ integrarum appendices. Ita dubia peccata ſubduntur clauibus Eccleſiæ, earumque vim ſentiunt, quandoquidem aboleri nequeunt, niſi abſolutione ipſâ, aut eius voto; nec deeſt recordatio, cum ipſamet dubitatio probabilitati iuncta, ſatis vellicet memoriam, ne ab illâ ſibi Amadæus præſidium quærat. Sed nullam præterire patitur occaſionem laceſſendi Thomiſtas: vnde Authori Summæ Margarita Confeſſorum craſſum errorem impingit, quaſi docuerit, hominem alicuius tantum interni peccati reum, non poſſe adſtringi ad annuam confeſſionem præcepto Eccleſiæ. Si copiam libri haberemus, in promptu eſſet depulſio calumniæ; nec deeſt legitima interpretatio, depromenda ex dictis de præcepto ieiunii, & quolibet alio Eccleſiaſtico, vim non habere ligandi conſcientiam, ex ſolo iure Eccleſiaſtico, ſed vt adiungitur iuri naturali, aut diuino, cuius eſt deſignatio. Et ne repetam hîc neceſſaria, videndus eſt omnino locus iam inſinuatus.

Paragraphvs Secvndvs.

De onere confitendi circumſtantias aggrauantes.

Controuerſia de peccatis dubiis confectâ, grauior vrget de circumſtantiis aperiendis, huc remiſſa ex Tractatu de Matrimonio. Mirum eſt quantum inuidiæ creet Amadæus S. Doctori, quot & quantæ ſtrages animarum edantur, mentito illius nomine, dum omnes ferè circumſtantias peccatorũ decem propoſitionibus aſſeritur

nullo iure confitendas esse, hoc argumento: D. Thomas & antiqui ferè omnes Theologi, excepto Alensi, Antissiodorensi, aliisque paucis, docent quascumque circunstantias peccati, quæ speciem non mutent, neque è veniali faciant mortale, taceri posse à pœnitente. Hoc docet D. Thomas in 4. dist. 16. quæst. 3 art. 2. quæst. 5. sic enim habet: *Quidam dicunt omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccatò addunt, necessarium esse confiteri, si memoriæ occurrant: alij verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est.* Atqui, inquit Amadæus, ita se res habet, si Christianus cum Iudæa aut Mahometanâ peccet, vt Azorius docet propositione 4. neque enim circunstantia Iudaismi speciem mutat fornicationis. Atqui idem iudicium est de propositione 7. cum quis vnâ detractione plures lædit, aut vno ictu decem occidit homines: Ergo vnicum est peccatum physicè & moraliter, ac proinde non tenetur huiusmodi peccatorum reus, quot & quantis infamiam, aut mortem intulerit, aperire. Idem etiam iudicium est de propositione 18. quâ mille aureorum fur dicitur satisfacere præcepto confessionis, si tacitâ summâ quam subripuit, dicat se reatu teneri furti lethalis: quia quantumcumque nummorum subtrahatur, eadem est peccati species, nec ad aliud genus transit, ex magnitudine rei sublatæ. Eidem fundamento astruitur 8. Propositio, cum quis mulam, aut quodlibet aliud brutum subigit, satisfacit præcepto confessionis, si dicat se vno lethali peccato teneri libidinis præposteræ: neque enim bestialitas ad aliam speciem trahit. Eodem principio defenditur 9. Propositio, ex peccato libidinis præposteræ non esse confessione explicandum, an agens fuerit quis aut patiens: quia immutatâ specie, discrimen spectat ad circumstantias, quas negat D. Thomas confiteri oportere. Non alio nititur fundamento 10. Propositio, stuprum virginis sponte consentientis, etiam constitutæ sub patria potestate, malitiam tantum habere simplicis fornicationis, ac proinde circumstantiam virginitatis non esse explicandam, sicut nec pollutionis voluntariæ in Ecclesiâ, si fuerit occulta, locus est exprimendus, quia inde non asciscit notam sacrilegij, vt habet propositio 11. ex Vasques; multoque minus circumstantia loci explicanda

est confessione, tactuum impudicorum, quamlibet turpium in Ecclesiâ, vt Sanches, & Facundez docent propositione 12. Eodem argumento ducitur Turrianus, dum propositione 13. asserit eum qui rem habuit cum solutâ, satisfacere præcepto, si dicat grauis peccati cum solutâ contra castitatem, se reatu teneri. Idem omnium propositionum est fundamentum, circumstantias furto, aut libidini adiunctas, augere peccati grauitatem, non mutare speciem: ab huiusmodi verò circumstantiis, confessione aperiendis, eximit S. Doctor cum antiquis Theologis; & si Confessarius velit in has circumstantias inquirere, à pœnitente iure posse reiici his verbis, ista ad te non pertinent, satisfeci officio meo.

Adeò veritatis & salutis animarum studio flagrant Thomistæ, vt si hæc quæ ex D. Thoma infert Amadæus, certâ & necessariâ consecutione deducantur, malint suum magistrum deserere, quàm adeò periculosis propositionibus assentiri. Sed non eò angustiatum nos adigit Amadæus; neque vt ab huiusmodi difficultatibus eripiamur, confugiendum est ad Soti responsionem, D. Thomam iuniorem, cum interpretem Magistri Sententiarum ageret, hanc Disputationem vnâ tantùm quæstiunculâ perstrinxisse, aliâ sine dubio additurum, vel mutaturum sententiam, nisi mors immatura, cum ad tractationem de pœnitentia peruenerat, intercepisset opus, & manum à susceptâ scriptione summouisset. Sed longe expeditior videtur, meliusque D. Thomæ honori, & animarum saluti consulit, solutio Suaris Theologorum Societatis sapientissimi & eruditissimi. Ille disputatione 22. sect. 3. de Pœnitentiâ, fusissimè vt solet, controuersia de circumstantiis aggrauantibus, inter Theologos antiquos agitatâ numero 13. sententias discordes conciliat hoc temperamento, à quo longissimè recedit Amadæus: quamuis inquit, hæ duæ sententiæ, si vniuersim attendantur, sint discordes; parum tamen discrepare, cum deuenitur ad singulares casus. Quoties enim circumstantia variat iudicium morale, conueniunt omnes quamuis ex diuersis principiis, esse confitendam: sed quidam nempe Alensis, & alii ita sentiunt, quia notabiliter aggrauat & mutat iudicium, illi verò quia speciem moralem variat.

Paragraphus Tertius.

Expenduntur sigillatim Propositiones de circumstantiis aggrauantibus.

QVis enim neget, vt exactius singularum propositionum examen ineamus, scandalo esse maximo, quo nomen Dei blasphemetur in Gentibus, & traducatur Religio, cum Christiani accedunt ad domos meretricum Iudæarum, vel Mahometanarum, & ideo in Hispania hoc peccatum sibi seruant Episcopi remittendum, & leges ciuiles puniunt pœnâ à carnifice infligendâ: Ergo aperienda est pœnitenti hæc circumstantia, quod peccatum fornicationis adeò facit Religioni exitiale. Non desinit hâc propositione Amadæus Thomistas insectari, Ludouicum Lopes inducit, quasi dubium in hac controuersia, & inde ansam arripit accusandi Conradum de plagio, quod verbis ex Lopes, tacito Authore respondeat huic quæstioni non omnino certus. Maller sibi quidlibet perire quàm occasiones Thomistas sugillandi, cum vel leuissimas aucupetur.

Sed ouibus virga censoria leuiter percussis, pastorem impetit hoc argumento; horribilior est cum matre copula, quàm cum Iudæa; Atqui satisfacit præcepto qui congressus cum matre reus, accusat se vniuersim vnius peccati incestus; Quidni Christianus fornicarus cum Iudæa implebit præceptum confessionis, si agnoscat se reum peccati lethalis contra castitatem? secundam Propositionem qua vis, aut potius venenum argumenti continetur, ait doceri à D. Thoma 2. 2. quæst. 154. art. 9. vbi incestum nullo cognationis graduum discrimine, docet vnius esse speciei: Ergo copula cum matre est circumstantia peccati incestus intra eandem speciem, quam negat D. Thomas necessariò confitendam. Infelicitatem reputo, necessarium cum hoc homine certamen, quo non tam Scholæ nostræ, quàm Religionis Christianæ causam ago. D. Thomam nego docere eo Articulo quicquam eorum quæ illi affinguntur per summam calumniam. Probat eo Articulo incestus ab aliis luxuriæ peccatis discrimen,

ex triplici capite; quorum primum & præcipuum petit à reuerentiâ, quâ nos conuenit prosequi parentes, & illorum causâ cognatorum reliquos, tanti habitâ etiam inter Gentiles, vt ex Valerio lib. 2. cap de castitate prohibitum lege fuerit, eodem balneo Patrem cum Filio lauari, ne se nudos inspicerent: adeò cordi erat veneratio parentum, adeò illis turpitudo venereorum credebatur aduersari. Hinc concludit S. Doctor incestus cum parentibus, execrandam præ aliis libidinum speciebus turpitudinem; quæ à parentibus redundet in cognatos, quâdam similitudine & analogiâ. Ac proinde quis non videat ex mente D.Thomæ, plusquam specie morali differre copulam cum parentibus & cognatis, non solum specie, sed etiam plusquam genere, & tantum analogiâ conuenire; sicuti solent distare finis seipso bonus, & sui causâ quæsitus, à mediis quæ gratiâ finis eliguntur? Quis non miretur, cum par sit graduum incestus distantia, & ex iisdem causis à D. Thoma constituta, quæ rei per se bonæ aut malæ, à re accidentario & alienâ bonitate, aut malitiâ, odio vel amore dignâ; eodem tamen gradu ab Amadæo reponi?

Sed quis erit tandem calumniarum finis? Frustra id ab aduersario sperem. Superiorem nouâ cumulat ex falsissimo principio. Vbique obtrudit Opusculum 65. adulterinum D. Thomæ opus, vt supra demonstratum est, & inde nouum trahit argumentum: Eo loci, inquit, S. Thomas docet, si ex recordatione malorum præteritorum, quis delectationem magis percipiat, quàm dolorem, non putat expedire huiusmodi peccatorum species confiteri; nisi generatim sibi venisse in mentem vindictam, aut quodlibet aliud peccatum, quo se magis ad delectationem, quàm ad pœnitentiam senserit commoueri: Ergo, inquit ex D. Thoma, non est necesse species peccatorum confiteri, nec distinctè explicatâ illorum specie, aut circumstantiâ.

Parum est Amadæo, velle D. Thomam circumstantias peccatorum, non esse pœnitenti aperiendas, nisi etiam docentem inducat taceri debere species; quæ tamen exactius sint distinguendæ, quàm numerus. Nec aduertit Opusculum illud, quod ipsi promptuarij accusationum loco est, capitaliter aduersari principio apud D. Thomam

inconcusso, actus qualescumque ab eo quò tendunt obiecto, speciem sumere. Hinc Salmanticenses Disputatione 11. de peccatis, contra nouam & singularem opinionem Vasquez, docent delectationem motosam de rebus venereis, ad adulterij, incestus, aut cuiuslibet alterius peccati genus pertinere, quò res spectat, de quâ delectatio capitur: ac proinde confessione huiusmodi cogitationum & delectationum, obiectum explicandum omnino esse, an soluta, an nupta, aut monialis sit, quæ in mente versabatur: quia iuxta circumstantias obiecti seu fœminæ, diuersæ existunt malitiæ species huiusmodi cogitationum. Hæc discipuli D. Thomæ ex genuinis S. Doctoris operibus eruunt principia Ethicæ Christianæ; quæ Amadæus lacessit ex vno Opusculo adulterino.

Idem esto iudicium, multoque certius, de pluribus læsis vnâ detractione, aut occisis vno homicidio: quâ de re plura diximus contra Caramuelem. An verò hîc actus plures habeat malitias & numero distinctas ex Scoto, an vnicam, quæ plures æquet ex D. Thoma, ad apices Metaphysicæ hæc disputatio pertinet; sed nihil refert ad quæstionem moralem: quia siue Scoti, siue D. Thomæ sententia obtineat, conueniunt omnes, idem esse iuris, quoad praxim & confessionem, id est, sincerè aperienda esse Confessario, quæ vno actu odii optauimus, aut intulimus, vel vni diuersa, vel eadem pluribus damna & mala.

Neque aliud circa hanc Propositionem potest Amadæus extorquere à Thomistis, nisi aperto plagio falsatis: nam præter Acacium de Velasio, quem non licuit videre, Bannes quo citatur loco quæst. 62. art. 8. nihil eorum prorsus habet, quæ illi ascribit Amadæus. Conclusione 4. tria in illum Articulum instituit dubia. Primo nullam distinguit conclusionem; secundum sex conclusiones habet, tertium quatuor: sed nullibi lego illud: *Dicimus quarto, qui vno proposito expresso vel interpretatiuo retinet rem alienam, vnum tantum peccatum committere*: vt si vnico ictu quis multos homines occidat, vnicus actus est moralis æquiualens grauitate multis. Sed demus hæc verba esse Bannesij, sententiam nostram apertè confirmant, si ab vno actu, multiplex sequatur damnum, multos grauitate æquare, ac proinde explicanda esse Confessario hæc distinctè damna.

Eâdem audaciâ corrumpitur Serra; nam post verba ab Amadæo relata 2. 2. quæst. 76. art. 3. ad illam quæstionem, an qui pluribus hominibus mortem vno actu imprecatur, plura peccata, an vnum committat: Respondet: *mihi probabilius videtur, vnum solum numero esse peccatum, tam physicè quàm moraliter*: Sed noua interpolatione quæ sequuntur verba suppressit (nempe quia sentiebat illis suam causam iugulari) *quia tamen multis numero distinctis æquiualet, aperiendum est in confessione, quot homines maledixerit*: nam quamuis vna sit actiuè maledictio & iniuria, tamen quasi passiuè, tot sunt quot homines maledicti? Si perinde copiam Zanardi & Acacij haberem, sicut Serræ & Bannes, de simili plagio arguerem aduersarium Sed ad quid opus est librum consulere, cum ipsa verba ab illo ex Zanardo relata, quam vrget causam euertant? cum expertè dicat, in confessione *explicandas personas occisas & cognitas, ad hoc vt cognoscatur grauitas peccati in eâdem specie*.

Hanc igitur regulam de circumstantiis statuo, & iudicio Lectorum subiicio: tum pœnitenti explicandas esse, cum ita se habent, vt summæ v. grat. furto sublatæ partes etiamsi ab aliis seiungantur, singulæ peccatum lethale idoneæ sint, numero distinctum conficere. Atque ita de furto in antecessum dixerim, si sublata sit summa, in duas partes diuidenda, quarum maior verbi gratiâ nummus, ascendat ad lethalis peccati grauitatem, altera minor, Iulius verbi gratiâ, aut decem asses, nonnisi veniale constituant; hanc partem seu accessionem concedo posse citra mortalem culpam taceri, quia à parte maiori, quæ satis sit ad lethalem culpam seiuncta, nonnisi venialem efficiet. Atque ita de circumstantiis, intra eamdem speciem peccatum augentibus, interpretor sententiam D. Thomæ, cum ait non esse necessariò explicandas pœnitenti. Si verò pars vnius furti illa sit, verbi gratiâ decem nummorum, quæ sola & seorsim satis esset ad peccatum mortale, constantissimè pronuntio esse declarandam.

Si obiicias D. Thomam secùs sentire; hoc nego, & pernego: quia expresè agit de circumstantiis, quæ adiunctæ peccato, non sunt tantæ grauitatis, aut malitiæ, vt è veniali trahere possint ad mortale vnum, aut ad plura, quamuis vno actu omnia contineantur, quia mille aureorum furtum æquat sine dubio, damno & grauitate, mil-

nuta mille furta, quorum singulis vnus tantum nummus subriperetur.

Peruersa est omnino illa interpretatio, quæ lattonum fauet atrocitati: Et cum non eximat latrunculos ab onere confitendi decem furta,quorum quolibet vnum nummum subripuerint; quo iure vis exemptum latronem mille aureorum, à grauitate sui latrocinii insinuanda sacerdoti, & iis verbis tantum velis se accusare, quæ exigis ab vnius tantum nummi furto sublati conscio. Imo seuerior es in hominem, qui duplici furto distincto duos nummos sustulerit, quàm in latronem, qui ærarium expilarit, & centena millia talentorum vno latrocinio corrogarit; cum huic gratiam facis tacendi vim omnem sublatæ pecuniæ, & vno verbo significandi se lethale peccatum furti admisisse, quale est vnius nummi Nec finis hic est indulgentiarum in prædones: datur illis ius contendendi cum Confessario, si diligentius velit inquirere in furti grauitatem: nos verò damnamur peccati mortalis, si eam sententiam secutum nolimus absoluere, quasi contumacem; quamuis id præ se ferat, mihique in faciem ingerat, se satisfecisse officio, & saluti, si iisdem verbis multorum millium aureorum quibus vnius furtum significari solet, subiecerit in materiam Sacramenti.

Quid hoc rei est? Theologi strenuè latronum causam agunt, latrunculos insectantur. Reum vis esse damnationis æternæ eum qui duobus minutis furtis, totidem aureos subripuit,nisi distinctissimè duo furta numerauerit: raptorem verò & Prouinciarum prædonem absoluis, si vnius grauis peccati contra iustitiam, reum se pronunriarit. Quid dicam ad ista? Etiamsi taceam, rei atrocitas satis clamat, nos diuitum assentatores factos, eorum pudorem falsis opinionibus redimere: pauperum verò à quibus nil gratiæ speratur, exactores esse rigidissimos. Hæc satis de 7. Propositione, & in antecessum de 17. quæ furem mille aureorum, eximit ab onere summam confitendi; quia peccatum furti auget intra eandem speciem. Sed quo sensu explicanda sit mens D. Thomæ satis constat, ex regulâ à nobis constitutâ, quæ omnes Amadæi conatus infringit. Thomistas in sui erroris patrocinium aduocat, sed inuitos, & reluctantes, maximè Syluestrum, qui *Verb. Confessio.* num. 10. quæst. 9. licet cum D. Thoma neget,

cadem

eadem necessitate confessione aperiendam circumstantiam peccatum grauantem, quâ circumstantiam quæ speciem mutat; non tamen negat, ex aliis capitibus necessario pœnitenti eiusmodi circumstantiarum faciendam, & Sacerdoti ab illo exigendam esse confessionem, maximè tum cum nescire possit earum ignarus, quid facto sit opus, siue quid sibi sit agendum, quidue iniungendum pœnitenti.

Infinitæ occurrunt propemodùm difficultates de restitutione, quas nequit Confessarius expedire, si ex præscripto Amadæi, liceat pœnitenti tacere aut dissimulare, & in Confessarium insurgere, si diligentius in eius furta aut homicidia inquirat. Quid dicam conscientiæ forum, & pœnitentiæ tribunal, si fides sit Amadæo, aut vlla eius assertionum authoritas, in forum contentiosum, contumaciæ pœnitentis aduersus Confessarium tandem mutabitur.

Paragraphus Quartus.

Ex principiis constitutis octaua Propositio expenditur.

TÆdet me tot turpitudinum Propositione 8. huius Tractatus, quæ est apud Aquilar 84. hominem cum mulâ, aut quâlibet aliâ specie brutorum coeuntem, liberat â pudore hanc circunstantiam confitendi, nisi communi nomine Sodomiæ, quod ad illam speciem pertineat, nihilo diuersam, siue coeat cum bruto, siue cum homine, seu patientis, seu agentis loco; cum tamen ex verâ Theologiâ genus illud commune, iis circunstantiis ad varias trahatur species inæqualis turpitudinis. Quis enim neget, naturam humanam conspurcari magis, congressu cum bestiis, vnde oriri possit monstrum in probrum naturæ, flammis piacularibus absumendum, quod ferunt contigisse? & fortè Amadæus auertendæ huic cogitationi horrendæ; meminit sterilis animantis mulæ, aut maris infœcundi. Et post ista ex Caramuele & ex Amadæo, hic execrandus congressus satis Confessario aperietur, nomine pollutionis, vt habet rationem communem peccati,

contra naturam, quod vnum illis specie atoma est; vt quæcumque accessiones sint circumstantiæ, intra eandem speciem: vt tollat onus & pudorem, ea propriis nominibus confitendi.

Sed ne te, Lector Christiane, enecem fætore tot turpitudinum, id obseruari velim, quod ex Suare indicatum: Theologorum de circunstantiis aggrauantibus, dissidentes sententias. diuersis viis in vnam tandem coire. Qui contendunt confitendas esse, nihil curant peccatorum species morales distinguere, quia satis illis est inde mutari iudicium de peccato: qui verò confitendas negant, in omnes, saltem quæ seorsim sumptæ a toto patres integrantes, sufficiant ad mortale, mutationem speciei moralis inducunt; ac proinde verbis, aut quæstione Metaphysica discordes, quoad moralem Theologiam consentiunt,

Quid ad ista relati Theologi ab Amadæo? Mirâ arte, & incredibili laxitatum ac discordiarum studio, ex singulis Theologis, eligunt opinionem, vt sic loquar, speculatiuam, quâ dissident ab aliis: abhorrent verò ab iis, quibus in commune consentiunt. Mordicus defendunt contra Alensem, Richardum, &c. non esse confitendas circunstantias, quamlibet aggrauantes: illis verò libentissimè assentiuntur, cum negant, ex huiusmodi circumstantiis, aliud specie aut numero æquiualens moraliter peccatum existere. Ex D. Thoma vnum excerpunt, aliud improbant: assentiuntur, cum docet circumstantias aggrauantes taceri posse, nisi trahant veniale peccatum ad mortale, vel se ipsis seiunctæ ab aliis partibus, seu circumstantiis, sufficiant nouo mortali constituendo, extra has exceptiones non esse aperiendas Confessario: sed à D Thoma longissimè recedit, cum has circunstantias v.g. copulæ cum matre, aut cum bruto, ad diuersos specie morali actus trahit.

Videntur hi Theologi in grauem animarum noxam, ex his duabus sententiis interpolationem tentasse, qualem ex veteri & nouâ lege, molitus est Mahometus, vt Alcoranum in orbem inueheret. Video comparationem inuidiosam esse, & hoc fortè nomine minus probatum iri nonnullis, qui vellent modestius, & mitius transfigi Theologicas disceptationes. Hoc ego etiam vellem

maximè; sed vix patitur Collector: nam adeò atrociter, non solum in Dominicanos, sed etiam in omnia vitæ Christianæ officia grassatur, vt illi depellendo, quæ aliàs culpata & acerbior foret, fiat non modo iusta, sed etiam necessaria defensio.

Hanc ergo superiorum opinionum interpolationem ab illis initam, cum periculo animarum, tuis, Lector, oculis subiicio. Si quæras cum Theologis, an qui congressus est cum bruto, satisfaciat præcepto confessionis, cum se accusat peccati contra naturam, omissâ circumstantiâ copulæ cum bruto: negant omnes ad vnum, quia quod tacetur iudicium variat, de huiusmodi peccato ferendum. Si mutationis causam quæras: dicet S. Thomas hanc circumstantiam, genus peccati contra naturam, trahere ad speciem bestialitatis, seu monstrosæ libidinis: Altissiodorensis respondebit, esto hic congressus cum bestiâ, sit circumstantia peccati contra naturam, immanis tamen non desinit esse turpitudo intra eandem speciem; ac proinde ex propria sententia quidquid sit, aperiendam esse.

Quid ad ista Collector? omnia susdeque miscet: aliquo cum singulis conuenit; pluribus dissentit. Cum D. Thoma contra Alensem docet, ex præcepto confessionis circumstantias intra eandem speciem, non esse aperiendas: sed cum Altissiodorensi contendit contr D a Thomam, ex eius principiis congressum hominis cum bruto, accidentariam esse circumstantiam peccati contra naturam. Idem statuit de stupro, vitium ex virginitate corruptâ, accidere fornicationi, inuariatâ specie. Idem contendit de libidine præposterâ: vnam esse rationem atomam, siue quis agat, siue patiatur. Vnâ fideliâ plures dealbat, aut potius denigrat parietes: pollutionis voluntariæ & occultæ, in Ecclesia tentatæ, vel actuum quamlibet impudicorum in loco sacro; turpitudinem contra castitatis honestatem nec pugnare, nec trahi ad sacrilegium ex circumstantiâ loci.

Inde tandem assensus singulorum principiis, contra omnes concludit, nullam harum circumstantiarum esse pœnitenti aperiendam, nec congressus cum bruto, adiuncti peccato contra naturam], ita Propositione 8: nec locum agentis aut patientis, ita Propositione 9 nec stupri virginis sub iure patris, si consentiat, ita propositione 10.

nec loci, nec Ecclesiæ se in illa polluenti occultè, ita Propositione 11. nec in loco sancto, quamlibet impudicis tactibus se fœdanti: ita Propositione 12. nec solutam subigenti ex aliorum mente, quos refert Sa, àquibus dissentire vult videri propositione 13. alio ad implendum præceptū opus esse, quàm accusatione grauis peccati contra castitatem cum solutâ, quia videt taceri speciem peccati, ex Concilio Tridentino omnino aperiendam. Atque ita paucis deteximus technas & artes, quia non solum probabilia fieri vult, quæ ipse probat, sed etiam quæ videtur damnare: & aliorum tamen authoritate & rationibus accurate munit. Nec satis illi est, asciscere patrocinia eorum, qui ita sentiunt, sed etiam passim Thomistas omnino inuitos aduocat.

His artibus & fraudibus, propositione 8. suos purgat, iure vel iniuriâ, vt inuidiam regerat in Thomistas, quasi reum bestialitatis liberent ab illâ circumstantiâ manifestandâ. Hæc verò propositio est apud Aquilar 89. Contradum è nostris supra mordebat, quod aliquot verba mutuatus esset ex Ludouico Lopes, cum tamen ipse ferè omnia assumat ex Aquilar: hîc tamen bona eius fides laudanda est; nam cum Aquilar falsò aduocasset Caietanum in patronum huius turpitudinis, agnoscit immunem esse ab hâc grauissimâ accusatione: quia non permittit tacere congressum cum bruto, sed tantum cuius speciei sit, illud cum quo hoc piaculum admissum est. Non est etiam aliâ laude fraudandus, quod Caramuelis singularem & audacissimam opinionem damnet, & similem Verіcilli, quâ reis huiusmodi turpitudinum, satis idoneam confessionem asserunt, si dicant se procurauisse pollutionem: mulieribus verò quod careant vero semine, se inhonestè tetigisse.

Miror aduocari in patronum 9. Propositionis Nicolaum Richardum sacri Palatij Magistrum, cum nihil scriptum reliquerit de Theologia morali. Propositionem 10. quæ virginis stupratori gratiam facit, hanc circumstantiam tacendi, quasi aggrauantem tantum: falsò confirmat suffragio Soti & Bannes. Nam primus ita modestissimè scribit in 4. distinct. 18. sect. 2. art. 4. non ita certum esse, mutare speciem stuprum simplex, si fiat sine vi, quia puella vltro consentit, immo rogat iuuenem.

Bannes verò assentit Caietano, Armillæ, aliisque Thomistis, qui virgini saltem si sub patris cura sit, negant liberum vsum illæsâ iustitiâ sui corporis extra Matrimonium: ac proinde non minus peccaturam, quàm si corporis partem sibi abscindat.

Quoad 11. Propositionem & 12. quæ sacrilegio absoluit eos, qui se occultè polluunt, & turpibus tactibus fœdant, male omnino in illius patronos, aduocat Caietanum ex Aquilar Propositione 90. & Sotum Propositione 91. Nam præter quod Caietanus falsò citatur ab Aquilar Tom. 1. Tract. 17. Resp. 12. quia nihil tale habet eo Tractatu, sed 31. Resp. 12. dub. 2. dicit huiusmodi actus peccati. directè aduersari sanctitati loci, saltem secundum legem naturalem. Sotus verò in 4. Distinct. 33. quæst. 2. art. 3. & post illum Lopes, ita habet conclusione 3. agens de coniugatis, in loco sacro, siue exigere, siue reddere, vtrumque ex genere suo peccatum mortale est: quia per turpem effusionem spontaneamque seminis violatur locus, fit celebrandis sacris ineptus, quoadusque reconcilietur: quapropter eiusmodi effusio sacrilegium est, siue clam, siue publicè fiat, dummodò sit voluntaria. Et quamuis concubitum conjugalem Basilius de Leon, & alii, excusent à graui peccato, cum fit in loco sacro; maximè si ad tempus ibi degant vir & vxor, mala est consecutio, quam vrget Amidæus, à coniugatorum occulto, ad publicum; vel ad solutorum quemcumque in loco sacro congressum. Quis enim neget sacrilegium illicito, magis quàm conjugali congressui adhærescere?

Paragraphus Quintus.

Sex de Confessione Propositiones Censurâ Pontificiâ notatæ.

Ex quadraginta quinque Propositionibus Moralibus ab Alexandro VII. damnatis, ad Superiores pertinent ordine 11. 14. 24. & 25. eodem etiam spectant 18. & 39. præter quod ex nostris principiis aperta & necessaria est omnium deductio, & Censuræ Pontificiæ confirmatio; duas medias supra expediuimus. 24. *quæ mollitiem, bestia-*

litatem, sodomiam, &c. eiusdem, speciei infimæ constituit esse peccata; quibus confitendis sufficiat se accusare procuratæ pollutionis: 25. qui cum soluta peccati fornicationis se reum fecit, satisfaccre præcepto confessionis; si dicat se cum solutâ graue peccatum contra castitatem commisisse, non explicatâ copulâ. Nihil occurrit addendum superius dictis de vtraque propositione.

Duæ postremæ pertinent *ad mandatum Concilio Tridentino factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quàm primum*, quod propositione 38. *asserebatur consilium esse non præceptum*, & propositione insequenti illa particula *quàmprimum, sic intelligenda asserebatur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*, quasi non vrgeat vi huius mandati confessio Sacramentalis, nisi cum commodum erit Sacerdoti. Sed hanc interpretationem non patiuntur Concilij verba, quæ cap. 7. de Sancta Eucharistia ita habent: *Communicare volenti, reuocandum est in memoriam Apostoli præceptum, probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis; quamuis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus perpetuò seruandũ esse decreuit, modo non desit illis copia Confessoris: quod si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quàm primum confiteatur* Licet Barbosa in collectaneis, referat ex Petro Ledesma & Villalob prioribus mandati verbis consilium insinuari; cæteri tamen Theologi verius censent induci præceptum: quod satis denotat illa verborum formula *confiteatur, soluat*, similis Decalogi verbis? *Honora patrem tuum, &c.* Et si interdum explicentur ad modum consilii, id non ex vi verborum, sed ex circumstantiis sumendum est: Sicut cum dixit Christus adolescenti *vade, & vende omnia.* Et si aliqua dubitatio supersit, cui dissoluendæ non sufficiant circunstantiæ, verba secundum propriam significationem interpretanda sunt; ex illâ regulâ iuris: *à propria verborum significatione non aliter recedatur quàm si manifestè constet, ita sensisse proferentem*: Atque hinc refellitur 39. Propositio, quia propria significatio illius vocis *quàm primum*, omnem moram & dilationem tolli

ex sensu Grammaticorum, ad quem verba Concilii sic explicare necesse est, vt confitendum sit, quàm primum occurrerit opportunitas & Confessarii copia. Quia mens Synodi erat consulere Sacerdotum puritati, & cauere, ne si rursus subita & inopinata aliqua Sacrum celebrandi necessitas instaret, occasio daretur iterum celebrandi prætermissâ confessione Sacramentali. Ab hac interpretatione quàm Censura Pontificia confirmat, notat Nicolaus *Dubois* recessisse Molfesium, Binsfeldium, & Thomam Hurtado, qui licet securius reputent statim peracto Sacro confiteri datâ Confessarij copiâ, id tamen consilij esse censent, & satisfieri præcepto, si confessio fiat ante aliud Sacrum celebrandum.

Duas priores Propositiones in postremum locum distuli, quod illas nondum attigerim, licet ex nostris principiis facile dirimantur; Itaque Propositio 11. sic habet: *peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Meritò damnata est, quia apertè aduersatur oneri confessionis supra constituto, quod sess. 14. cap. 5. Concil. Trid. his verbis confirmat: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ semper intellexit Ecclesia, institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis necessariam existere; quia Dominus I. C. è terris ascensurus in Cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint; quo pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* Hanc Concilii explanationem confirmant, quæ toto articulo diximus de onere confessionis. Verum in Censuram Pontificiam non incurrunt Victoria, & Nauarra, qui docent, si quis annuâ Confessione citra culpam prætermiserit aliquod peccatum mortale, satisfecisse præcepto Ecclesiastico, de annuâ confessione: nec intra eundem annum teneri denuò, vbi eorum peccatorum recordatus fuerit, illa confiteri, & posse tuto in sequentem annum differre.

Propositione 14. asserebatur *eum qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacere præcepto Ecclesiæ*, quam ex Antiquis refert Nicolaus *Dubois* secutum fuisse Paludanum, Syluestrum, Victoriam, Abulensem, Gabrielem

quod Ecclesia non imperet actus internos, & præcepto eius satisfiat actibus externis: sed illud fundamentum supra conuulsum est exemplo horarum Canonicarum, quarum penso non satisfit, nisi adsit interna attentio, citra quam illa precatio in peccatum imputatetur: multo autem intimius iungi necesse est, actus internos contritionis ad validam confessionem sacramentalem: quare cum iniungitur ab Ecclesia, censendum est nolle satisfieri eius præcepto, nec posse confessione nullâ & sacrilegâ: & huius sententiæ sunt omnes recentiores: à qua non puto recedere relatos Thomistas, sed posse ad verum sensum trahi: cum nulla apparet fuisse confessio, quam non est secuta emendatio, videri illâ satisfactum fuisse præcepto de annua confessione, & posse in alium annum differri citra lethalem culpam.

Articvlvs Tertivs.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum Confessionis quâcumque de causâ inuiolabile, ex communi Theologorum sententiâ, & perpetuâ Ecclesiæ Traditione sancitum puto, lege non solum naturali secreti, (quam aliquando relaxari nihil vetat) sed etiam lege diuinâ, nullius dispensationis patiente, quâcumque potestate creatâ, aut quâlibet de causâ; vt esset veluti quoddam leuamen oneris Christiano impositi; sua peccata confessione subiiciendi clauibus Ecclesiæ & potestati iudiciariæ Sacerdotum, quibus iam demonstratum est, quæcumque à Christiano post Baptismum peccata lethalia admittuntur, sic concessam potestatem remittendi, vt nonnisi illorum ministerio, re aut voto admoto condonari queant.

Ex hoc principio constituto §. 1. deduximus omnia omnino peccata, iudicio Sacerdotis esse subiicienda, nullo excepto mortalium; ac proinde paris amplitudinis esse onus impositum pœnitenti, sua peccata confitendi, cum potestate clauium, seu absolutione à Sacerdote impertiendâ, aut voto expetendâ. Atque hinc consequitur ius sigilli, quo fides silentij à Sacerdote exigitur, eorum omnium, quæ confessione excepit, si ad confessionem pertineant. Atque ita huius Sacramenti institutio, tria summâ

necessitudine coniuncta habet: nempe potestatem Sacerdotis ad remittenda aut retinenda peccata quæcumque, ac onus pœnitentis ad ea aperienda, & sigillum inuiolabile, in gratiam pœnitentis sancitum, quod solâ illius voluntate aperiri possit.

Atque vt à postremis ad prima redeamus, vnde hæc cognatio processit: si quando liceret Sacerdoti peccatum confessum & remissum, quâcumque ratione aperire, vnde pœnitenti aliquod incommodum accideret, sine dubio eximeretur ab onere id confitendi, & potestas remittendi auferretur Sacerdoti: ac subinde totum pœnitentiæ Sacramentum, ad salutem generis humani institutum omnino periret, & sublatâ vltimâ parte, nempe fide sigilli, reliquæ dissilirent & conciderent.

Nec satis videtur Amadæus, harum partium necessitudinem, paremque amplitudinem attendere, propositione 15. & 18. cum in dubium reuocat & Theologorum suffragiis expendit, an Prælatus ex confessione Sacramentali, hauſtâ cognitione peccatorum subditi, possit eum amonere ab officio ad nutum mutabili, vel ex eâdem notitiâ, negare suffragium in electione gratuitâ ad officium, cui imparem ex confessione cognouit. Licet enim non negem, hoc forte ex solo iure naturali, non esse omnino prohibitum, vt videtur innuere D. Thom. Quodlibeto 5. Art. 13. tamen vix excusari potest, post decretum Clementis VIII. 1594. editum, qui prohibet Superioribus, ne ad regimen, vtantur cognitione ex confessionibus desumptâ: idque ad minus intelligendum est; si hoc vel minimum sit pœnitenti incommodum, & habeat vim occultæ reprehensionis culparum, quæ confessione aperuit: aliàs videretur habere iustam causam tacendi peccata, ex quorum confessione, timere posset repulsam ab officiis.

Iis duabus Propositionibus, non omnino recedit Amadæus, à communi sententia Theologorum, eas verò, & præcipua, quæ ad illorum interpretationem faciunt, desumpsit ex Aquilar Propositione 119. & 120. Non video autem, quâ ratione euitari possit, tacita objurgatio pœnitentis, cum se à Confessario sentiet, moueri loco & officio, quod occupabat, vel ab eo excludi, quod ambibat. Quamuis nulla inde suspicio ingeri possit aliis; vix tamen potest non subire in mentem pœnitentis: & eâ de causâ onus

confessionis fieri graue & odiosum. Omnes cautelas adhibet D. Thomas loco citato: sed accuratior est illa Clementis VIII. cuius decreto possit conciliari antiquorum Theologorum sententia: si dicamus nunquam ex solâ cognitione confessione comparatâ, posse à Confessario amoueri, nisi occurrant animo defectus, aliunde quàm à confessione noti: quia tum amotio aut exclusio pœnitentis ab officiis, nequidem tacitæ reptehensionis speciem habet.

Propositionem huius Tractatus primam, quâ permittitur Confessario, interrogare pœnitentem de complice, correctionis gratiâ, & obtentâ licentiâ illum adire, & corrigere, habet Aquilar Propositione 44. nec omnino conuenimus cum vtroque, quo sensu sit interpretanda, vel tradita fuerit à recentioribus, & à Thomistis. Amadæus vult omnino conuenire, idque probat multis antiquorum Thomistarum testimoniis: hoc tamen ad minus differimus, quòd Delugo aliquem necessitatis articulum admittat, quo possit Confessarius cogere pœnitentem, ad manifestandum sibi complicis nomen, & meritò absolutionem negare, quod ex illâ contumaciâ non iudicet absolutione dignum. Sed nullus Thomistarum hoc concessurus est, quia volunt rem nullâ vi, solo pœnitentis arbitrio peragi, in reuerentiam sigilli: & malè citatur Soto; ille enim in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. docet, quamuis proprius Sacerdos, strictè vinculo seruandi sigillum adstringatur pœnitenti; nihilominus si alia persona confessioni misceatur, aliquid illius obligationis participat: nec potest adiri à Confessario aut corrigi, nisi obtentâ ad hoc licentiâ à pœnitente.

Articvlvs Qvartvs.

De Satisfactione, vltima Sacramenti Pœnitentiæ Parte.

NOn est passus vllam huius Sacramenti partem intactam prætererire Collector; & absolutione, confessionis onere, & sigillo lacessitis, satisfactioni malè omnino consulit Propositione 5. apud Aquilar 17. quâ vterque docet,

pœnitentem implere satisfactionem iniunctam ieiunii, si re verâ ieiunet, animo deliberato non implendi pœnitentiam: quod alienissimum est à documentis SS. PP. qui à pœnitente animum promptissimum exigunt, ad implenda, quæ præcipiuntur opera, quibus culpas suas redimat: At ex nupera Theologorum disciplina, satisfacit oneri sibi imposito, etiamsi illud ferat, repugnante stomacho.

Inauditum planè apud Antiquos Pœnitentiæ genus: quo non peccata præterita eluantur, sed noua crescant, & cumulentur. Nec culpam eleuat exemplum, quo hæc propositio munitur, illius qui creditur ex communi Theologorum opinione, satisfacere præcepto de audiendo Sacro, vel recitando officio, cum re ipsâ Sacro adest, & pensum horarium soluit, animo auerso ab ipso præcepto implendo. Quamuis enim non excusem à peccato, qui ita comparati sunt, aduersus præcepta Ecclesiæ positiua, dum ea actu obseruant, & dum ieiunant, aut preces recitant; tamen dici possunt satisfacere præcepto: quia illius implendi non deest voluntas, ad minus ea, quam supra diximus, ad Sacramentum validè conferendum ministro necessariam; & qualis adest nauclero, dum metu naufragij iactu mercis nauem exonerat: sed si desit omnino huius generis quæcumque voluntas, nego tum impleri præceptum quodcumque positiuum, licet concedam ad actus internos non pertinere. Sed alia est omnino ratio, & vis longè maior præcepti Sacerdotis opera satisfactionis iniungentis: Ea enim prodeunt à potestate concessâ, ad peccata remittenda, & retinenda; & cum eo ministerio Sacerdos loco Dei sit, certum est perinde actus internos, ac externos, posse ac velle ad expiationem peccatorum præscribere: quare si desit voluntas satisfaciendi, quidquid sit de aliis præceptis, nego ex istis consecutionem valere ad pœnitentiæ & conscientiæ forum.

Ad priorem huius Articuli propositionem de satisfactione Sacramentali reuocanda est ex damnatis ab Alexandro VII. ordine 15. quæ ita habet: *Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* Illam ex antiquis secuti sunt Antissiodorensis, Paludanus, Antoninus, Syluester, qui ex Paludano id ait fieri posse, cum quis vult, pœnitentiâ iniunctâ, rebus Deo

gratioribus, & efficacioribus ad expianda peccata vacare, & tum poterit impositam sibi satisfactionem aliorum opera implere, quod non eo sensu ab illis assertum puto, quasi paris sit virtutis, seu à pœnitente, seu ab alio obeatur; quia apertum est cum alienâ operâ perficitur, non esse Sacramentalem: ac proinde carere vi satisfaciendi ex opere operato eximia Sacramentis, aut eorum partibus, qua polleret, si ab ipsomet pœnitente impleretur: sed cum aliunde compensari possit illa satisfactio commutatione actionis sanctioris, Deoque magis gratæ, aliqua etiam pars redundat in pœnitentem ex satisfactione ab altero obitâ. Hinc manifestum est parum, aut nihil deperire eâ commutatione pœnitenti: quandoquidem satisfactionum commercio quod Fideles inter celebratur, cum vsura interdum resarciatur: hinc fit immeritò Nicolaum velle censuram Pontificiam aduersam esse D. Thomæ; cum Articulum postremum de hac dissertatione concludit, *non obstantibus in contrarium apparentibus verbis D. Thomæ qui scripsit ante Florentinum & Tridentinum Concilium:* quasi ea Concilia aliquid definiuerint, quod vergeret in damnationem doctrinæ D. Thomæ: vel ipse dissentiret à confirmatâ decretis duorum Conciliorum sententiâ: aliam esse satisfactionis Sacramentalis, aliam ex priuatis cuiusque afflictationibus piis comparatæ rationem; quod isti nihil rependatur vltra condignum: illi (sicut loquitur Schola) ex opere operato aliquid vltra propriam vim refundatur: vnde extitit definitio Conciliorum & Pontificum, cuius fundamentum cum validè muniuerit D. Thomas; non video quid aduersi possit ex Conciliis in illum asciscere Nicolaus, vt suspicer illum ista scripsisse, non solum Patres Societatis, quod præ se fert purgandi, sed alios etiam quoscumque carpendi consilio, vt nec etiam D. Thomæ parcendum velit.

Ex hoc Tractatu supersunt paucis expendendæ 16. quâ ex Hurtado conceditur potestas, in Confessarium eligendi Sacerdotem simplicem, non approbatum ab Ordinario, cuilibet beneficium habenti, cui adiuncta sit animarum cura: hæc verò est Aquilar Propositio 35. qui addit, hoc etiam licere post Tridentinum Concilium: & 18. quâ eximitur ab omni restitutionis onere Confessarius, qui ex ignorantia vincibili, pœnitenti non in-

iunxerit restitutionem bonorum, quæ iniustè possedit.

Atque vt ab hac vltimâ incipiam: incredibilis esset temeritatis & audaciæ, futilibus nescio quibus distinctionibus nominum, vnde onus restitutionis repetatur, ab illo liberare Sacerdotem, quod soli pœnitenti, quoad bona spiritualia, sit ex officio astrictus, etiamsi suo, non solum silentio (quod satis graue peccatum est, cum tacere non patiatur conscientia) sed etiam suo consilio, causa sit damni à pœnitente aliis illati. Si enim quæras ab illo, cur tot bona iniustè possessa suis dominis non restituat, & respondeat, Confessarium sibi ista non solum non iniunxisse, sed etiam persuasisse ad restitutionem se non teneri, quis neget etiam Confessarium huius pessimi consilij auctorem, si inde pœnitens credat se ab hoc onere restitutionis exemptum, vt non sit à Sacerdote monendus sui officii, restitutionem loco pœnitentis facere oportere? Quis hoc negauerit; nescio, an vllum sit admissurus iuris naturalis principium.

Immeritò propositioni ad illum sensum explicatæ quęrit Amadæus præsidia, ex Serra, Caietano, & ex calumniis Catharini contra Caietanum. Ad quid enim intricatissimas quæstiones huc aduocat aduersarius, nisi vt apertissimam veritatem summè necessariam ad vsum tenebris obuoluat? Quid clarius quàm restitutionis onus in se suscipere, eum qui mihi author est, ne illam faciam, cum iure teneor. Absit vt Authores citati secùs sentiant: atque ita Interpres Caietani citatus ab Amadæo, notis ad verbum Restitutio docet. Serra verò nihil prorsus habet eo loco, nec contra D. Thomam, nec contra nostram interpretationem. Catharinum imitatur; id est, censorem importunissimum, dum illius verba in Caietanum vsurpat.

Quoad propositionem 16. absit vt Curatis ius auferam, quod illis re verâ confert Panormitanus, & Soto relatus ab Amadæo, appositâ tamen hâc quam tacet conditione: si Præfecti superiores, id est, Episcopi videant subditos promiscuè sibi eligere Confessarios, & sileant. Hoc enim silentio, additâ consuetudine, censentur consentire, & facultatem permittere. Quod ad Syluestrum attinet, aduerto non bonâ fide referri: sic enim habet, *præter exemptos qui immediatè subduntur Papæ, Prælatos, qui habent supra se*

Abbatem generalem, vel eiuſmodi, id eſt, Epiſcopum eligere communi iure non poſſe quemlibet Sacerdotem in Confeſſarium.

Nihil non molitus eſt Nicolaus *Dubois*, vt mihi aliquam Cenſurarum Pontificiarum impingeret: ſed fruſtra eius conatus fuiſſe demonſtraui Præfatione ad nouam editionem primæ partis noſtræ Ethices: quæ liberat me à graui labore diſputandi de propoſitione 16. ex damnatis ab Alexandro ſeptimo, quæ eadem eſt cum proximè explicata, atque ex hoc loco nominatus Theologus atrocem mihi creauit inuidiam, quaſi corruptoris Anthorum, quos in alienum & peruerſum ſenſum traham, & iam pluries damnati & percuſſi Cenſuris Pontificiis: hæc enim pluraque alia in me congerit illius propoſitionis examine numero 368. Has incuſationes, ne calumnias dicam, validè amolior loco citato. Ne iam actum agam, & melioribus Lectori ſatisfaciam; huic nouæ Editioni adiungo Diſputationem grauiſſimam de Abſolutionis Sacramentalis forma.

ARTICVLVS V. ET VLTIMVS.

An forma Abſolutionis ſit ad modum iudicij aut precationis?

HVic nouæ Editioni addenda eſt grauis Diſputatio cum duobus nuperis Doctoribus, cum Ioanne Morino, & cum Ioanne item *Launoio*, de Abſolutionis forma, more iudiciorum, non precationis inſtitutæ & confirmatæ Concilii Florentini & Tridentini decretis, & vtriuſque Eccleſiæ Orientalis, atque Occidentalis conſenſu, vſuque receptæ. Multa quidem de Sacramento Pœnitentiæ primâ & poſtremâ parte, id eſt; de peccatorum exomologeſi & ſatisfactione condignâ; nonnulla etiam de tertia & intermedia parte, ſeu de admiſſorum peccatorum legitimâ ex contritione, aut attritione & triſtitiâ, Amadæus & Vvendrochius diſputanda ſubiecerunt. Sed cum inter hæc diſſidia de abſolutionis formula in communem omnium Catholicorum ſenſum cum his duobus Theologis conuenirem, ne 4. pars duabus primis Editio-

nibus intacta, desideraretur in nostra tractatione de pœnitentia; commodùm aut verius infeliciter contigit, vt duo Scriptores nominati ab hac concordia Catholicorum segreges, istud auctarium Opusculi à nobis etiam inuitis extorserint; quo Lectori cumulatior, sed mihi multo molestior est futura de pœnitentia dissertatio. Statueram quidem nusquam cum *Launoio* contendere, quod de rebus Theologicis, quas conueniebat, nedum sanctas, sed etiam tranquillas esse, & solâ ratione peragi disputationes ad immania conuitia deduxerit; quibus Theologia Hæreticis, & Gallia extraneis ridenda subiicitur. Absit tamen vt me pœniteat adeò sani & necessarii consilii; illud etiam suscepturus nisi iam iniuissem: sed cùm ipse omnia præter audaciam sibi singularem, iure vel iniuriâ, carpendi S. Doctoris, quod Traditionis Ecclesiasticæ negligens, aut ignarus, vno die festinarit & præcipitarit quæstionem multis annis illi maturandam: cum, inquam, quidquid habet argumentorum, deprompserit ex Morino, & illius opulentâ eruditione & variâ lectione suam subleuauerit inopiam; vix hac concertatione à suo, vel socio, vel præceptore seiungi potuit. Vnâ itaque manu & operâ vtriusque munimenta & machinas deiiciemus.

Paragraphus Primus.

Occasio Opusculi 22. à D. Thoma scripti de Absolutione Sacramentali, & duæ huius controuersiæ partes explicantur.

Vix vlla ad boni verique consecutionem, mentis conatus & studia intercipiunt frequentius, aut difficilius perrumpuntur impedimenta, iis quæ à præiudicatis erroribus, quibus sumus innutriti, repetuntur, aut ab ingenita libidine alios carpendi, & magni potius quàm boni nominis insanâ cupiditate. Imposuram mihi de absolutionis instar iudiciorum, non precum formâ dissertationem, si veris agere liceat, vix aliò referre possumus, quam in duas à me designatas prope infinitorum malorum origines. Equidem Morinum summi ingenii, & infinitæ lectionis atque eruditionis hominem, in Heterodoxorum castris

natum, & in eorum Scholis ad prouectam ætatem institutum, aliquot è perceptis à puero placitis adhæsisse, multa etiam ex antiquis monumentis suæ de confessione sacramentali, quâ imbutus fuerat, opinioni accommodasse, eoque traxisse, non magis miror, quàm quod homini qui à natiuitate, aut ex morbo offusus est, oculis, quocumque illos flectat, color obuersetur. Ad miraculum verius accessisset, liberum & à primis institutionibus omnino alienum iudicium, quod magis optare quàm sperare possis à magnis ingeniis, quorum aliqua pars ætatis & studiorum in alicuius scholæ & sectæ vindiciis, aut institutione effluxit: Neque enim facile patiuntur, quam multo labore compararunt gloriam & eruditionem, vno momento sibi perire. Frequentia sunt quibus Deo litatur, diminuta & dimidiata illa sacrificia, quorum pars maxima in colentium vtilitatem & commodum cedit; sed rara sunt quæ in vnum Dei obsequium tota absumantur holocausta: nec minus ardua sunt aut infrequentia quæ primogenitum mactent, id est, mentis & ingenii naturæ intelligentis facultatum nobilissimæ partus & cogitationes, sic humili obsequio Fidei subiiciant, quin plures inde subducantur. Hæc vtcumque Morinum excusare possunt, quod variâ multiplicique lectionum & opinionum, à receptis Theologorum sententiis remotiore doctrinâ & suppellectile instructus; vltrò ista deponere, aut contemnere non potuerit. At quid habet simile Launoius ex Catholicis natus, in spatiis Theologiæ nutritus & excultus, quod obtendere possit suæ à cæteris Theologis discordiæ, aut in carpendo S. Doctore quasi Traditionis ignaro, minuendæ aut purgandæ temeritati?

Non leue fuit illi offendiculum, quo in errorem præceps facile impingeret, Opusculi 22. de absolutione sacramentali secundum iudiciorum formulam institutâ & vsurpandâ, cum primo contra errores Græcorum aliqua, sin minus argumenti, certæ occasionis & causæ vtrumque scribendi similitudo, & cognatio. Primum imperio Vrbani IV. summi Pontificis, vt ipse præfatur, suscepit; alteri se accinxit inuitatus litteris, & impulsus authoritate Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum: vt meritò vtrumque opus dixeris legitimum illius virtutis, quæ non solum loquitur, sed etiam victorias refert, nimirum

obedientiæ

obedientiæ fœtum & operæpretium. Nihil D. Thomæ sanctius, aut venerabilius erat totius Ecclesiæ summo Pontifice, aut sui Ordinis Præposito Generali: nihil illi antiquius obseruantiâ & obsequio, quibus illos prosequebatur, eorumque nedum iussis, sed etiam nutibus obtemperabat: ad vtramque scriptionem tutissimam virtutum ducem Obedientiam sequutus est; & hoc dissimillimus Launoio qui ad libertatem natus, iugi expers aut impatiens, nullius ne dicam impulsu, sed ne quidem examine, aut suffragio à seipso loquitur, scribit, suaque edit alios lacessendi cupiditate. Quis credat obedientiæ filium, dum illi tenacissimè adhæret, lapsum esse in errores quos ius habeat corrigendi, qui iniussus omnia agit, suæ potestati permissus? Et cum Propheta exclamare possit: *Anima mea in manibus meis semper*, id est, ex Hebræorum adagio, in magno salutis discrimine versor, quia mei sum iuris, nec nisi meis affectibus ducor & pareo.

Sed ne leuia, aut à Disputatione remota quis obtendat esse hæc præiudicia, quasi causæ quam agimus, propiora desint, alterum ex vtriusque Opusculi collatione suppetit luculentius & opportunius propugnaculum: Vrbanus IV. iniungit S. Doctori examen quorumdam testimoniorum ex Patribus Græcis, maximè ex Cyrillo, quibus dirimuntur dogmata inter Latinam Occidentis, & Græcam Orientis Ecclesiã controuersa, & firmatur primatus Petri & Successorum suprà omnes, & in omnes totius orbis Ecclesias siu collectim in Concilio Oecumenico congregatas, saltem diuisim spectatas. Quid verò ad hæc testimonia D. Thomas? vera esse censuit quocumque loco extarent, seu in Cyrilli thesauro, seu in consultis Chrysostomi ad Bulgaros (neque enim quo sensu prolata essent, sed quem sensum præferrent, & an illis verus constaret, discutiendum habebat) nec saluâ conscientiâ, ac fide putauit erroris damnari posse. Hâc verò ingenuâ & orthodoxâ, vt putabat, confessione adeò grauem in suum nomen infamiam, adeò grande in suam gentem & Familiam asciuit excidium, vt iudice Launoio, ipsa nonnisi ad patranda parricidia instituta sit, ad quæ ipsemet D. Thomas arma cuderit, suisque Discipulis ministret: Tanti fuit displicuisse Launoio, & de primatu Petri obductis oculis illi non esse assensum, vt tam atroces illi pœnas demus. Et post

S

istos iræ, furoris, odii, & vindictæ morsus ac laniatus, se mansuetissimum, clementissimum & æquissimum hominum pro summa sua authoritate iubet ab omnibus haberi & prædicari; & si qui secùs sentiant, aut contra mutire ausint, grauissimas subeant pœnas, & ad explendam vindictæ rabiem, sibi licere putat, seu vera, seu falsa parricidia insontibus millies obiectare.

Non dissimilem, nec minus crudelem nobis tragœdiam minatur, aut parat in alteram à sua opinione discessionē de forma absolutionis. Superiori quidem de primatu Petri controuersia, non eò prorupit audaciæ, vt in D. Thomam quasi in Authorem importaret, quod in omnium nostrûm infamiam spargit, & inde repetit grande scelus vnius furore susceptum, quamuis totis viribus, vt fortè infra dicam oblique eò sua consilia referat. Sed ista controuersia de absolutionis forma, quasi præcipitem in scribendo traducit S. Doctorem, & velut incuriosum & ignarum Traditionis Ecclesiasticæ, à qua vnà cum totius Fidei & Religionis ratio repetatur; si audeamus contra stare, timendum nobis est, ne grauiores nostræ temeritatis pœnas deposcat, & cum D. Thoma audiamus quasi euersores Religionis, cuius fundamenta in vna Traditione posita, causabitur nos labefactasse depulsa precationum, quæ obtinebat, & inducta indicii formula in absolutionem peccatorum sacramentalem contra perpetuum, nec interruptum, nisi operâ D. Thomæ Ecclesiæ vsum omnium gentium, quas latè ostentat libris ad huius Sacramenti administrationem scriptis, & institutis ceremoniis. Sed ne tantam in nostrum caput tot iam fulminibus percussum, & nouam perniciem aduocemus; præstruendum est nobis inuictum præsidium à duplici statu huius controuersiæ. Duo enim disputari solent: primum, an conueniens sit institutioni Christi, & collatæ Sacerdotibus potestati ad remittenda peccata, per modum Iudicii prolata absolutio; nec vllo modo valida sit & licita; nisi sicut habere contendit. Launoius, perennem Ecclesiæ consuetudinem, verbis deprecatoriis constet? Alter quæstionis status est, an efficax futura sit absolutio, etiamsi ad modū deprecationis tantùm administretur & proferatur? De primo controuersiæ sensu nulla inter Catholicos dissensio esse potest, quandoquidē ipsemet Morinus lib. 8.

de Pœnit. cap. 22. qui nostro sæculo primus nobis litem mouit, adeò alienus est ab ea dubitatione, an forma absolutionis, quæ vsurpatur more iudicii, Synodi Florentinæ & Tridentinæ decretis munita, efficax sit & valida; vt non ausit asserere, si nunc precationis formulâ peragatur, remissionem peccatorum ex illa consecuturam esse: Atqui D. Thomas toto illo opusculo 22 in quo scribendo nimiæ festinationis, & inscitiæ Traditionis, aut in illa inquirenda negligentiæ arguitur à Launoio, assertionem primo sensu explicatam, & ex Morino indubitatam, nempe absolutionem per modum iudicii collatam quasi validam & conuenientem institutioni Christi propugnat, & Doctorem refellit, qui Sacerdotem absoluendo vti non debere hâc formâ, ego te absoluo, contendebat quod ipse *præsumptuosum*, vt loquitur, *& temerarium iudicabat*: Ergo perperàm incusatur à Launoio, quasi præceps & Traditionis ignarus, cùm ad eam opinionem refellendam, ex ipsomet Morino, satis illi comperta esset Traditio Ecclesiæ, vt exertè assereret absolutionem formula iudicii, tum validam & efficacem fore; quandoquidem illi soli hodie Morinus efficaciam ad remittenda peccata ausus est asserere, & absolutionem precatoriam in medio reliquit quasi ambiguam: seu ex animo ita sentiret, seu Ecclesiæ censuram timeret. Quam ergo commerebitur Launoius, qui vltra suum Magistrum progressus, tot vitia importat & calumnias in Opusculum, quo, primo sensu & indubitato munitur Ecclesiæ doctrina? Sed res accuratius est expendenda.

Paragraphvs Secvndvs.

Sententia D. Thomæ munitur tribus principiis, ex Scriptura, Traditione, & vsu certis.

Erasmus eleganti quâdam Epistolâ ad Sadoletum Cardinalem, quæ tota est de Basilii magni laudibus, inter præcipuas tanti viri dotes reponit, eâ seu agendo, seu scribendo humanitate & æquitate fuisse, vt etiam *reprehendentem diligeres*. Vtinam Launoius (qui à gloriæ studio non videtur omnino abhorrere) hanc Basilii dotem

& imitationem ambiuisset, & Censoris ac Critici partes; vel suscepisset nunquam, vel æquius obiuisset: sed ita præposterè hanc personam agit, vt nunquam grauiora aut plura peccata admittat, quàm dum aliena insectatur. Quid enim non molitur, dum aliorum, quæ nullæ sunt, culpas confingit, aut minimas in maius auget? Imprimis nulli parcit, in omnes censoriam virgam assumit: & si quem videri velit, reuereri, & colere, ita malignè laudat, vt tum maximè aspernetur: & verear ne Taciti verbum in illum cadat *pessimum genus inimicorum laudantes.*

Non dubito quin ista inter mendacia reponat, & inter monstra calumniarum, quæ in se insontem importentur. Vellem posset me perinde falsi conuincere, ac mihi in promptu sunt argumenta non longè, sed à subiecta quæstione repetita, quibus meæ expostulationis æquitatem demonstrem: nullum genus contumeliarum eo atrocius excogitari potest, quo viri de Ecclesia & de toto genere humano bene meriti lacessuntur illiberalibus iocis & scommatibus, dum affectas & videri vis illos commendare. At nihil horum quæ ad iniuriæ grauitatem conferunt passus est deesse suis Launoius in D. Thomam animaduersionibus: Contestatur quidem sæpius se eius doctrinam toto pectore amplexari, quam ex duobus à se constitutis Theologiæ principiis, nimirum à Scripturâ & à Traditione, necessariâ consecutione deduxit. Sed cur ad has leges suum erga D. Thomam studium & cultum restrinxit? nempe vt priuatim ad aurem amicis insusurret, nihil Christiani eius libris extare, quod sint perpetuæ à sancitis Theologiæ regulis exerrationes. Eo denique animo & consilio hæc prædicat, quo dicitur constitutioni Pontificiæ contra damnatas sensu Ianseniano quinque propositiones subscripsisse his, vt circumfertur, prope verbis: *Agnosco illas in Augustino Iprensi, eâdem sinceritate legi, quâ Alexander VII. asseruit in illo contineri*, id est, vtrique illudit. Si in Opusculo 22. quod totum vnam Scripturam & Traditionem spirat, vtramque ausus est scribere, reuera desiderari; quid facturum, quid dicturum putas, de his locis & libris quibus Aristotelem aduocat, & occurrunt minus frequentia, aut minus euidentia testimonia Scripturæ & Traditionis, cum non solum prætermitti, sed etiâ lædi eo Opusculo criminetur, vbi vnicè vrgentur?

At inquies, nequidem Traditionis eo opere mentionem fieri. Sed planè falleris; & dum illi Operi contendis deesse, apertè probas te prorsus ignorare, quid sit Traditio, quibusque conueniat. Nulla criminatio est capitalior & inexcusabilior, aut seueriùs castiganda, eâ quæ in hoc ipsum per inscitiam peccatum impingit, quod in aliis iniquè damnat; illo reatu aduersarium ligari, eo demonstratum.

Fidei dogmatum reuelatio, & progressus tribus peragitur, accuratè distinguendis gradibus, Scripturæ, Traditionis, & vsus. Scriptura ad litteræ corticem & sensum quem verba proferunt, Traditio ad medullam, seu ad sensum intimum, quo facta & scripta est propositio, pertinet; vsus quasi vtriusque fructus ad operationem spectat. Dogma scriptum libris extat; eius sensum aperit Traditio, vsu ad praxim reuocatur: diligentissimè hi gradus, quos veritates Catholicæ decurrunt, distinguendi sunt, non quasi diuersa dogmata, sed potius velut eiusdem dogmatis varii status, & valida, quibus innititur, & ad fidem Catholicam promouetur, testimonia ac præsidia: in libris Canonicis dogma exaratum sub sensus cadit, & oculis legitur, vel auditu (*ex quo est Fides*) excipitur: Traditione piorum cordibus insculptum, perpetuo sæculorum consensu, nec regionum spatiis diuisum, summâ vnitate seruatur; & dum externâ reuerentiâ colitur, aut opere impletur, vim habet vsus. Apertissima sunt, & ad Catholicam Fidem pertinent dogmata his tribus testimoniis confirmata; ex quibus omnium validissimum est Traditio, quæ hoc aliis differt & præstat, quòd sola etiamsi nulla suppetat Scriptura, nullus secutus sit vsus, sufficiat ad certam Mysteriis veritatem vindicandam: ideo mediam inter testimonia Fidei, Traditionem reponimus, vti Solem inter orbes cœlestes & sidera, vnde Scriptura & vsus lucem ac firmitatem mutuentur. Hoc sensu verissimè dixit Launoius nullam esse demonstrationem Euangelicam ex sola Scriptura, nisi adsit Traditio: Sed cur non idem addidit de vsu (quem in Sacramenti Pœnitentiæ administratione contendit cum Morino, 13. primis Ecclesiæ sæculis non alium fuisse, nec post illa pluribus locis, nisi purè precatorium.) Cur, inquam, non agnoscit multo minus nos certiores facere posse de rebus

Fidei vsum quàm Scripturam, nisi adsit Traditio vtriusque interpres & sigillum?

Hic prima est Launoii allucinatio, quòd non satis accuratè tria distinxerit munimenta rerum Fidei; sed in grauiorem impingit, dum à Scriptura Traditionem distinguit, & ferè cum vsu confundit. Ex illa inscitia & incogitantia vbique vociferatur libris D. Thomæ deesse Scripturam & Traditionem; quæ duo veræ Theologiæ statuit principia, & probationum quibus conclusiones Catholicæ muniantur. Vnde verò hîc illi error obrepsit? Quod hactenus ignorarit quid sit Traditio, & malè ad vsum reuocarit, quasi nihil ab illa differret: atque ita ad huius genuinam rationem cœcutiens, suam ausus sit obtrudere, & passim obliquè, aut apertè Doctoris Angelici Theologiam traducat, quasi Philosophica sit magis quàm Christiana. Eleganter, nescio quo loco, Plutarchus ex quodam veteri Scriptore refert: *Sicuti piscium sapidissimi sunt qui minus piscem redolent; & carnium delicatissima quæ minus sapiunt carnem*; ita, inquit ad suum institutum, nullæ sunt ad bonam mentem efficaciores institutiones, iis quæ virtutem quasi aliud agendo docent & commendant. Ego ad rem nostram, nullas contendo certiores securioresque esse Traditiones iis quæ minus Traditionem resipiunt, cuius discrimen à Scriptura & vsu nonnisi subtiliores capiunt, & crassiora facile ingenia effugit. Nonnulli seu præ stupore & hebetudine mentis, seu præ nimia morositate sic comparati sunt, vt res non intelligant, aut se non intelligere causentur; nisi legant in tabellis peritiorum pictorum, quæ canem & leporem ad viuum effingunt, adhibitam inscriptionem, *hic est lepus, hic canis*: Neque in tragœdia, aut comœdia, aut in quolibet alio opere, eius generis quas Plutarchus commendabat morales institutiones capiant, nisi maiusculis litteris adiungatur: *Hic locus spectat ad mores.* Ita planè contigit Launoio, Opusculū 22. & reliqua D. Thomæ opera sub nostrorū titulo, *Turcica, Ethnica, Iudaica*, pleno ore, & totâ quantum contendere potest voce appellat: Scripturam, Traditionem, in illis frustra se quærere quâcumque adhibitâ diligentiâ, & longissimè abesse inclamat, licet totius Scripturæ & Fidei medullam complectantur; quia non aliam ipse agnoscit nisi suo stilo inductam strue indigestâ, & aceruo locorum

quæ nihil ad rem faciant, nisi ad ostentationem memoriæ & variæ lectionis, quæ in iudicii vituperationem cedant. Illud verò de rebus Fidei disserendi genus ex Christianæ Religionis visceribus erutum, sublime limatum, defœcatum D. Thomæ, cum imitari aut consequi nequeat, traducendum sibi assumpsit, quasi à Theologiæ principiis alienum, quasi nihil Christianum habeat, sed Turcarum ac Iudæorum sectam spiret.

Diuino factum consilio arbitror, vt ipsemet nos deduceret ad examen operis D. Thomæ vno die confecti; quo non potuit efficaciùs adeò crassus error & immanis criminatio confutari. Tria eo loco extant argumenta à totidem Theologiæ locis explicatis deprompta, quibus absolutio sacramentalis ad formam iudicii danda sic demonstratur. Absolutionem pœnitenti sacramentalem à Sacerdote impertitam tribus conuenire necesse est, vt certò valida sit & efficax; Primum potestati, Matth. 16. & Ioannis 20. Sacerdoti ad condonanda aut retinenda peccata collatæ: consentire secundò oportet institutioni Sacramentorum, quæ verbis operatoriis constant, & effectam dant rem à se significatam; denique accommodanda est vsui quo Baptismus, Confirmatio, Ordo, Matrimonium, omnia denique præter Extremam Vnctionem Sacramenta, iisdem de causis administrantur, quod significationi adiunctã habeant efficaciam: atqui ex his tribus capitibus non modo conueniens, sed sola etiam certò legitima & valida est absolutio indicatiua per modũ iudicii, semotâ precatione, nec nisi præuia ad formam aut consecutã, more Ecclesiæ impetrandis pœnitenti dispositionibus idoneis ad remissionem peccatorum, & gratiam à Sacramenti ministro, vel quasi causa morali, vel physico instrumento conferendam merito Passionis Christi: Ergo non solum conueniens Scripturæ, Traditioni, seu institutioni Sacramentorum, & illorum vsui; sed etiam necessaria est, & vnicè certò efficax absolutio indicatiuo verbo, instar iudicii prolata: quidquid sit de probabilitate periculosissimæ absolutionis precatoriæ.

Hæc summa est totius opusculi, quo S. Doctor vno die armamentarium instructissimum ingenti sumptu apparauit: *vnde mille clypei pendent, & omnis armatura fortium,* cuius ipse nos vsum docuit, seu lacessere aduersarios, seu

arcere, eorumque impetum infringere, provt res ferent, oportuerit. Et cum omnium piorum laudes & applausus, omnium ingeniorum admirationem adeò opulenta & erudita tractatio mereatur, repertus est vnus mortalium Launoius, qui ausus sit damnare nimiæ festinationis, & in illa desiderare omnia Theologiæ loca. Sed quamlibet contendat in Solem maculas, & D. Thomæ laudi inferre damna, nihil eius gloriam imminuet; sed suam perditum ibi. Vti hoc vno argumento tripartito totum Opusculum complexus sum, ita ipse hoc vno libello totam de absolutionis formâ materiam exhausit: *Funiculus triplex*, ex Scripturâ, *difficile rumpitur*, tria Fidei Catholicæ loca & testimonia mirâ arte & solertiâ sic in subiecta controuersia nectuntur, vt primi argumenti exordium à Scriptura repetatur, & in Traditionem desinat; alterum à Traditione depromptum Scripturam aduocet, & ad vsum necessariâ consecutione deducat; tertium ab vsu quasi ab effectis ad Scripturam & ad Traditionem veluti ad causas progrediatur; & cum se his omnibus præsidiis muniuerit S. Doctor, nihil imminet periculi ab insectationibus Launoii, & quicumque ausus fuerit opus illud sugillare cum Launoio, latratorem canem, non demorsorem habendum esse demonstro.

Singulorum argumentorum vi explicatâ, primum ait Launoius debile esse & infirmum, quod à sola Scriptura, semotâ Traditione repetatur: Sed non aduertit locum Matthæi 16. quò etiam alter Ioannis 20. spectat afferri munitum Traditione: nam præter quod adeò apertus est quem præfert sensus, reuera Ecclesiæ ministris conferri potestatem ligandi & soluendi, seu remittendi & retinendi peccata; Vt iis verbis Ecclesia Nouatianorum, aliorumque Hæreticorum, qui negabant potestatem collatam Pastoribus, quasi judicibus discutiendi peccata, & pro rei conditione remittendi aut retinendi, errores confutarit: nec hunc Ecclesiæ ex Traditione consensum prætermisit S. Doctor. Sed cum in promptu essent Paciani, aliorumque veterum Patrum, qui pro Pœnitentiæ Sacramento & authoritate Ecclesiæ permissa remittendarum culparum pugnarunt, ingentia volumina, & omnium manibus tererentur, noluit more Launoii, in re vulgatissima, congerie locorum molem sui operis augere, & vt solet

vbique delectum facere, tria ad hoc argumenta adhibuit; Primum ab hymno, cuius, inquit, non modica est authoritas, qui in Ecclesia cantatur: *Iam bone Pastor Petre: peccati vincula resolue tibi potestate tradita.* Aliud, secundum analogiam Fidei sumit ex 2. cap. posterioris Epistolæ ad Corinth. *Ego quod*, inquit Paulus, *donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi*, & ex glossa in illum locum hanc argumentationem affert ad rem efficacem: *Si ergo Magister petitione Discipulorum donauit, cui voluerint peccatum, multo magis Discipuli prece Magistri idem facere debent, & vt ratam ostenderet apud Deum sententiam, subdit & hoc fieri in persona Christi*, id est, inquit D. Thomas, *ac si ipse Christus condonaret.* Quid est autem donare peccatum, nisi a peccato absoluere? vnde concludit conuenienter dici à ministro huius Sacramenti, ego te absoluo à peccato. Tertio addit robur argumento à Dionysio cap. 13. de cœlesti Hierarchia, vbi docet Deum quidem esse primam & principem causam purgationis mentium, sed illam peragere, interiectis Angelis & Sacerdotibus, sicut inquit secundum nos Hierarcha, id est, Episcopus, interuentu Diaconorum & Sacerdotum dicitur purgare & illuminare.

Et ne quis etiam Launoio morosior, ad illius argumenti robur quidquam desiderare possit, cap. 3. addit quartum munimentum apud me cæteris validius detectâ origine errorum Doctoris anonymi; (cuius causam non dubitat agere Launoius, quamuis eius opinio deducta sit ab errore Hæreticorum, qui Sacerdotibus Christianis solam concedebant potestatẽ nude declarandi pœnitentem absolutum esse.) Mirum est non potuisse deterreri ab insectatione S. Doctoris detecto periculo erroris, in quem se dedit præcipitem confutatus Anonymus: sed adeò ab illa prudenti cautelâ abest noster Launoius, vt non dubitarit art. 20. suæ Epist. num. 14. proferre quasi primum pro absolutione precatoria testem Radulphum Ardentem, quem Theologi illustris, qui vno ante Thomam sæculo claruerit in Aquitania, titulo donat: cum tamen ipsismet verbis quæ ex illo refert, absolutionem precatoriam deducat ex manifesto errore confessionis venialium cuilibet etiam Sacerdoti, minori ministro factam, quam nullam, aut ad minus Sacramentalem non esse saluâ fide Catholicâ asse-

rere nemo ausit. Idem vitium subest pluribus testium quos aduocat, vt Antissiodorensis, Alensis, & aliorum qui falsam conclusionem ex peiori errore de authoritate Sacerdotum ad meram declarationem remissi peccati institutâ deducebant: nec pudet his patronis se contra apertam veritatem tutari.

Hoc vnum argumentum, Scriptura directè & obliquè traditione munitum rem conficiebat. Sed addit alterum à Traditione repetitum, ex cuius regulis nihil certius est hâc assertione: Sacramenta nouæ legis operatoria esse eorum quæ significant: vnde concludit non solum *conuenientem esse, sed etiam necessariam per modum iudicij absolutionis formam.* Hinc cap. 3. primam Anonymi obiectionem conuellit à gratiâ sanitatum quæ oratione impetrantur, repetitam. Nec aduertit qui hoc obiicit (vt cum quadam animi commotione præter ingenitam lenitatem loquitur S. D.) *potestatem curandi morbos esse sitam in gratia non ad sanandum, sed ad sanitatem impetrandam: potestas autem clauium non computatur inter gratias gratis datas; sed virtus Sacramentalis qua principaliter residet in Christo, instrumentaliter autem seu ministerialiter in Sacerdotibus claues habentibus.* Non potest aduersarius negare inuictam esse huius argumenti vim, nisi in dubium reuocet fundamentum cui illud sumus immoliti, & cum Caluinistis, à quibus interdum non vtilpar est, videtur abhorrere, conueniat; Sacramenta nouæ legis non esse actuosa, nec constare verbis rei significatæ effectricibus. Hinc conuellitur responsio quam in gratiam Anonymi habet num. 6. cum opposuisset testimonio Magistri Antissiodorensis & quorumdam aliorum, consensum Doctorum qui Parisiis nostram sententiam sæculo D. Thomæ docebant, & addidisset hoc certum esse à 1200. & vltra annis, dictum esse Petro quodcumque solueris, excipit Launoius disparatam esse, non contrariam epocham defixæ à Doctore Anonymo epochæ, qui à 30. tantum annis inductam esse contendebat absolutionem per modum iudicii: disparata est, inquit, quia controuersiæ iudicium ad Scripturam pro more suo D. Thomas remittit, cum tamen Anonymus illam arguat nouitatis, quamuis à 30 tantum annis inducta fuerit. Vbique falsa sumit aduersarius & conuulsa D. Thomæ argumentis, quæ non à sola Scriptura, sed etiam à Traditione vim

habent, vt hactenus demonstratum est. Duo enim sunt locorum Scripturæ genera, quorumdam sensus ita abstrusus est, vt vix citra Interpretem capi possit; alia apertiora sunt (vt verbis Senecæ vtar) quàm vt sint interpretanda, & disertiora quàm vt adiuuanda, his postremis accensendus est, quem toto Opusculo vrget S. Doctor, eoque telo lacessit vbique aduersarium, & veluti clypeo veritatem Catholicam tutatur, atque Anonymi depellit impetus; in quo vix distinguere possis Scripturam à Traditione, id est sensum quem verba præferunt, à sensu quo facta est, aut fieri potuit propositio, cuius vis omnino inuicta euadit accessione alterius principii, nimirum Sacramenta nouæ legis rei significatæ esse operatoria: cuius veritas demonstratur à Bellarmino contra huius sæculi Hæreticos toto lib. 2. de Sacramentis in communi, & adeò compertum est S. Doctori, vt ad finem cap. 2. dicat: *Absit Sacramenta nouæ legis significare, & nihil efficere sicut veteris legis Sacramenta.* Ad quorum infimum ordinem nesciens & imprudens aduersarius deiicit Pœnitentiæ Sacramentum singularissimum nouæ legi, dum sola conuenienti, aut necessaria precationis formula confici contendit ex perpetua Ecclesiæ Traditione.

Si quæ superesset ex hâc controuersiâ dubitatio, illam omnino tollit tertium argumentum à duplici comparatione Pœnitentiæ institutâ, vnâ cum Baptismo, aliisque Sacramentis quibuscum conuenit,& altera cum aliis absolutionum speciebus extra conscientiæ forum ab Ecclesia vsurpatis, à quibus toto genere differt Sacramentalis: si primam ineamus comparationem cum Baptismo, cum Confirmatione, cum Ordine, & Matrimonio, nullus citra proteruiam negare potest ex vsu perpetuo Ecclesiæ horum omnium formam absolutam fuisse & indicatiuam, atque ab ea lege excipi tantũ Extremam-Vnctionem, quæ formâ precatoriâ adhibetur; tum propter Scripturæ authoritatem, Iacobi 5. vbi de Extremâ-Vnctione ita habet: *Oratio Fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei*; tum ob singularem huius obseruantiæ causam iisdem Iacobi verbis insinuatam; quia in aliis Sacramentis nihil corporeum agitur,quod statim ex operatione ministri, semotis impedimentis, non sequatur: Et hoc differunt ab Extremâ-

Vnctionr, à quâ ægri sanitas futura expectatur; nec certa est; ideò illius impetrandæ gratiâ, cum curatione animi precatio adhibetur. Alias discriminis causas affert S. Doctor supplementi ad 3. partem quæst. 29. art. 8. quarum prima desumitur à suscipiente hoc Sacramentum, qui cum viribus sit destitutus, eget orationis adiumento; altera à statu repetitur ægri, qui cum deploratæ sit salutis, desinit ad forum Ecclesiæ pertinere, & in solius Dei manu requiescere, ideo illi oratione commendatur.

Ex altera comparatione plures dissoluit S. Doctor Anonymi obiectiones, & apertè demonstrat differre ab absolutionibus in Ecclesia frequentatis, quibus vel excommunicationis vinculum dissoluitur, vel diuersa à gratiâ iustificante, & remissione peccatorum ex opere operato collata; impertiuntur, aut optantur varia bonorum genera. Hinc cap. 1. ait absolutionem Sacramentalem distare ab ea qua relaxatur excommunicatio; quod hæc cum sit iuris Ecclesiastici & humani, efficaciam habet à voluntate proferentis; nec refert quibus verbis vtatur ad exprimendam suam mentem: Sacramentalis autem absolutio cum vim totam repetat ab institutione diuina, verba illi sunt omnino accommodanda, nec conuenientiora adhiberi possunt, iis quæ sunt in vsu: *Ego te absoluo*: sicut ad Baptismum *ego te baptiso*. Hinc ad calcem capitis 3. addit periculosè solam orationem Pœnitentiæ Sacramento adiungi, quia qui precatur tantum veniã, non confert illam, sed dubiam relinquit: Oratio enim, vt quis absoluatur, promiscuè fieri potest, siue is de peccatis contritus sit, siue peccatis adhuc adhæreat: Præcipua aduersariorũ deceptionis causa est malè instituta hæc secunda cõparatio absolutionis Sacramentalis; nec satis accuratè distincta est à cæteris absolutionum speciebus: ideo ex istis peius statuunt de Sacramentali. Quæ verò Morinus, & post illum Launoius congerit, eruditè refellit Pater Nicolaï 3. parte qu. 84. art. 3. ad marginem: & in primis obseruandus est Ecclesiæ græcæ ritus ex Patre Goar in suo Euchologio, consentaneus nostro: præmittuntur quidem verba hæc precatoria: *Dominus noster Iesus Christus & Deus qui mandatum ligandi, & soluendi peccata, Discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua*. Sed orationem hæc consequuntur verba: *Ego verò indignus eius seruus absoluo te ab omnibus*

peccatis tuis. Rursum post iniectam hanc orationem *Dominus iustus qui propter nos carnem assumpsit, & vniuersi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat: Ego verò condono tibi omnia pe cata tua.* Eodem tenore dissoluit, quod Maironis ex inscitia linguæ Græcæ depromit argumentum à Græcorum Baptismo, quasi conferatur hoc verbo precatorio *baptisetur*; cum tamen Græci dicant βαπτίζεται id est, baptisatur seruus Christi. Cum ista non posset ignorare Launoius ex Patre Nicolai deprompta, mirum est non solum à confutatione abstinuisse, sed ausum etiam num. 9. obiicere verbum Nicolai Cabasilas ambiguum liturgicæ expositionis cap. 29. *peccatorum quoque remissio pœnitentibus datur p r orationem Sacerdotum,* quasi solâ oratione constaret, cum certum sit Sacerdotes Græcos adhibere verba indicatiua, in quibus præcipuam vim absolutionis reponunt. Nec meliori fide ibidem refert Sotum nostrum in 4. dist. 5. quæst. vnicâ art. 5. Sincerius agit Morinus qui Soti sententiam sic interpretatur, vt certam statuat absolutionem verbis indicatiuis: Deinde disputet, si iis omissis precatoria adhiberentur, valida ne foret absolutio. Respondet id sibi probabile videri; quamuis non ausit pronuntiare quasi certum: & post ista obtrudet nobis Launoius Sotum quasi pro se stet, nec solum precatoriam formam anteponat indicatiuæ, sed etiam pro illa quasi potiore & indubitatâ pugnet: deploratam necesse est hominis causam esse, qui ad istas artes confugiat: Non desino tamen illi referre gratias, quod ritualibus libris longo ordine enumeratis præmiserit Aquensis Synodi Prouincialis anno 1585. habitæ decretum; quo sic præscribit formas precatorias. *Dominus Iesus-Christus te absoluat,* vt præcipiat adiungi; *& ego authoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo excommunicationis minoris, (aut etiam si eius rei facultatem habeas, maioris) si quâ teneris: Deinde absoluo te ab omnibus peccatis tuis.* Cum illius Synodi vnius verba referat, non est credibile cæteras longâ serie recensitas eius opinioni apertius fauere: at certum est illâ cæteris præmissâ eius causam omnino iugulari, cum precatoriis verbis absolutionem instar iudicii prolatam adiungat, quod vnum contendimus ex Christi institutione aut omnino necessarium ad remittenda peccata, vel saltem conuenientius esse & efficacius. Plurimùm aduer-

sario debemus, quod ipse antidotum apposuerit malo; quod illâ enumeratione tot Synodorum creari poterat: cum ex Aquensi cæteras doceat nos ad D.Th.osententiam interpretari Multa eo articulo habet de colloquio Lauduni in secunda Belgicâ mecum habito, eâdem planè licentiâ conficta, quâ Socrates agnouit Platonem suos Dialogos scripsisse, cum iis lectis exclamauit, quàm multa de me hic iuuenis mentitur; hoc tamen distabat Plato à Launoio, quod omnia ad laudem Socratis etiam cum suæ noxa referret, quasi omnia sapientissimè dicta, & à se fœliciter inuenta à Socrate hausisset, cui accepta omnino esse volebat. At Launoius qui meam Ethicam criminatur esse totam Ethnicam, longe deteriorem sectatur, & omnino á grauitate, modestiâ & veracitate Platonis recedit: facta & infecta narrat ad sui commendationem, & aliorum vituperationem: Et quamuis certò iurare possim, saluâ conscientiâ, in illius cadere narrationem quæ de mea pronunciat, nullam in ea esse lineam quæ non aliquo mendacio conspurcetur; tamen cùm ex eius amicis præcipuus consecraneus & admirator, qui inter prima huius sæculi lumina ipsum accenset, ex ingenita humanitate illud *mendacii* nomen omnino improbaret: & præterea graue periculum Censuræ Romanæ adiuerim, quod Scriptorem grauiorem notam commeritum, *mirum discordiarum & mendaciorum artificem appellassem*, nec operis damnationem euitare potuerim, nisi ad calcem appositâ retractatione; ne eandem subeam aleam à mendacii vocabulo etiam immeritò pronocatus abstinebo; & dicam, vel præ senio Launoium memoria destitui, vel quod de sui sæculi Nomenclatoribus refert Seneca, illi loco memoriæ esse audaciam quidquid libuerit confingendi; denique vel vitio memoriæ, vel negligentia veracitatis scripta esse asseuero quæcumque extant & leguntur illâ animaduersione 20.

Vt leuiora omittam, quæ nihil ad causam faciunt, quale est illud, me ante congressum Laudunensem illi de facie & de nomine incognitum (quia ante Parisiis in suo musæo illum conueneram, causâ tractationis, quam de Conceptione elucubrauerat) Sed non miror rei litterariæ principi facile excidisse meum nomen, qui ex inscitiæ tenebris pedem vix moui, & promoui ferè nihil; eorum quæ de Gregorij 9. præscripto de Aristotelico spiritu, de perpe-

tuâ ſerie abſolutionis precatoriæ ſcribit, eâdem libertate in hunc locum congeruntur, quâ diximus Dialogos Antiquorum fuiſſe ſcriptos: Longè verò remotius eſt à vero quod addit *me irâ penè excanduiſſe, ſe verò n iratum hominis ingenium, tacuiſſe, ne contentionis funem duceremus, & honeſtus congreſſionis noſtræ finis amitteretur.* Bene eſt, quod ſibi moderati & ſapientis aſſumit, mihi imponit impotentis & rixoſi perſonam. Vtinam perinde has partes re ageret, ac iſto colloquio confingit; non facile iſta credent qui ex publicis ſcriptis de priuatis moribus Authoris ſtatuent & cenſebunt; addere certiſſimè poſſum me eo congreſſu ita ab iracundia alienum frigidè diſputaſſe, vt vrgenti ſomno mihi ſuccumbendum ſentirem, niſi illum ſtando & deambulando excuſſiſſem: quod male conuenit cum irâ, quâ me tum percitum & abreptum confingit.

Sed hæc futilia ſunt, diſſertationem claudam duplici obſeruatione maioris momenti, vnde Lector poſſit aliquid emolumenti capere: grauis me criminis accuſat, quod familiare colloquium naturali iure cælandum ſe inſcio & inconſulto vulgauerim; vt hanc labem abſtergam, mirari in primis ſubit Launoium, qui in ſummo Pontifice priuati Doctoris & œcumenici Paſtoris diſcrimen irridet, nec ferre poteſt; idipſum ſibi ſingulari iure, hic & paſſim aſſumere, eâque diuerſarum perſonarum diſtinctione non ſolum infinita quæ ſibi obiiciuntur depellere, ſed eandem veluti machinam contra me admouere, quaſi contra naturæ leges publici iuris fecerim, quæ ab ipſo vt priuato homine ſemotis arbitris geſta dictaque nouiſſem: Ergo quam eripit ſummis Pontificibus priuatæ & publicæ perſonæ differentiam obtinere vult: Ita eſt, quamdiu in ipſius ſalutem, & aduerſariorum noxam cedet. Hinc etiam agnoſcere licet intimos hominis ſenſus: Non putat ſibi æquo iure cum aliis, etiam cum ſummis Principibus viuendum; ipſe quidem quaſi ſibi iuſto lex non eſſet poſita, nullam humanitatis, iuſtitiæ, erga eos quibus infeſtus eſt, ſeruat; nec ſolum occulta, ſed facta & infecta euulgat, incerta pro compertis, falſa pro veris ſpargit: & vbi iſta ſibi indiſcriminatim in omnes permiſit, Deum & homines conteſtatur iura naturæ omnia contra ſe violari, quod fides ſilentii non ſit ſeruata, quam non exegerat, à qua

extare; sed in Censoris æternum dedecus, Pater Nicolai iisdemmet locis in quibus Launoius illa asserebat desiderari, nouissimo suo scripto expressissimè legi demonstrauit: nec fœlicius illi successit altera accusatio ignoratæ aut neglectæ Traditionis. Ad illam comprobandam aduocauerat Opusculum 22. quod Traditione inuita scriptum esse vociferatur: nos contra probauimus vnicè & inuictè Traditionem toto illo libello vrgeri: post ista adeò apertæ falsitatis & iniquæ accusationis argumenta mirum fuerit, si ausit vnquam impostertum contra D. Thomam mutire; & si id fecerit, nullum puto repertum iri, qui quasi fide dignum sit auditurus.

SECTIO QVARTA.

Animaduersiones in Tractatum 7. de Sacrificio Missæ, & 14. de Eucharistia.

ACcessimus tandem ad nobilissimam Religionis partem, ad Eucharistiam scilicet, quà Sacramentum, in alimentum immortalitatis sumendam, & quà Sacrificium, titu incruento offerendam.

Articulus Primus.

Explicatur notio Sacrificij & Sacramenti.

QVamuis nihil habeat Religio sanctius & augustius, magisque necessarium, aut efficacius ad salutem, & virtutis progressum, Eucharistiâ Sacramentorum præstantissimo, & vnico Ecclesiæ sacrificio, ita tamen de illâ abiectè scribunt, & ieiunè tractant relati ab Amadæo Doctores, vt negent vllo præcepto diuino suscipiendam, etiam dum in articulo mortis versamur. Nec reuerentius habent, quâ est Sacrificium: cum eos etiam qui mente voluntariè vagâ, intersunt sacrificio, velint satisfacere præcepto de sacro audiendo. Sed vt validius hos errores, aliosque ipsis adiunctos, conuellamus: aliquâ

præmittenda sunt, de Eucharistiæ notione & præstantiâ.

Paragraphvs Primvs.

Eucharistiæ ratio quâ Sacramentum, & quâ Sacrificium, explicata.

NOtio Eucharistiæ quoad vtrumque munus, nec altius, nec certius repeti potest, quàm à natura Religionis, initio huius Disputationis explicatâ, triplici Ethymo nominis. Vel enim à relegendo dicitur, quod religionis sit, res diuinas nobis suggerere, diu noctuque animo reuoluendas: vel à reeligendo; quia Deum vt finem vltimum, quem peccato abieceramus, religionis ductu & præsidio iterum eligimus, illi æternùm adhæsuri: vel tandem nomen assumit, nobiliori Ethymo à religando, quo monemur nos, & quidquid rerum creatarum, aut possibilium ambitu continetur, extitisse in Deo per totam æternitatem, iuxta illud Euangelistæ, *omnia in ipso vita erant*, seu, vt loquitur D. Thomas ipsa creatrix essentia. Sed ab omnium Entium Oceano, & bonorum origine æternâ effluximus, & quasi auulsi sumus creatione temporariâ, quam meritò dixeris, *à primâ omnium causâ exilium & quasi recessum.* Sed à Deo diuisi multò longiùs peccato recessimus, & quasi *in regionem dissimilitudinis abiimus*; vnde nisi ad Deum redeamus, certa est omnino damnatio: quia vt verè & eleganter Picus, *fœlicitas, aliud nihil est, quàm reditus ad nostrum principium*: & nisi creatione à Deo semoti, & peccato longius diuisi, iis duobus superatis gradibus, Deo religemur, omni spe fœlicitatis sublatâ, manet nos æterna calamitas.

Neque ab his malis eripi datur, nisi religionis beneficio, quæ nos Deo religet: vnde hoc illi nomen adhæsit. Hanc verò nostri cum Deo colligationem, operæpretium esse religionis, multo certius, quàm ex nominis Ethymologiâ liquet, à totâ huius virtutis Oeconomiâ, & à partium quibus constat, contexturâ, & ad hominem Deo reuinciendum conspiratione. Quare nulla religionum, etiam ex falsis, vnquam extitit, harum quatuor partium expers. Primùm legis à Deo impositæ; & inde obedientiæ

à nobis præstitæ Deo iubenti, deinde Sacramentorum, seu cœremoniarum sensibilium, quibus Deus sua nobis confert dona; & sacrificiorum quibus Deum reueremur, nosque illi subiicimus ac deuincimus.

Remotior est res à nostro instituto, quàm vt liceat, & fortè etiam euidentior, quàm vt necesse sit pluribus disputari. Quis enim nesciat, harum partium cognatione, nempe legis cum obedientiâ, & Sacramentorum cum sacrificiis confici velut Catenam auream, quâ cœlum terris, aut verius Deus nobiscum arctissimè iungatur? Sed mirare, Lector! altitudinem diuini consilij, in Christianâ Republicâ instituendâ. Cum religionis cuiusque ratio & præstantia, à partium nobilitate, id est, legis æquitate, atque accuratâ obedientiâ, & Sacramentorum ac Sacrificiorum sanctitate, repetenda sit, vt Religioni Christianæ sua pro dignitate constaret majestas, quis cogitatione assequi possit, quot & quanta molitus sit Deus? Omnia vno verbo complectar, his omnibus, quibus componi diximus religionem, partibus diuinitatem inseruit. Legem Christianis datam, noluit libris aut tabulis extare tantum, sed Ieremias Dei nomine pollicetur, cordibus nostris inscribendam esse.

Si quæras cuius sint Ordinis: Respondet D. Augustinus has leges esse Spiritum S. per charitatem diffusum, in cordibus nostris, datum in adiutorem, ad ea implenda, quæ lex æterna iubet. Si nosse velis legis Christianæ vim & dignitatem, & quæ illi responsura sit, obedientiæ præstantiam: nihil diuinitate ipsâ vtrobique minus resipit: quandoquidem ipse Spiritus S. per gratiam infusus, nobis est loco legis *iubentis*, quid faciendum, & *iuuantis*, vt quod iubet impleatur.

Si à legis & obedientiæ Christianæ, quæ duo prima religionis esse vincula diximus, contemplatione animum flectamus ad sacrificia, & Sacramenta: certum est nihil decedere prioribus partibus, & diuinitatem sibi, nobisque certius & arctius vindicare. Videntur Filius & Spiritus S. quasi partito opere Ecclesiam Christianam instituisse: Spiritus S. sibi legem & obedientiam assumpsit, vt iam insinuatum est: quid superest Filio, nisi vt Sacrificia & Sacramenta curet? Quâ verò ratione, hoc munus impleuerit, nisi aduersarij nos cogerent explicare, conueniret

silentio potius revereri, quàm verbis deterere. Satis fuerit dixisse, diuinitatem Verbi humanitate obuolutam, aut humanitatem diuinitate sanctificatam, nimiâ Christi liberalitate, vsque ad finem sæculorum Ecclesiæ traditam, vnici sacrificij & Sacramentorum maximi loco, vbique terrarum ritu incruento, sub specie panis & vini Deo offerendam in victimam, & sumendam in Sacramentum, quasi alimoniam animarum ad æternitatem.

Quamuis has duas partes Eucharistiæ, aut potius ipsius diuinitatis humanitatisque Verbi sub speciebus sacramentalibus, verbis consecratoriis & operatoriis positæ, ad Sacrificij & Sacramenti obeunda munera, pertinacissimè negent hæretici: vno tamen ex Lucæ 22. cap. verbo demonstratur verissima humanitatis præsentia in cibum assumendæ, & in verum sacrificium, ritu incruento offerendæ. Quia Christus consecratione sanguinis, ex textu Græco ita habet: *Hic calix, nouum testamentum, in meo sanguine, fusus pro vobis.* Quibus verbis apertissimè refertur effusio seu oblatio, non ad sanguinem fundendum, Crucis sacrificio & supplicio, sed ad Calicem, quem oporteat verè effundi, pro hominum peccatis. Atque ita habere consecrationis verba ex textu Græco, non negant hæretici; sed aut corruptum volunt, aut Lucam Scriptorum Canonicorum elegantissimum in crassum solæcum impegisse. Eò impietatis & dementiæ prolapsi sunt, quia videbant inuictum inde argumentū, pro vtrâque controuersiâ, de præsentiâ naturali corporis Christi, verâque Sacrificii ratione trahi, quod nec infringere, nec declinare se posse sentiunt, nisi textu corruptelæ, aut D. Luca ignorantiæ accusatis.

Ea est signorum conditio, vt quæ propria sunt prototypo, de se directè efferri non patiantur. Quis enim ferat dici, hoc est virginis simulacrum, quod Dei Verbum concepit, & peperit? At non minus singulare est Christi sanguini, in peccatorum remissionem effundi, quam Deiparæ Verbum æternum peperisse: ac proinde si nefas sit & ridiculum, dici simulacrum Virginis peperisse Christum, eiusdem ineptiæ & impietatis esset, dici Calicem sanguinis fusum, in remissionem peccatorum, nisi adsit verus Christi sanguis, etiam in Calice ritu sacro, sub alienâ specie fusus. Hæc paucis placuit perstringere, de nobilissimâ

parte religionis Christianæ, de Eucharistiâ quâ Sacramentum, & sacrificium, vt inde agnoscat pius Lector, quàm parum reuerenter habita sit ab Amadæo, propositionibus, quarum examini nos accingimus.

Articvlvs Secvndvs.

Examen sex Propositionum ex Tractatu 14. de Eucharistia Sacramento.

SEx propositiones de sacramento Eucharistiæ, & quinque de sacrificio Missæ omnes ad vnam sumpsit Amadæus ex Aquilar. Primi senarii hæc est partitio, rei subiectæ accommodata. In sacramentis conficiendis, aut instituendis, primùm spectanda est materia, & certa semper adhibenda, nisi vrgeat periculum salutis, & peccati: deinde vsus in quem institutum est, præceptum, & fructus qui inde sperari possit. Eucharistia cum aliis conuenit Sacramentis, necessario delectu materiæ à Christo designatæ; sed vsu est singularissima: nam aliorum sacramentorum vsus ad essentiam pertinet, & indiuiduus est hominis, cui confertur, sanctificationi, & ad illum verba diriguntur, vt constat ex omnium sacramentorum formulis. At Eucharistiæ diuersa est omnino ratio: conficitur quâ sacramentum, & quâ sacrificium, mutatione mirabili materiæ, seu panis & vini in Christi corpus, & inde existit apta ad sumptionem, quâ sacramentum in alimentum animæ, & ad oblationem, quatenus est victima incruenta. Atque hinc nascitur discrimen insinuatum ab aliis sacramentis, quod cum sacramenti, & sacrificii vim habeat, mutatione & consecratione materiæ, non vsu solo, seu applicatione ad hominem sanctificandum peragi oporteat.

His breuiter notatis, ad propositionum examen accedamus: eas omnes non omnino improbo, sed singularum discussione aperiam, quid rectè, quid secùs dictum sit ab aduersariis.

Paragraphus Primus.

De materia Eucharistiæ.

CVm materiæ huius sacramenti consecratio, longe antecedat vsum, ab illâ initium sumimus examinis huius Tractatus. Communis & certa omnium Catholicorum sententia est. vinum ex vite, & panem ex tritico idoneum ad esum, seu vt potus & cibi vsualis rationē habent, certam esse & indubitatam huius sacramenti materiam, à Christo institutam; & qui mutat non solum substantiam horum elementorum, sed etiam vsum ordinarii potus & cibi tollit, ad nullam, aut ad summè dubiam huius sacramenti materiam trahere, quæ extra grauem necessitatem, citra mortale peccatum adhiberi nequeat, neque vllâ probabilitate excusari possit, ex regulâ de opinionum delectu, in re sacramentariâ, id est, de rebus necessitate medii requisitis, in quibus eligenda semper est materia certa, probabili quacumque relictâ.

Ex his certis principiis deducimus 5. & 6. Propositionem periculosam esse. Priorem Amadæus post Aquilar propositione 58. ex Amico defendit, quasi certum sacramentum Eucharistiæ, confectum liquore ex vuis passis, aquâ irrigatis, aliquo instrumento expresso, tanquam materiâ ad consecrationem idoneâ. Id probant exemplo musti, quo fieri consecrationem posse, tanquam aptâ materiâ, quod nihil differat à vino, docent post D. Thomam eius Discipuli, idque vsurpari solere aiunt festo solemni Corporis Christi, Valentiæ in Hispania Tarraconensi, consecratione more gentis factâ musti ex recentibus vuis. Accedit Paludani suffragium, qui ex Tabiena assentiente, docet claretum vinum, quod vulgò dicitur *Hypocras*, idoneam esse ad consecrationem materiam. Confirmat opinionem Amici Amadæus ex regula D. Thomæ 3 part. quæst. 66. art. 4. ad 2. aquam ad Baptismum, ac subinde vinum ad Eucharistiam sufficere, nisi tanta sit resolutio eiusmodi liquorum, vt plus habeat admistum alienæ substantiæ, quam propriæ. Demus hæc omnia vera esse; negamus conuincere Amici Propositionem: quia incredibile est, ex vuis siccatis sole, superesse tantum vini, & liquoris, vt plus substantiæ vin

quàm alienæ residuum fit. Ergo ex hoc capite definit liquor ille substantiam habere vini, quamuis à sapore omnino non recedat; multo minus habere rationẽ vsualis vini: Ergo ex vtroque capite ineptá est materia ad consecrationem; & male omnino, hic liquor expressus à siccâ vuâ, comparatur musto ex vuâ recenti & tumenti eliquato.

Æmulatione Amici prouocatus eiusdem instituti Theologus Antonius Peres, quid simile confinxit, de materiâ consecrationis corporis, ad quam ex Aquilar propositione 39. probabiliter credit, sufficere hostias rubeas, quibus admiscetur sinnabrium ad litteras obsignandas. De hac Propositione Cardinalis Delugo iudicium anteponendum censeo Amadæi aliorumque suffragio. *Materia*, inquit, *dubia est, & meo iudicio inualida, quia per illam mistionem alteratur notabiliter, & extrahitur à pane vsuali.* Ita de Eucharistiâ disp. 4. sect. 1. Ratio quæ dubium tollit, petitur à naturâ sacramenti, ad quam attenditur quid rei, non quantum admisceatur vino & pani, vt excidat à conditione potus, & vini vsualis: atque ita ab hoc genere semouetur hostia, cui admiscetur Sinnabrium, quo non solum inepta, sed etiam noxia fit ad alimentum, sicut ait D. Thomas 3 part. quæst. 99. art. 3. admistio medica alterius frumenti, corrumpit vsum rei, cui insit triticum maiori quantitate. Atque hinc cadunt instantiæ, & exempla, quibus Amadæus Propositioni Peres nititur probabilitatem conciliare: demus tem minori quantitate, vino & pani admistam, ex hoc solum capite, non facere materiam ad sacramentum inualidam; secùs est si excludat ab vsu, qualis est admistio medica. Et hinc etiam Amidum, licet ex mero tritico confectum, ineptum est ad consecrationem: quia abhorret à pane vsuali. Ex eodem capite, farina subacta quam vocant *crudum panificium, farinam depsiticiam,* vulgo pasta, imo etiam panem, aquâ roseaceâ concoctum, ex ipsomet Amadæo. Et vtriusque vna est ratio, quia neutrum ordinarii panis vsum habet.

Ad finem huius propositionis more suo Amadæus Caietanum carpit, quasi doceat contra D. Thom. quæst. 74. art. 3. panem à Christo institutum, in huius sacramenti materiam, esse ex quolibet frumento, non ex solo tritico. Si id dixerit Caietanus, liberius est assertum, quàm patiatur Traditio communis Ecclesiæ. Non contentus mo-

mordisse discipulum, Magistrum etiam carpit quæst. 74. art. 1. ad 1. & confligentem inducit partim victorem contra Innocentium tertium de sacrificio altaris cap. 6. negantem, sacramentum hoc institutum, verbis expressis ad consecrationem vsurpatis: partim etiam victum, conflictu cum Concilio Tridentino sess. 13. cap. 1. asserente sacramentum hoc à Christo institutum, peractâ panis & vini benedictione, quâ censet D. Thomas fuisse sancitum. Sed absit ista dissensio à S. Doctore: concordiam ait initam à Ioanne à S. Thoma disp. ad summam, sed tacet legitimam, vt fictitiam, & D. Thomæ iniuriam inducat, quasi non sit credendus Angelicus Doctor scripsisse determinatè, sed tentando. Verior concordia est, in actu exercito institutum benedictione, & confectum sacramentum fuisse, & in actu signato additum præceptum se imitandi, & quæ fecerat faciendi, ad sui exemplum & memoriam. Hæc satis de materiâ sacramenti Eucharistiæ.

Paragraphus Secundus.

De vsu Sacramenti Eucharistiæ.

Multa habet Amadæus 4. huius Tractatus Propositionibus: de vsus ritu Proposit 1. quâ cum suo magistro Aquilar Propositione 12. ex Valentia, permittit Laicis vrgente necessitate, sibi sumere, aliisque porrigere Eucharistiam: quamuis Soto hoc damnet intolerabilis erroris. Prop. 2. & 15. Aquilar ex Becano & Fagundes vberiorem gratiam promittit, sub vtrâque, quàm sub vnâ specie communicantibus. Prop. 3. & apud Aquilar 21. Ex Sa & Henriques concedit, dubii peccati conscientiam habentibus, si practicè deponant, prætermissâ confessione ad sacram synaxim accedere Denique 4. cum Bauni præceptum tollit sub lethali de recipiendâ Eucharistiâ in articulo mortis, cum Aquilar Prop. 22.

A prima omnium examen incipiamus. Si quid excusare possit Laicum, se & alios communicantem, est maximè præceptum ad id cogens, quod ille sustulit propositione 4. ergo hæc male conuenit cum alterâ. Quamuis non negem id fieri posse in reuerentiam sacramenti, & licere Laico id tangere, si in terram ceciderit, & nullus adsit

Sacerdos qui tollat, vel si futurum sit ludibrio hæreticis, è quorum manibus nequeat eripi, nisi à Laicis sorbeatur: tum enim existimo propositionem obtinere. Sed quidni, inquit, possit à Laico dari, ad damnationis periculum auertendum, cum attritione peccatorum elicitâ saluus esse nequit, nisi iuuetur aliquo sacramento mortuorum, aut viuorum, & Eucharistiæ, si illorum copia desit? tum enim ex D. Thom. 3.part. quæst. 79. art.3. homini accedenti ad Eucharistiam, cum attritione verâ putatâ contritione, Eucharistia sumpta, per accidens primam gratiam confert, vi sacramenti viuorum; quod remittendi peccata vim habet, si ex attritione displiceant: vnde infert Amadæus, peccare mortaliter, eum qui moribundo Eucharistiam negarit. Id licere, ex eâ probabili opinione multi Thomistarum concedunt; sed tanto onere, vt si secus agat, reus sit peccati mortalis, non facile concesserim: quia stat certum pro illo præceptum, de Eucharistiâ, ex reuerentiâ non contingendâ, contra summè dubiam opinionem, quæ sacramentis viuorum asserit vim conferendi per accidens primam gratiam.

Reliquâ parte Propositionis, animo carpendi D.Thom. multa ex illo refert in 4 dist. 17. quæst. 3. art.2. quæstiuncula 2. de necessitate Baptismi, & Confessionis faciendæ Laico, si morituro desit Sacerdos, cui sacramentaliter confiteatur. Sed P. Nicolai huic venenoso morsui antidotum apposuit, eruditis notis ad illam quæstiunculam: non esse mentem D. Thomæ parem statuere necessitatem vtriusque sacramenti: Neque enim, inquit, Baptismus adultis, sed paruulis dumtaxat confertur: quia cum remedium supplere nequeant vllo modo, quoad illos absolutæ est necessitatis, & ideo conferri oportuit à Laico: Pœnitentia autem ad adultos pertinet, quam cum supplere possint, interno dolore, non est par necessitas confitendi Laico: qui nequit effectum pœnitentiæ conferre, ac Baptismi suscipiendi per Laicum, qui effectum illius confert; quamuis in signum quoddam Christianæ professionis prædicta confessio fieri possit. Hæc est mens vera D. Thomæ à nobili Thomistâ explicata, à quâ cæteri non recedunt, nec assentiunt Soto, qui permittit Sacerdoti morituro, solum panem consecrare, ne hoc sacramento destitutus moriatur: neque enim vllâ authoritate, licet

vnius speciei consecrationem tentare, aliâ prætermissâ.

Minus mali habet 2. Propositio de vberiori gratiâ, ex vtrâque specie, quàm ex vna: licet enim probabilius sit, eandem conferri gratiam, quocumque modo fiat communio, tamen Bellarminus l. 4. de Euchar c. 23. meritò contendit, ex illâ inæquali gratiâ, non consequi communionem à Laicis faciendam, sub vtrâque specie: quia è duobus malis, minus est eligendum. Est verò minus mali, nos carere aliquo augmento gratiæ, quod ad salutem non sit necessarium, & aliunde possit comparari, quàm vt sacramentum euidenti periculo irreuerentiæ obiiciatur, quale est, si indiscriminatim populo detur, sub specie vini. Sed cum hâc legitimâ responsione non desinant hæretici insultare Catholicis; ne hoc quidem illis concedendum est, & videtur esse quædam præuaricatio causæ Catholicorum, si eo præsidio nos ipsos nudemus, vnde non possint hæretici nos depellere suis argumentis.

Sed leuior fiet hic error, collatione alterius, qui sub 3. Propositione latet, dum fit gratia confessionis peccatorum practicè dubiorum, ad recipiendam dignè, & cum fructu Eucharistiam. Propositio hæc est veluti surculus regulæ Probabilistarum; quodlibet probabile iudicium prudens esse, & securum ad salutem: & iisdem argumentis impugnanda est quibus tertia superioris Tractatus, eaque instauramus, assumpto, quod Amadæus refert ex Galego axiomate, ad communionem nos teneri, ea peccata confiteri, ad quæ aliàs, ex præcepto integritatis confessionis iure diuino constringimur: Atqui illo nomine & titulo, ab accedente ad Eucharistiam, exigitur confessio peccatorum, quæ dubia sunt, non ex quâcumque, aut leui, sed ex graui & probabili ratione: Ergo ad minus illa confitenda sunt, quorum nos reos esse æque, aut magis probabilis est dubitandi ratio, quàm ab illis esse immunes. At inquit Amadæus, sic dubitans, non est conscius peccati mortalis, quod tamen ex Concilio necessarium est, ad confessionem præmittendam. Sed nos reponimus, nec sic comparatus, est iustificatus, aut expers peccati mortalis, à quo liberari nequit si eo teneatur, nisi vi, aut voto clauium: & cum dubitatio illa grauis, suggerat memoriæ & conscientiæ, peccatum remittendum vi clauium, est necessariò confessione aperiendum.

Confirmatur argumentum: non minus confitenda sunt peccata præterita; quàm futura cauenda: Atqui peccatum est à dubio peccato non abstinere: ergo non caret culpâ, peccata præterita tacere. Si dicas omne abesse periculum noui peccati, si dubium practicum deponatur, siue de præteritis confitendis, siue de futuris cauendis. Amadæus post Aquilar hanc loquendi formulam, peccata practicè dubia reprehendit; cum tamen frequens sit apud sui instituti Theologos; & Layman quærat, vtrum peccata dubia practicè, sint in confessione aperienda; & ipsemet aduersarius damnat alibi distinctionem, opinionis (idem est iudicium de dubio) speculatiuè & practicè probabilis; quam hîc passim obtrudit: nec capio, quid aliud sit dubium practicum deponere, nisi certò sibi persuadere, si quæ etiam minimæ probabilitatis dubitatio facti; an peccaueris, vel confessus fueris peccatum admissum; vel iuris, an quo certus es teneri, te nec confessum esse, peccatum sit veniale, te eximi ab omni onere confessionis: quamuis stet contrà grauior dubitatio, & opinio, te reipsâ teneri reatu peccati mortalis, nunquam confessi.

Quos refert Theologos, eximere à confessione peccati dubii, interpretor de dubio leui; si ad graue & probabile extendant, omnino ab illis dissentio: nec puto eorum consilium sequutos, magis à diuino iudicio tutos, quam venatorem (cuius exempli supra meminimus) ab indignatione Principis, vel à pœnâ statutâ homicidio; si apud Iudices, vel apud Regem, ita suam causam ageret; ingresso siluam occurrit, nescio quid, speciem præferens feræ, canis regii, & hominis; & cum explorassem, quid reipsâ esset, nec quidquam compertum habere possem, ex Theologorum regulâ, putaui me prudenter acturum, si feram probabiliter ratus, prædam non sinerem elabi: quamuis non dissimulem, me non caruisse dubio, saltem speculatiuo, dum feram impeto, hominem, aut canem Regi charissimum posse perire. Si id contingeret; putasne hac suâ ingenuâ confessione, nullas Regi ob canem occisum, & Iudicibus propter homicidium, aut iniustas pœnas daturum?

Dices eandem regulam probabilitatum sequutos, manere aliud Dei, aliud hominum iudicium. Sed quæro, vnde tibi constet hoc iudiciorum discrimen? Et si ex pro-

babilitatum regulis, ſemoto dubio agentem, iuſtè puniant Principes & Iudices, & ab illo exigant pœnas cædis, & homicidii, quod dubitabat ſecuturum, nec curauit deuitare; vnde certiorem me facies hunc Deum abſoluturum? Abſit vt meam ſalutem, adeò temerariis conſiliis & magiſtris permittam.

Amadæus vbique ſui ſimilis præcipitem conſiliarium agit, & Dominicanorum demorſorem. Huc aduocat intempeſtiuè omnino quæſtionem grauiſſimam, & ante Concilium Tridentinum ambiguam, & in medio relictam, an peccati mortalis conſcius poſſit Euchariſtiam ſumere, prætermiſſâ confeſſione, ſed verâ contritione præuiâ, cuius ſe credat certiorem. Agnoſcis, Lector, hanc difficultatem alienam eſſe à ſubiectâ propoſitione de peccatis dubiis confitendis; tamen huc aduocat, vt carpat Caietani opinionem, qui ante definitionem Trid. 13. Seſſione, Confeſſionem Sacramentalē Euchariſtiæ negauerat præmittendam eſſe omnibus, qui conſcientiâ peccati mortalis grauantur: Ita ſenſerat Caietanus, vt iam inſinuatum eſt, nec tamen Concilium eius opinionem damnauit vt hæreticam; ſed vt à periculosâ nos cauere iuſſit, ſicut teſtatur Cano libro 5. cap. 5 quæſt. 4. qui Concilio interfuit, & magna etiam pars fuit. Quare comitia noſtra generalia ſingulari decreto prohibent, ne quis noſtrûm opinionem hanc defendat expunctam è libris Caietani ab Inquiſitione Hiſpanâ. Sed hoc parergon aſſuit Amadæus ſuæ 3. propoſitioni, cui nulla intercedit cognatio, cum alterâ, de contrito peccati mortalis, ſumente Euchariſtiam, Confeſſione non præuiâ, & dilatâ ſpe Confeſſarii magis idonei: hæc enim omnia apponebat Caietanus, quæ eius lapſum excuſant.

Articvlvs Tertivs.

De Præcepto Communionis.

HÆc vna ſupereſt ex toto Tractatu propoſitio, auctore Bauni, nullo præcepto ſub lethali, recipiendam eſſe Euchariſtiam vt Viaticum morituro, maximè ſi ſatisfecerit annuæ & Paſchali Communioni. Multos Bauni adiungit Amadæus patronos, etiam ex Thomiſtis antiquis,

& recentibus : sed vix vllus eximit ab hoc onere imposito omnibus Christianis, consuetudine ab Apostolis receptâ, per totum orbem Christianum, ad nostram vsque ætatem seruatâ, ægris & morituris Eucharistiam, vt Viaticum sumendi : & eâ de causâ, in Ecclesiis, peracto sacrificio, Eucharistiam solitam conseruari in aliquo vase sacro, ad infirmorum Communionem : vnde meretur censuræ notam hæc propositio Amadæi & Bauni, quod repugnet consuetudini ex Apostolicâ Traditione ad nos deductæ. Nec aliud sentiunt Syluester, Caietanus, & alii ; nec essent audiendi, si secus opinarentur : sed facile trahi possunt ad communem sententiam, quod necessariam morituris Communionem, nolint ex præcepto diuino singulari, sed ex consuetudine Ecclesiæ, de quâ videndus est Soto in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 11.

Articvlvs Qvartvs.

Examen 3. Propositionum ex Tractatu 7. de Sacrificio Missæ.

Qvinque Propositiones collegit Amadæus ex Aquilar, præ mysterii magnitudine paucas, nec magni momenti, si excipias 2. & 3. de stipendiis, & subinde de fructu huius sacrificii, iis diuidendo, quorum nomine & causa offertur, de quibus sequenti Articulo erit agendum. Prima apud Aquilar 41. ex Reginaldo concedit Sacerdoti Missas anticipatè & indistinctè celebrare, pro eo, quem Deus nouerit, primum petiturum, & stipendium collaturum. Licet vterque excuset Reginaldum, & contendat ab illo relatam ex Petro Nauarro, non tamen probatam. Sed quid omisit, vt probabilem faceret, cum nihil taceat rationum & argumentorum, quibus muniri possit, nec soluat : & datâ operâ omittat decretum Clementis VIII. contra huiusmodi Missas anticipatè celebratas ; quod cum fuerit Oecumenicum ad totam Ecclesiam, latere non potuit hominem doctum, & de illo argumento scribentem? Nec fortè ignorabat Philiberti Martini eiusdem instituti Scriptoris opus prohibitum, quoad vsque corrigatur, quia huic propositioni fauebat. Si verò admittenda sit aliquo

sensu,non potest magis legitimũ pati,quàm vti Corradus noster interpretatur;cum quis Missam dicit illius nomine, qui solet Missas commendare, licet nondum exegerit nominatim stipendio collato, aut promisso, eam quæ tum celebratur.

Non est maioris momenti,nec difficilior 4 ex Layman, quâ damnatur velut superstitiosa consuetudo Fidelium, qui adhuc superstites curant, sibi quasi mortuis, exequias celebrari, solutis defunctorum Missis & officiis. Variant hîc, & diuersam ineunt defendendi rationem Layman, Aquilar, & Amadæus; ille quidem Propositione 46. ait Layman, non damnare vniuersim hanc consuetudinem, quasi è totâ Ecclesiâ extirpandam; sed vt minus consentaneam ritibus, & hominibus Germaniæ, vbi scribebat. Verum ipsamet Layman argumenta & verba, hanc excusationem non admittunt: inde enim reiicit, quod ritibus & ordinationibus Ecclesiæ Romanæ non conueniat,vt pro superstite fiant preces, quæ iam mortuum designent. Et ideo Amadæus aliam init defensionem: refert enim Dianam & Tracinellum qui Layman assentiuntur, & negant, pro viuis solui posse suffragia & preces, quæ ex propriâ significatione & institutione, referuntur ad mortuos, nec est penès Sacerdotem Ecclesiæ mentem inuertere. Sed quid prohibet prætermissis orationibus [illegible] verbis, quæ mortuum designant, cætera persoluere & recitare pro superstitibus?

Occasione huius propositionis aliqua addit Amadæus, de vi suffragiorum, & sacrificiorum Ecclesiæ: an prosint etiam damnatis, & D. Thomæ, aliisque Thomistis nititur affingere affirmantem, quia negantem sententiam dicunt tutiorem esse, quasi aduersam hac comparatione, patiantur aliquâ probabilitate frui. Sed iam pluries dictum est, comparatiuum illud à S. Thoma, eiusque Discipulis aduersatiuè vsurpari, nec vllam relinquere contrariæ sententiæ probabilitatem, licet vi verborum non eripiant.

Quintâ propositione ex Layman sumptâ, asseruntur præcepto de Sacro audiendo, diebus festis satisfacere, qui ab offertorio ad benedictionem vsque, Missæ intersint.

Respondet Amadæus interpretem agens Aquilar propositione 66. Layman non esse illius sententiæ, sed retulisse tantum ex Amalario, appositâ hâc clausulâ: *Nihil*

contra communem Doctorum sententiam hic definio. Verum quid sibi volunt verba, quæ subiungit? *Duriusculum videri, si hominem, qui circa offertorium, ad Missam accessit, peccati mortalis damnaremus.* Deinde cum eodem Aquilar, hanc laxitatem regerit in Dominicanos, in D. Antoninum, Syluestrum, aliosque recentiores, idque per summam iniuriam: nam vt Syluester habet, *Secundum Archiepiscopum* (id est secundum S. Antoninum) *præceptum de Missâ audiendâ, non obseruat, qui partem notabilem omittit, puta medietatem, aut tertiam partem, secus qui modicam;* qualem dicunt esse introitum. Qui verò accedit post lectum Euangelium, plusquam tertiam partem & ferè dimidium obmittit, ac proinde ex Dominicanis, vix lethalis peccati excusari potest: reus verò erit venialis, si gratis, & nulla causa absit ab Introitu, & Cantico Angelorum.

Multa admiscet Amadæus de attentione ad Sacrum audiendum necessariâ, quæ non improbo. Addit etiam, nonnulla de ministro Sacri, & videtur velle cum Soto, nullâ necessitate admitti oportere fœminam, quæ respondeat, aut ministret: quia inquit Soto, *mallet sibi respondere & ministrare, quàm pati fœminam alterutrum munus sibi præstare.* Puto hanc quæstionem mouisse Amadæum, vt pungeret Nugnum celebrem e Dominicanis Theologum Vallisoletanum satis notum Commentariis in 3. partem: & quæst. 83. art. 3. dubio 2. docet vrgente necessitate celebrandi Sacri, si desit vir, qui nesciat respondere illo ministrante, posse aliud munus obiri à fœminâ; vti fieri solet ad Missam maiorem, altâ voce decantatam à Sacerdote, cui respondet Chorus Virginum Monialium: & si absit vir, qui ministret, non esset magis absurdum & incommodum, famuli vicem supplere fœminam, quàm, vt plerumque fit, accedere ad Altare, ad osculandas illius manus, qui nouum Sacrum facit: hæc exempla satis excusant Nugnum, & si quid ab illo peccatum sit contra decorum, alius Dominicanus, nempe Soto, satis hoc erratum correxit.

Articvlvs Vltimvs.

Circa Propositionem 2. & 3. de pretio & stipendiis Missæ.

HIc vnus superest *nodus vindice dignus*, à quo se, suosque expedire, eoque Dominicanos implicare nititur Amadæus post Aquilar Propositione 43. & 45. Priore ex Filliucio conceditur Sacerdoti, agere contra decretum Vrbani VIII. die 25. Iunii an. 1625. editum prohibentis, ne pro vno Sacro quacumque ratione, duplex stipendium sumatur, multoque minus, alii Sacerdoti detur pars stipendii, alterâ sibi seruatâ, quod licere asserit Bordonus Franciscanus; & Amadæus post Aquilar conqueritur, falsò fuisse aggregatum suo instituto, inuidiæ illi creandæ causâ, quam totis viribus, à suis in nostros deflectunt, & multos referunt, qui videntur permittere Sacerdoti, tot stipendia pro vnâ Missâ accipere, quot sufficiant ad honestum victum toto illo die, & ad sustentandos parentes, cum in grauem necessitatem redactis, ex officio tenetur succurrere. Non abnuo quid simile legi apud nostros Authores, qui scripserunt ante decreta Vrbani, & Congregationis Cardinalium: idque licere spectato iure naturali censent Angelus, Petrus Nauarrus, Vasques, & alii; contra Suarem, Bellarminum, Toletum post Scotum, quorum fundamentum est, pretium cuiuslibet Missæ, diuinâ constitutione, certâ quantitate finitum, non posse ex vllo capite augeri, nec diuidi in plures qui integrum stipendium soluerunt, citra singulorum damnum, & illæso iure, quod sibi stipendio compararunt. Sed illud incommodum putant aduersæ sententiæ Authores, vitari posse ex duplici capite, seu dote huius Sacrificii: Primâ, licet vnicum sit, continet tamen omnia sacrificiorum genera: & alterâ, in quolibet genere habet virtutem intensiuè infinitam, quæ nullo termino sese exerat, in diuersos effectus & fructus, si addantur oblationes singulares, pro quolibet soluentium stipendium.

Prima dos, sic paucis ad quæstionem subiectam explicari potest. Certum est vnicum Eucharistiæ sacrificium,

abrogatis

abrogatis omnibus antiquis, eorum munera cumulatissime implere: & cum quadruplicis generis distingui soleant sacrificia, nempè latreutica, quæ in vnam Dei adorationem, & latriam referuntur & absumuntur; Eucharistica, quibus gratiæ Deo aguntur pro beneficiis acceptis; impetratoria quæ noua petunt; & satisfactoria seu expiatoria peccatorum quibus grauamur: certum est Eucharistiæ sacrificio, ita cumulatè impleri hæc munera, vt vni nihil detrahatur, ex alterius consortio; & ita plenè prodeat latriæ cultus, ac si gratiarum actiones adiunctas non haberet, æque dignè persoluantur laudes, & gratiarum actiones, pro beneficiis acceptis, ac si noua non peterentur; nec vis impetratoria decrescat, ex satisfactoriâ pro peccatis, sicut nec radio solis spargenti lucem, quidquam deperit, si lucendo calefaciat.

Hinc forte aliquid luminis affulsit, iis quos è Scholâ nostrâ retulimus, censere idem sacrificium posse offerri nomine, & stipendio plurium, illæso cuiusque iure, si constet vnum petere sacrificium cultus diuini causâ, vt latreuticum, alium vt Eucharisticum, tertium vt expiatorium ad pœnæ remissionem, alios vt impetratorium pro diuersis beneficiis obtinendis. Atque hoc postremo genere, posse ita augeri, adiunctis oblationibus, & precibus singularibus, vt multis in solidum, seruato cuiusque iure, diuidi nihil vetet.

Sed vix ausim fidere huic primæ interpretationi subtiliori, fortè quàm solidiori: quia credibile est eos qui iusto pretio, more Religionis constituto, Missas petunt, velle sibi omnes sacrificii fructus vindicare, in alios minimè diuidendos. Quare præter hanc primam interpretationem, opinionis antiquæ; occurrit alia, quæ ante decretum Vrbani defendi poterat.

Eam verò obseruet velim Lector, positam inter duas extremas, quarum prima, nullas videtur pretio huius sacrificii, seu ad cultum Dei, seu ad satisfactionem, seu ad imperrationem referatur, metas constituere; sed vndequaque esse virtutis infinitæ, & efficientiæ contendit. Si ita sit, sufficeret vna toto Purgatorio vacuando, contra communem piorum sensum, qui plures pro quolibet Defunctorum Missas curant celebrari. His absurdis territi Suares, & alii Theologi, in aliam extremam sententiam

delabuntur, & cuilibet Missæ constituunt certum pretium & fructum, qui augeri nequeat, aut in plures diuidi, saluo singulorum iure: & ex hoc fundamento, depromptum interpretantur decretum Pontificium, quod vix crediderim, cum inuictis argumentis impugnetur. Quare probabilior videtur tertia & media opinio eleganter explicata à Caietano Tom.2. Opusc.3. quæst. 3. vbi pretium Sacrificii, iuxta quadruplex genus distinguit, ex opere operato, & quâ Latreuticum & Euchatisticum, attentâ rei oblatæ & Christi offerentis dignitate, asserit vndequaque infinitum: quia plus exhibet honoris Deo, quàm omnium creaturarum obsequiis, & gratiarum actionibus præstari possit, magisque placet quàm peccata dæmonum, & reproborum omnium displiceant; denique condignas Deo laudes, & pares omnibus beneficiis receptis gratiarum actiones persoluit.

Sed de fructu impetratorio & satisfactorio in nobis recipiendo, aliter sentit Caietanus. Neque enim infinitum reipsâ esse, sicut duos superiores fructus latriæ, & gratiarum actionis, admittit; neque vult etiam ita definitos, vt omnis augmenti sint expertes; sed augeri putat, pro offerentium affectu & studio, vel pro ratione diuersarum oblationum. Aliud enim ait esse, an Sacrificium Missæ, vnâ in commune pro pluribus oblatione, singulis perinde prosit, ac si seorsim pro iis solis fieret; an verò si oblationes pro quolibet singulares, adiungantur, prosint cuique, ac si alii participes non essent: Primum negat, asserit secundum Caietanus. Idque confirmari potest, multis exemplis & argumentis; quorum primum petitur à Sacrum audientium, vel offerentium conditione: nam ex communi Theologorum sententiâ, participes sunt alicuius fructus, seu impetratorii, seu satisfactorii, ex opere operato, à virtute sacrificii existentis: nec minus certum est, hunc fructum augeri, seu multiplicari, pro adstantium & offerentium numero, nec quidquam singulis, ex illo deperire aliorum participatione: alias captandæ essent Missæ, quas soli, aut cum paucissimis audiremus, quod est contra communem omnium piorum sensum, qui ex multitudine adstantium Sacro, plus sperant emolumenti, quàm damni timeant: & hoc etiam Suares concedit.

Inde necessariâ consecutione cum aliis deducit, si contingat idem sacrificium numero, à multis confici (quod multi Theologi censent tum contingere, cum Sacerdotes initiantur, & Episcopo consecranti cooperantur ad Sacrum, & verba consecratoria, eodem quo ipse temporis momento inchoant & absoluunt) tum enim Suares nobiscum assentitur, idem à pluribus in solidum, peragi sacrificium, & suum cuique fructum contingere ex singulari oblatione, quæ aliarum adiunctione, nihilo minoris sit virtutis & fructus. Apertius multoque certius est tertium exemplum & argumentum, à Baptismo eâdem formulâ verborum, pluribus collato, *Ego vos baptiso*, &c. Quis enim neget validum esse, & multiplex sacramentum, nec singulis quidquam deperire, ex aliorum consortio, qui sub iisdem verbis eodem momento abluuntur? Ex iis omnibus elicitur quartum & vltimum argumentum: nihil esse, quo definiatur ad certum gradum, fructus satisfactionis, aut impetratorius; non à re oblatâ, neque à primo offerente Christo, quia sunt infinitæ virtutis, quoad omne genus sacrificiorum extensiuè & intensiuè infinitum, intra quodlibet genus; neque ab oblationibus, quia supponimus multiplices esse, pro numero offerentium, & soluentium stipendium: Ergo Sacerdos non facit illis iniuriam, si in singulos diuidat fructum, qui respondeat singularibus oblationibus, quæ nihil minuantur aliarum adiectione.

Dices: si ita res se habeat, cur decreta Pontificia & Romana, prohibent sacrificia fieri, plurium nomine & stipendio, & in illos diuidi? Respondeo primò quæ tradidimus ex Caietano, probabilissima quidem esse, non tamen omnino certa, neque tutiora, quia fauent commodo, contra legem. Quis enim neget, longè tutius esse, Missam addicere vni, integrum stipendium soluenti, quàm vnam partiri in plures? Romanorum verò Pontificum perpetua est hæc & verè aurea regula, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam.* Addo præterea, quamuis abesset omne periculum, fraudandi parte fructus soluentem stipendium, more regionis integrum; id tamen iure prohiberi, ne inducatur sordida mercatura in templum, nec exardescat cupiditas, & auaritia ad lucrum, ex sacrificiis captandum: & adeò longè abest Ecclesia ab illâ profanâ

nundinatione, vt non patiatur quemquam sacris initiari, cui patrimonium desit ad victum, ne cogatur mendicatò viuere, aut ambire sacerdotium, quasi artem mechanicam, quâ se suosque alat; nec excuset Sacerdotem, qui eo animo frequentet sacrificia, nisi extrema sui, aut parentum eò adigat paupertas, vt non supersit aliud, quo se & illos honestè sustentare possit.

Ad Eucharistiam, quâ sacrificium est ex damnatis Censurâ Pontificiâ Propositionibus pertinet ordine 8. & duæ insequentes: Prima ita habet, *duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eâdem Missa licitè accipere, applicando petenti partem eius specialissimam, fructus ipsimet celebranti correspondentem: idque post decretum Vrbani VII.* proximè sequens asserebat, *posse Sacerdotem, cui Missa celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendij sibi retentâ.* Postrema propositio docebat, *non esse contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre: Neque etiam esse contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Latè has propositiones expendit Nicolaus *Dubois* à numero 204. vsque ad numerum 250. & totis viribus contendit me in harum propositionum censuram impegisse. Sed Præfatione ad nouam editionem primæ partis Ethices eius conatus depuli: Nec dictis aliud occurrit addendum, nisi quod prætermisi argumentum, videri Summum Pontificem quasi certum decernere læ li iustitiam, ex solo fundamento Recentiorum, valorem cuiusque Missæ esse omnino indiuisibilem; quia hæc verba suo decreto inserit: *Eos qui pro vno sacrificio plura stipendia receperunt, sua obligationi non satisfacere; quin imo grauiter peccare, & ad restitutionem teneri;* quod iniquum fore putat Nicolaus, si opinio Caietani de multiplici valore Missæ pro variis oblationibus augendo in solidum, esset, vt pronunciaui, probabilissima: sed consecutio aduersarii non est efficax; quia vt ita pronuntiet Pontifex, satis est opinionem Caietani, licet speculatiuè probabiliorem, minus tamen quoad praxim tutam esse: quia stat pro lucro contra legem; & vt consulat saluti Sacerdotis, atque auaritiam, quæ immisceri solet, validè excludat, restitutionem indicit.

SECTIO QVINTA.

Animaduersiones in Tractatum nonum de Simoniâ.

CVM vna sit de rebus contrariis, & inter se pugnantibus scientia, & cum Religioni Simonia capitaliter aduersetur, adiungenda est tractationi de Religione, & de rebus sacris, Disputatio de Simoniâ, quæ nihil aliud est, quàm profana emptio, aut venditio rei sacræ, & spiritualis, pecuniâ appensâ, cum sit supra omne pretium. Religionem parum reuerenter nonnullos habuisse, abundè probatum est 5. Tractatuum, de horis Canonicis, de Eucharistiâ, aliisque sacramentis examine: quid inde consequitur, nisi simoniæ indulgentia, quasi leue aut nullum peccatum sit, spiritualia vendi?

ARTICVLVS VNICVS.

Tres de Simonia Propositiones Amadæi exponuntur.

MIraberis, Lector! duo aut tria tantùm capita de hoc Sacrilegio Amadæi collectione contineri, cum infinita ex eius instituti Auctoribus colligi possent, quæ purgari & defendi oporteret. Cur verò hac parte adeò ieiunus sit, & pauca attingat præ aliis Tractatibus, contra honestum & decorum; causa in promptu est, quia Propositionum, quæ ad Simoniam pertinent, tres tantùm reperit Apud Aquilar cuius interpretem agit.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

An liceat pacto expresso se obligare ad rem temporalem pro spirituali conferendam.

PRima Propositio ex Tannero 112. à simoniâ excusans expressum pactum, quo quis se adstringat ad rem temporalem, pro spirituali conferendam, est 111. apud Aquilar, & vterque in assertionis patrocinium citat Caietanum; Aquilar quidem 2.2. quæst. 16. art. 3. quæ duos tantùm habet, & de præcepto Fidei disputat, de simoniâ verò ne verbum quidem. Erratum illud corrigit Amadæus, sed in aliud impingit, citato Caietano 2.2. quæst. 100. art. 2. vbi nullum verbum habet, eorum quæ ex illo refert, sed diuersa prorsus omnino, quæ statim adducam. Diuus Thomas aliud omnino quam quod obtendit Amadæus, docet quodlib. 5, art. 23. quem citat: cum simonia, inquit, circa emptionem & venditionem consistat, hîc distinguendum videtur. Si Prælatus intendat eum obligare, cui dat beneficium ad compensationem, sibi aut suis faciendam, simonia est: si autem nolit obligationem inducere, sed tantum aliquod inde commodum captet, praua est, & carnalis intentio, non tamen simoniaca: quare D. Thomas à peccato non excusat illum, qui confert beneficium, eo animo, vt iure etiam amicitiæ, aut grati animi, aucupetur aliquod emolumentum. Quid dictum putas ad duas quæstiones, quas subiungit Amadæus, si beneficii collator paciscatur, de illo commodo sibi ex amicitiâ, aut ex grato animo, aduenturo? Nec tantùm à D. Thomâ hâc re dissentit Amadæus, sed etiam à seipso: nam vt hîc refert ex Soto, de simoniâ rerum spiritualium, idem iudicium ferendum est, quod de lucro ex mutuo captato: Atqui ipsemet damnat opinionem Philippi à Cruce, qui concedit lucrum ex mutuo, amicitiæ, aut grati animi titulo promissum, quod tabulis publicis confirmari licitè posset. Ad quid enim opus scripto tabularii manu subscripto, nisi vt inducatur ciuilis obligatio, quâ conueniri possit iudex, & illius sententiâ cogi ad solutionem, ille cum quo paciscitur, nisi stet promissis? Hoc verò vti agnoscit Amadæus, vsuræ culpâ non caret, cum de mutuo agitur;

ita non poteſt excuſare à ſimoniæ ſacrilegio, cum eâ conuentione pactum ſit, de lucro ex collatione beneficii percipiendo.

Nec minus abhorret S. Doctor ab aliâ conuentione, quâ ex gratitudine, aliquod temporale lucrum caperetur, ante beneficii collationem: hoc enim ipſe Amadæus non excuſat: ſed addit duo, nempe factum ſe iudice damnatum iri, vt ſimoniacum: deinde difficile eſſe, in his formalitatibus, ſub præciſâ doni ratione conſiſtere; quamuis concludat id non eſſe impoſſibile, ac ſubinde licitum. Nos diceremus rem ſpeculatiuè probabilem, ſecùs practicè; quod vix ſimoniæ mens poſſit ab iis circumſtantiis ſeiungi. Nec huic dicto Amadæi fauet Ledeſma citatus; & ſi in eam partem inclinet, eſt omnino improbandus; tanquam diſcors diſcipulus à ſuo Magiſtro, & à communi Scholæ ſuæ ſenſu. Atque in hanc rem memini, cum Ledeſma legeretur ad communem menſam, cui P. Rodulphius olim Ordinis Magiſter Generalis aſſidebat; & ex illo aliquid laxius, quod magis recentiorum probabilitates reſiperet, quàm puram Familiæ noſtræ doctrinam, audiuiſſet, exarſiſſe virum ſapientiſſimum, & vultu geſtuque teſtatum, id ſibi diſplicere; parumque abfuit quin Lectori menſæ ſilentium indiceret, & lecturâ illius libri interdiceret noſtris refectoriis: adeò alienæ ſunt à noſtrorum Theologorum ſenſu, eiuſmodi laxitates. Nititur tamen Amadæus aliud de noſtris hominibus, Lectorum animis ingerere; & ad hoc refert aliqua Tabienæ verba; quæ an vera ſint, & ex antecedentibus aut conſequentibus correcta, & in bonum ſenſum trahi poſſint, explorare non licuit, nec neceſſarium puto, quia ait inſontem eſſe Tabienam, collatione Soti quid grauius & periculoſius docentis, lib. 9. de Iuſtitiâ quæſt. 6. art. 1. ad 1. Certè ſi reus non ſit Tabiena, niſi grauiori reatu teneatur Sotus; hoc abſoluto illum falsò accuſatum, facile erit demonſtrare. Quid verò Sotus eò loci docuerit, paucis perſtringam, & occaſione accuſationis Amadæi ſubiiciam Lectori trium Dominicanorum concentum, de graui quæſtione gratiſſimum, & eruditiſsimum.

Sotus igitur eo loco quærit, an adulto liceat pecunias dare auaro Sacerdoti, qui ſibi iam moribundo, vel quod grauius eſt, puero aliàs ſine Baptiſmo perituro, illud

Sacamentum negat, nisi pecuniæ sibi numerentur. Ad hoc inducit primum Paludanum negantem id licere quâcumque ratione, etiam redimendæ iniustæ vexationis causâ: & ad hoc statuit egregiam & subtilissimam distinctionem: Quidam, inquit, obesse possunt, & nihil prodesse, vt si hæretici inuadant reditus beneficiorum, quæ iure conferre nequeunt; alii obesse possunt, & prodesse; quales sunt, qui beneficia conferunt, vel ad illa electionem confirmandi ius habent, & quidquid istis confertur, etiam ad vexationem redimendam, simoniæ damnat; quia ab illis ambiunt, quod iure conferunt; excusat verò quæ aliis donantur: atque ita negat, quidquam posse numerari Sacerdoti auaro ab adulto, vt sibi, aut puero morituro Baptismum largiatur.

Caietanus quæst. 100. articulo 2. quem falsò citauerat Amadæus, hanc difficultatem versat, & partim à Paludano dissentit, aitque cum Panormitano, non licere quidem adulto dare pecunias ad obtinendum sibi, sed paruulo Baptismum. Discrimen inde repetit, quod alia sit adulti, alia paruuli conditio, & ille possit loco Baptismi, suæ saluti consulere contritione elicitâ; paruulo autem, si Baptismo fraudetur, nullum aliud superesset remedium: ac proinde illâ extremâ necessitate, honestari posse, & à maculâ simoniæ purgari, numeratam Sacerdoti pecuniam.

Sotus partim assentitur Caietano, partim ab illo recedit; docet primùm, extremam illam necessitatem paruuli, purgare à simoniâ pecuniam ab adulto traditam; nec putat æque vitium inhærere huic pecuniæ, ac mendacio, vt sicut isto nunquam, ita nec pecuniâ, liceat à Sacerdote extorquere Baptismum paruuli: sed sicut, inquit, grauem necessitatem patienti, conceditur mutuum petere à fœneratore; & licet iste peccet, ille tamen immunis est à peccato: ita statuit hâc controuersiâ, licere adulto pecuniis à Sacerdote obtinere Baptismum paruuli, & rem putat illâ extremâ necessitate honestari: quamuis addat fore illicitum, si in contemptum religionis testaretur, qui Baptismum renuit gratis dare, pecunias exigere.

Certè cum Sotus ita cautè agat, & tot apponat conditiones, quarum aliquot retuli, & alias relinquo Lectori videndas, vel nulla, vel certè leuis est culpa Soti, vt non

debuerit eius opinio quasi improbabilis omnino, post Sua rem damnari ab Amadæo. Eò enim deducta est quæstio à Soto, an perinde illicitum sit pecuniâ, ac mendacio Baptismum emercari: id negat Soto, & probat validis argumentis contra Caietanum, quibus respondendum erat Amadæo, vt legitimam haberet adeò grauis censuræ causam: iniquior est, quâ notat Caietanum ex Catharino, quod à simoniâ liberet, eum qui emit Episcopatum, animo non soluendi pretium constitutum; sed potius fallendi. Reus quidem est grauis mendacii, & simoniæ etiam iure positiuo, non tamen naturali constitutæ: & ita immerito damnatur Caietanus, à Canonibus deuiasse.

Paragraphvs Secvndvs.

Vtrum pecuniam dare liceat vel Electori, vel alteri, vt intercedat apud Collatorem beneficij.

Propositio secunda ex Sanchez, eximit à simoniâ, eum qui pretium dat, vt quis intercedat apud Collatorem beneficii, quod tamen ipse conferre nequeat. Quidquid sit de Propositione apud alios; certum est falsò illi aduocari Sotum in patronum à Sanchez, cuius errorem secutus est Amadæus, cum debuisset corrigere: nam quæstione 7. art. 3. ex lib 9. quem locum vterque citat, apertissimè hanc propositionem damnat simoniæ, & argumentis etiam conuincit. Ibi enim has duas statuit conclusiones ex D. Thoma: *Bifariàm*, inquit, *accidit temporale quidpiam spiritualibus esse annexum: vno quidem modo, cum à spirituali dependet*; & hoc genere connexionis, 1. conclusione pronuntiat, neutiquam id quod hoc pacto spiritualibus adnectitur, esse citra simoniam vendibile. *Secundo temporale spiritualibus coniunctum est quatenus ad illa refertur*: cuiusmodi est ius patronatus, & eò etiam reuocat vasa & vestimenta sacrorum vsui destinata, quæ 2. conclusione, asserit citra vllam simoniam vendi posse, non vt sacra, sed quatenus res quædam sunt aliis vsibus aptæ. Priori conclusioni dubium annectit, de interuentoribus, & vtrinque propositâ ratione dubitandi, hinc pro excusante, inde pro damnante simoniæ sententiâ, tandem concludit, tanti apud se

vigoris esse rationem pro sententiâ posteriori, vt ei libentiùs, quàm priori assensum præbeat: Ergo decepti sunt Sanches & Amadæus, affictâ illi priori sententiâ. Et minus excusari possunt, cum Sotus assertionem probet hoc argumento: si huiusmodi intercessiones nihil habeant simoniæ, se non videre, cur munus à linguâ inter simoniæ peccata numeretur.

Propositio tertia. Ea ex Asorio immunes facit à simoniâ, & huius peccati pœnis, eos qui pecunia corrumpunt electores, vt se eligant ad officium Generalis, Prioris, &c. Ea verò apud Aquilar est ordine 126. & vterque Asorium defendit ex eodem fundamento, nempe simoniam non contrahi, nec Canonibus castigari, nisi Ordinis & beneficii collatione. Licet verò Caietanus *Verb. Excom.* cap. 71. Officium Ecclesiasticum beneficio æquiparet, & inde inferat, simoniæ & pœnarum, quæ illi iure infliguntur, reum esse, qui pecuniis corruptelam molitur electorum, eorumque suffragia aucupatur; tamen plures Thomistarum, quorum loca tacet Amadæus, & vnius tantùm Gallegi refert, officia à beneficiorum ordine semouent, & ad aliud reuocant genus: Ergo ex illo fundamento liberant à simoniâ, eiusque pœnis, quotquot pecuniis ambiunt officia. Sed nos relictis aliis ignobilioribus Thomistis adhæremus Caietano, qui de principatu inter D. Thomæ discipulos cum Capreolo certat.

Huc reuocanda est propositio ex damnatis ordine 22. quæ ita habet: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia Collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecuniâ interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Propositionem expendit Nicolaus *Dubois* à numero 459. vsque ad numerum 482. & licet ab Amadæo, & ab Aquilar argumento seu tractandi methodo differat, eumdem tamen sibi scopum præscribit, purgandi à laxioribus opinionibus Patres Societatis, & illas regerendi in alios Theologos, maximè in Thomistas. Eius studium in Patres Societatis, absit vt damnem; sed vix excusare possum illam cupiditatem iure vel iniuriâ nostros grauandi, etiamsi in eâdem sint opinione cum Patribus, quorum potius apologiam scribit, quàm verum iudicium exerceat, ab omni præpostero remotum affectu, quem ni-

mis apertè præfert damnato Candido nostro Magistro sacri Palatii de Benef. disquis. 18. art. 19. dubio 3. malè illum habet, quod Candidum disp. 1. sect 3. art. 1. paragrapho vltimo *defenderim cum Ledesma isto paragrapho*: Et ait non potuisse me dissimulare doctrinam esse Ledesmæ, pro commodo temporali beneficiis iuncto posse aliquod emolumentum capi à Collatore, & dicit *me iterum fallere, & falli, dum intendo illum à cæteris Scholæ nostræ Doctoribus deuiare: nam præter eos quos adducit Ledesma, & Candidum*, cuius verba exhibui, idem docet Tabiena, cuius verba refert. Tabienam, vt ex superiori paragrapho constat, non defendi contra Amadæum, nisi collatione Soti, quem dicebat grauiùs peccasse Tabiena. Si ita sit, pronunciaui Tabienam insontem, quia Sotum omnis culpæ expertem esse demonstraui, & meam defensionem non debuit Nicolaus dissimulare: quandoquidem vtrumque in tuto ponebat; si Sotus quem sugillabat Amadæus grauioris culpæ, erat omnino insons, hoc præsidium vel expugnandum erat Nicolao; vel abstinendum à damnatione Tabienæ. Sed istas minutias nihil moror: multò minus æqua est Candidi damnatio, absoluto Lessio, quem immeritò auellit à Candido: cum nisi partium studio laboraret, interpretandus illi esset ad mentem Lessii. Audiamus Candidum loco relato: ille vltrò agnoscit Collatores beneficiorum, nisi illa gratis conferant, peccare contra virtutem Religionis, & iniuriam inferre Deo & rebus sacris: illos tamen eximit à læsâ justitiâ commutatiuâ, vnde consequatur onus restitutionis faciendæ illi, cui impertitus est beneficium, & à quo aliquod munus potius gratuitum, quàm ex pacto recepit. Nonne idem docet expressis verbis Lessius? quæ Nicolaus refert ex lib. 2. de justitiâ & iure cap. 35. num. 28. *Si quis*, inquit, *in gratiam alterius priuet se aliquâ re spirituali (quale est ius conferendi, cui voluerit beneficium,) & pro incommodo quod inde patitur, compensationem temporalem exegerit, non tenetur iure diuino ad restitutionem.* Et paulò ante *conferens pretio aliquid spirituale quod annexum habet commodum temporale, iure diuino non tenetur ad illius pretij restitutionem.* Quid aliud voluit Candidus? quâ ergo re ita immane differt à Lessio, vt hic insons sit, ille reus, & censuræ Pontificiæ obnoxius? an quia negauit Collatorem accipiendo aliquod

munus peccare? Imo exertè asseruit, graui in Deum & in res sacras iniuriâ virtutem Religionis lædere: non tamen peccare in iustitiam commutatiuam, ex quâ vnâ consequitur restitutio muneris accepti, à Collatore facienda. Cum itaque his omnibus conueniant Lessius & Candidus, vterque Pontificiæ censuræ subiiciendus est, aut eximendus.

Eodem loco Nicolaus accuratè defendit Gregorium Valentiam à Parisiensium in Theologiâ familiari accusatione, quasi docuerit hanc propositionem, *Dare temporale pro spirituali non esse simoniam; quando temporale non datur tanquam pretium; sed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel tanquam compensatio gratuita pro spirituali.* Non suscipio vrgendam accusationem in Valentiam, sed depellendam tantùm à nostris Theologis; cum studio partium potius quàm veritatis, quale passim ipse præfert, grauantur.

Sed iis disceptationibus absit, vt illum debitâ laude fraudem: probo quod ipse affert discrimen, cur calix consecratus possit citra simoniam vendi, nec illâ labe careat receptum ex pacto aliquod commodum, ob collationem beneficii aut patronatus: quod scilicet aurum aut argentum vnde conflatus est calix, non sit quid relatiuum ad calicis consecrationem, sed materia subiecta consecrationi à quâ aurum facile auelli potest. At ius patronatus & beneficii est quid omnino relatiuum ad rem spiritualem, à quâ cum nequeat seiungi, illicita est omnino illius venditio: *Hoc discrimen elicitur ex Paschali Papa, in Can. si quis obiiciat Can.* 1. *quæst.* 3 *Si quis*, inquit, *obiiciat non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur: Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquid tale, sine rebus corporalibus, in nullo proficiat, nec anima sine corpore corporaliter viuat; quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit*: quia res corporalis, seu temporaria non est ita distincta, quin ad spiritualem penitus referatur, & ex illâ proueniat: *Quid enim* inquit Valentia, *aliud est ius illud, quàm posse legitimè recipere fructus propter titulum spiritualis officij?* quare neque etiam potest perfectè & completè æstimari, nisi in ordine ad spiritualem titulum, atque adeò neque vendi citra simoniam.

SECTIO VLTIMA.

Animaduersiones in Tractatum 15. de Censuris.

PERVENIMVS tandem ad postremam & nobilissimam partem Religionis, quâ huius virtutis defensionem absoluimus. Ius Censurarum est à potestate clauium, seu à potestate ligandi & soluendi, quæ est veluti clauus totius Ecclesiæ. Hâc de re grauissimâ, minutiora tantùm, si vnam aut alteram propositionem excipias, suppeditat Amadæus examinanda: quia vbique Aquilar sequitur.

Articvlvs Primvs.

Expenduntur tres Propositiones de excommunicatis ministrantibus: de fœminis ingredientibus monasteria virorum: de Religiosis relinquentibus claustra.

PRima Prepositio huius Tractatus apud Aquilar est 15. eâ verò ex Filliucio sumptâ, Clericus minore excommunicatione innodatus, eximitur à peccato etiam veniali, si administret Sacramenta. Vterque Filliucium defendit primo hoc argumento: excommunicatione minori implicitis, prohibitam Canonibus participationem, non administrationem Sacramentorum: Ergo licet mortaliter peccent, si eo impedimento grauati suscipiant Sacramenta, insontes tamen erunt, etiamsi administrent. Addunt nubem testium & Doctorum, qui suffragentur Filliucio. Quidquid sit de extraneis falsò asciscitur Sotus: & Aquilar quidem testatur; se hunc Authorem non consuluisse, dum citat distinctione 12. quæst. 3. art. 3. cum eo loco quærat vtrum Christus sumpserit sibi & discipulis corpus suum impassibile: Amadæus hoc erratum negligentiâ effugit, relato Soti nomine, nullo citato loco, quo id doceat,

Verùm si attendisset ad dist. 17. quæst. 1. art. 7. concl. 4. comperisset eum ab hâc propositione dissentire, & peccati mortalis damnare suscipientem Sacramentum, venialis administrantem.

Secundâ Propositione, ex Layman asseruntur fœminæ ingredientes Monasteria Monialium, nec peccare mortaliter, nec excommunicationem incurrere. Eandem habet Aquilar Propositione 24. excusant verò à peccato, & eximunt ab excommunicatione huiusmodi ingressum ex Gregorij XIII. & Pij V. decretis in eas tantùm fœminas latis, quæ ad huiusmodi ingressum prætexunt priuilegia: quamuis expressis verbis Pius V. hanc pœnam statuat in fœminas, quocumque prætextu ingredientes. Laudo Amadæum, qui Rodriguez cauillum improbat hanc declarationem non esse authenticè promulgatam.

Tertia Propositio, etiam leuioris est momenti. Ea verò apud Aquilar 65. ex Fagundes permittitur Religiosis ad alendos parentes, in graui necessitate constitutos, vbi claustro eâ de causâ recesserint, habitum dimittere, si nequeant decenter eo induti opera seruilia exercere, quibus omnino incumbendum est, vt egenis parentibus succurrant. Hanc propositionem tutantur exemplis Religiosorum, qui habitu occultato, aut dimisso, versantur ex dispensatione Apostolicâ inter hæreticos; vt illorum saluti consulant. Si par sit necessitas aut ratio, quæ id factum honestet, qualis est versantium in regionibus hæreticorum; nullus Thomistatum ab hâc propositione dissentiet: sed non immeritò timent, & cauendum monent, ne citra similem causam habitus dimittatur.

Articvlvs Secvndvs.

Examen 3. Proposit. de Clericis digladiantibus, de interficiente veneno Clericum, de exhibente arma ad inuasionem Clerici, & confirmatio Proposit. 44. ab Alexandro VII. damnationis.

Grauioris sunt momenti, quæ supersunt ex hoc Tractatu Propositiones tres: quarum priore ex Fragoso eximuntur ab excõmunicatione Clerici qui sese districtis

gladiis inuadunt, & animo hostili plures sibi intentant ictus; sed nullum aduersario infligunt vulnus: Propos. 5. ex Aquilar immunis ab excommunicatione pronuntiatur, qui Clericum veneno, infuso potui, aut cibo interficit. Has propositiones sumpsit Amadæus ex 78. & 79. Aquilar & iisdem artibus vterque defendit: Canonibus prohiberi excommunicationis pœnâ, violentas Clerico manus inferre, quod longè abest ab illo qui ex insidiis veneno Clericum perimit, vel impetit armis, intercepto ictu: & hoc probat Amadæus verbis Caietani ex Summâ *Titul. Excommunicatio*.

Sed quis non videat, hanc interpretationem, manifestam esse Canonum corruptelam, & à scopo quem spectat enormem exerrationem, confirmatam falsò ascitis Caietani verbis? Quis enim neget his Canonibus caueri immunitati Clericorum, ab omni vi & iniuriâ, qualis etiam ex Caietano inferretur, *digna excommunicatione ex iniectione pulueris, sputi, aut aquæ, vel extorsione rei quam pra manibus haberet Clericus*? Et post ista volunt etiam ex mente Caietani, immunem ab excommunicatione, eum qui hostili animo, millies Clericum totis viribus, enixus sit gladio confodere, & pluries disploserit in illum sclopetum, vel clam veneno sustulerit; quasi violentæ manus, magis prohibeantur Canonibus, quàm mors violenta?

Cæterum quod refert ex Caietano, excommunicationem non esse latam, *nisi ictus pertigerit ad Clericum*; fraude non caret. Tractatio de excommunicatione, est apud Caietanum longissima, & diffunditur vltra Summarium per 76. capita, nec locum, nec numerum annotat, quo extent verba relata, ne plagium deprehendatur. Certè sicubi hæc scripsisset Caietanus, legerentur cap. 10. contra manus violentas: illud legi, & relegi, & nihil horum verborum reperi: Ergo commenta sunt. Nec meliori fide, aut magis ad propositum refertur Serra 2. 2. quæst. 62. art. 7. dub. 1. hoc solum differt à priori fraude, quod hæc sententia non affingatur Serræ, nisi quâdam leuissimâ coniecturâ.

Propositio 6. Propositio sexta ex Hurtado apud Aquilar 75. ab irregularitate eximit illum, qui arma concedit Petro, certus, aut ad minus timens, illa peti ad homici-

dium, si absit animus occidendi. Amadæus post Aquilar negat id asserere Hurtado; cum tamen disp. 2. de irregularitate hanc opinionem adeò validis dicat à se argumentis confirmatam; vt vix aduersa opinio defendi possit. In præsidium etiam huius opinionis, vocat Aquilar Ledesmam, & Amadæus Caietanum 2.2. quæst.4.art.4. vbi nihil minus quàm de subiectâ quæstione; sed an fides informis euadere possit in formatam, disputatur: fortè deceptus quæstionem 4. pro 3. superiori apposuit, vbi cum S. Doctore agit de signis, quibus occultatur fides; & subinde differit de his, quæ vendi possint Infidelibus, citra vllum infidelitatis consortium: & eò loci docet Caietanus venenum non posse vendi ab eo qui conscius sit de malo vsu futuro; nec arma tempore belli iniusti.

Arguit Amadæus Caietanum inconstantiæ, & asserit ægre posse reddere rationem; cur quis teneatur impedire præuisam mortem corporalem, non verò spiritualem: vtramque sine dubio, immò magis mortem animi, quàm corporis Charitas iubet arcere & prohibere. Sed longè dispar est vtriusque, cum rebus quæ venduntur, connexio: mors corporis per se coniuncta est cum veneno, & cum armis, ad homicidium tantùm quæsitis & comparatis; ac proinde nunquam licet vendere, conscio huiusmodi mala certò secutura: mors verò animi accidentario, & ex malitiâ ementis, adiungitur rei per se indifferenti, ad bonum & malum vsum. Quare licet vendere, si tantùm accidentariò iuncta sit cum morte animæ; nunquam verò, si ex illâ per se consequatur mors corporis. Eandem difficultatem, alio loco ex Caietano soluimus de ebrietate: vbi hanc regulam statuimus ex Salmanticensibus, malam esse consequentiam necessitatis ab intrinseco & per se ad necessitatem extrinsecam & rei aduentitiam. Hæc habuimus scribenda pro defensione Religionis contra 7. Amadæi Tractatus.

Ad istud caput pertinet damnata Propositio 44. quæ ita habet: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, eiusque contumaciâ cessante, cessant Censuræ.* Ad legitimam huius Propositionis, & quâ configitur, damnationis interpretationem distinguit Nicolaus *Dubois* num. 694. ex Giballino duorum bonorum spiritualium genera; quædam singulis sunt interna, vt gratia, & habitus supernaturales Charitatis,

tatis, aliarumque virtutum infusarum quibus meremur, satisfacimus; & huiusmodi bona certum est restitui pœnitentia excommunicati, antequam accedat absolutio Ecclesiæ. Alia sunt spiritualia omnibus communia, vt sacramenta, Spiritualis Iurisdictio, publicæ satisfactiones, & preces quibus priuat excommunicatio: & Censura Pontificis asserit cessante contumaciâ non restitui secundi generis bona, nisi accedat absolutio Ecclesiæ: hâc vnâ distinctione perstringuntur quæ ex diuersis Canonibus refert: singularis eruditionis est ille Innocentii III. *in caput* 28. vbi ita disserit sanctissimus & eruditissimus Pontifex, à nobis est sæpe quæsitum, *Vtrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & vtrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à Fidelibus sit orandum? Nos igitur consultationi tuæ breuiter respondemus, quod iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: Iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum; vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: Et qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissoluitur: Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat, quem prius Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit post modum soluere suscitatum. Vnde quantumcuque se quis iuramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit: quantacumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentiâ per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Quid verò conferat absolutio excommunicationis mortuo impartita, satis monstrat formula, quâ confertur, his verbis: *Quare sic vobis visum fuerit, vobisque de prædictis N. viuentis pœnitentiâ per euidentia signa constiterit,*

vt eundem sic defunctum, dummodò illius hæredes iniuriam passis, quibus ille, si viueret, occasione præmissorum satisfacere teneretur, prius competenter satisfaciant, vel per eos non stet quominus arbitrio vestro satisfaciant competenter, in eo quo tenentur ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrit. absoluere in formâ Ecclesiæ consueta, & in foro Ecclesiæ tantùm licitè valeatis ad effectum dumtaxat, pro illius animâ publicæ & priuatæ orationes, ac preces fieri, eiusque corpus Ecclesiasticæ sepulturæ tradi possit facultatem concedimus. Vltra hoc viuentibus confertur communicatio Sacramentorum.

DISPVTATIO III.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

HÆC est tertia & suprema classis Virtutum Theologicarum, quas ab aliis distinximus, maiori ad Deum accessu. Triplex enim est gradus cognationis Virtutum cùm Deo; infimus & remotissimus earum quæ affectus moderantur, & aliquam boni honesti speciem spectant vt obiectum, & quærunt vt finem proximum; nec in Deum tendunt, nisi relatione communi, quâ omne genus boni fertur in illum, vt communem & vltimum finem. Secundæ classis virtutes, vno gradu Deo propius accedunt, & licet aliquid creatum spectent vt obiectum, à quo speciem hauriant: illud tamen ex se se in Deum referunt vt finem vnicum & proximum; sicut explicuimus exemplo Marthæ, quæ cœnam parabat Christo. Virtutes Theologicæ *Vni necessario* adhærent: Deus illis est finis & obiectum: *illis omnia sunt vnum, omnia in vno vident, omnia ad vnum trahunt.*

Quis adeò arctâ cum Deo cognatione, ad illius sedem prouectas, non credidisset extra telum positas, & in *vultus Dei secreto absconditas*, effugisse flagellum linguæ Scriptorum, ex quorum propositionibus suum libellum Amadæus conflauit? Sed in has magis sæuiunt virtutes, quàm in cæteras inferiorum ordinum; & videntur omnes perimi,

ſublato, aut eleuato Charitatis præcepto. Optabat neſcio quis Romam vnico capite viuere & contineri; vt poſſet vno ictu illud amputare, & ſubinde totum imperium euertere. Laceſſitæ ſunt ſeorſim virtutes ſingulæ: ſed modo omnes in vnâ Charitate virtutum capite, formâ, & vitâ perimuntur.

His duobus, qui ſuperſunt Tractatibus de Fide & Charitate, multas quiſquilias ex Aquilar collegit Amadæus, quas nec volebat tacere, vt fidum Interpretem ageret, nec poterat ad aliud caput reuocare. Segregauimus pretioſum à vili, & minutas Propoſitiones à grauioribus, quæ virtutes Theologicas apertiùs petunt.

SECTIO PRIMA.

Animaduerſiones in Tractatum de Fide.

QVINDECIM continetur propoſitionibus Tractatio de Fide ordine tertia, hîc breui examinandis; quia vix quidquam habent, quod ſit alicuius momenti, vel in vſu apud nos: ſed cum Authorem interpretetur Amadæus, ex Hiſpaniâ, vbi viget Tribunal Inquiſitionis, & ſeueriùs agitur cum Hæreticis; ideo 4. habet Propoſitiones de accuſandis, abſoluendis, & denunciandis Hæreticis, quæ apud nos vix locum habent. Attingam tamen paucis, & expendam ex regulis Tribunalium aut Regionum, vbi viget actior Inquiſitio in Hæreticos.

ARTICVLVS PRIMVS.

De abſolutione ab hæreſi, & à caſibus reſeruatis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De abſolutione ab hæreſi occultâ, & à reſeruatis tres Amadei, & totidem damnatæ ab Alexandro VII. Propoſitiones expenduntur.

SEcundâ huius Tractatus Propoſitione, tertio loco apud Aquilar, ex Suare confertur Prælatis regularibus ius

validè absoluendi suos subditos à peccato, ab excommunicatione, & hæresi. Amadæus numero 2 huius Propositionis, paucis perstringit responsionem Aquilar, quâ Suarem excusat, cum primum opera sua in lucem edidit, id permissum fuisse regularibus Prælatis ex priuilegio Pii V. concesso Dominicanis, quod extat in Bullario Rodriguez fol. 590. & ex priuilegio Gregorii XIII. Iesuitis indulto: nunc verò extare declarationem Sacræ Congregationis 17. Nouembris anno 1518. editam, & ab Inquisitione Hispanâ receptam, cui omnino standum est. Nec aliud tradit Candidus Sacri Palatii Magister ab Amadæo relatus, dum ait, *saluo meliori iudicio sequendam esse sententiam negantem Prælatis regularibus ius absoluendi subditos ab hæresi occultâ*: quamuis inuitum trahat in opinionem affirmantem, ex alio fundamento apud me incerto, nempe Superiores regulares eâdem in subditos facultate gaudere, quam habent Episcopi in suos, decreto Tridentini, quo conceditur illis facultas absoluendi subditos ab hæresi occultâ; nec eam putant regularibus negandam, plures quos citat Amadæus, Theologi diuersorum Ordinum. Hos suspectos habeo, nisi constet voluntas Summi Pontificis, à quo vno ea facultas concedi potest Religiosis.

Tertia Propositio ex Bauni apud Aquilar 18. est accessio ad Superiorem; quâ Prælatis regularibus facultas conceditur absoluendi ab hæresi occultâ, nedum subditos, sed etiam Laicos quoscumque. Meritò conqueritur Amadæus, hanc propositionem adscriptam Bauni; quia re verâ non concedit hanc facultatem Prælatis regularibus, nisi in commodum suorum: sed illam munit testimoniis Crousers & Bruni Franciscanorum, & ex illis hoc argumento Prælatis regularibus probatur concessa ab Vrbano & Sixto IV. facultas ab his omnibus absoluendi, à quibus iure possunt Episcopi. At Theologi plures agnoscunt à Tridentino Concilio assertam Episcopis absoluendi ab hæresi occultâ potestatem: Ergo id possunt Prælati regulares. Immo addit Amadæus ex Basseo Capucino, & Leandro Præposito Generali Ordinis Trinitatis, non fuisse reuocata priuilegia, vi quorum Regulares poterant absoluere ab omnibus casibus Papæ reseruatis; dummodò occultum sit peccatum, quibus facilè non assentiar, cum

decretum Vrbani VIII. aliud ferat: & iis reuocandis sufficere existimo decretum Pontificium ad valuas sancti Petri affixum. Neque enim nobis, qui tuta, non probabilia sequimur & consulimus, licet eorum cauillis vti, qui dicunt huiusmodi priuilegia titulo oneroso propter obsequia præstita, Sedi Apostolicæ concessa, non posse sine causâ reuocari, quo titulo Ecclesiæ Gallicanæ immunitates nonnulli tutantur, multo sanguine, & infinitis expensis bello sacro comparatas. Ego sanè nollem ex illo titulo oneroso Regularium priuilegia mordicus seruare; si de reuocatione Pontificiâ constet; quia ab vnius Pontificis, non solum authoritate, sed etiam arbitrio pendere existimo, & esse religiosæ humilitatis, vbi omnia in Sedem Apostolicam officia impleuerimus, *nos seruos inutiles profiteri*; & si quibus immunitatibus fruamur, non nostris meritis, sed liberalitati Pontificum acceptas referre: & si nos velint subiici Ordinariis, nullâ morâ esse parendum, & cauillos *tituli onerosi*, *aut promulgationis* ad reuocationem decretorum non satis idoneæ esse procul abigendos. Præstat enim obedientiæ exemplum, quocumque priuilegio immunitatis, dubiæ aut controuersæ. Hanc etiam facultatem Regularibus assertam absoluendi ab occultâ hæresi improbat Amadæus num. 7 in iis regionibus, in quibus viget Tribunal Inquisitionis, ad quod iure pertinet absolutio ab hæresi occultâ.

Sed ad huius priuilegii iacturam resarciendam, videtur Amadæus 6. Propositionem ex Sanches statuere, ab Aquilar num. 7 depromptam, ius Tribunali Inquisitionis assertum ab hæresi remittendâ, interpretandum esse de hæresi formali: eo verò non contineri fautores & defensores hæreticorum, quos proinde ab hoc crimine, & ab excommunicatione inde secutâ, possint Regulares absoluere. Hanc interpretationem munit vterque, testimoniis multorum Theologorum, etiam Candidi, Caietani, Soti, & Serræ ex Thomistis: sed vix tutam faciunt tot patroni contra Inquisitorum ius, qui iubent ad suum Tribunal reuocari causam, eorum qui non solum hæreseos rei sunt, sed etiam quâcumque ratione illi fauisse visi sint, idque etiam ego tutius existimo.

Quamuis prima nostræ Ethices editio antecessetit censuras Pontificias, illis tamen omnino consentit, & videtur

occupasse quidquid de huius paragraphi argumento sanxit Pontifex damnatione tertiæ, quartæ, & duodecimæ propositionis.

Quod ad priorem attinet, Basseus asseuerat in consistorio sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visam & toleratam anno 1619. 18. Iulii, fuisse sententiam, asserentem Bullâ Cœnæ solum prohiberi absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id derogare Facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est. Assertio Bassei ad quæstionem facti pertinet, & malè illam probat vno à se repetito testimonio, quæ tamen eò efficacius erat confirmanda, quò grauior contra vrgebat præsumptio ex verbis Bullæ Cœnæ, quibus *omnes & singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, cuiuscumque secta existant, eorumque receptores*, &c. excommunicat; addirque à prædictis sententiis, *nullus per alium quàm Romanum Pontificem, nisi in articulo mortis, cautione præstitâ, se Ecclesiæ mandatis statutum, absolui possit; etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorum: exclusâ etiam facultate absoluendi per cuiuslibet Concilij decreta*: quare Basseï assertionem damnat Pontificia Censura.

Ex iisdem principiis configitur quarta Propositio, *Prælatos regulares posse in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ.* Hanc assertionem defendit idem Basseus, eamque saltem in Angliâ, Germaniâ, & Galliâ valere censet Tho. Hurtado; Munitur à Brunone Chassaing aliquot argumentis quæ conuelluntur verbis Bullæ Cœnæ relatis: *nullum ab huiusmodi sententiis, per alium quàm Romanum Pontificem absolui posse prætextu quarumuis facultatum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, etiam Episcopali dignitate præditis*, per nos & dictam Sedem, in genere vel in specie concessorum ac concedendorum. Bulla verò loquitur de hæresi occultâ, non quidem purè mentali, in quam nulla cadit censura; sed quæ in actum aliquem externum prodierit, licet semoris arbitris; illa enim manifestatio sufficit, vt obnoxia esse possit censuræ Ecclesiasticæ.

Eodem spectat ordine duodecima hæc propositio, *Mendicantes posse absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* Præter Basseum &

Chaffing, aliosque citatos, assertionem defendunt Alexander ab Acrioltis, & Auersa, sed variè explicatam: Primus censet regulares non posse absoluere à casibus, qui in iure reseruantur Episcopis, sed ab iis quos sibi retinent: Alter verò docet absoluere posse à casibus Episcopo reseruatis iure communi, non ab aliis. Emmanuel Rodriguez contra, iis distinctionibus reiectis, dat plenum ius absoluendi à casibus quâcumque ratione reseruatis. Præcipuum quo suam opinionem muniunt, argumentum repetitur à Bullâ Pauli III. quâ Patribus Societatis concedit *facultatem, confessionibus diligenter auditis, Fidelium ad se vndequaque accedentium, ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, &c. quantumcumque enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententiis & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, (exceptis censuris ex Bullâ Cœnæ) absoluendi, atque eis pro commissis pœnitentiam iniungendi.* Et cum decreto Vrbani VIII. hæc priuilegia reuocentur, respondent relati Theologi esse tantum sententiam Doctorum à Pontifice approbatam, quæ nec sit lex, nec edita ad modum legis, nec habeat clausulam reuocatoriam abrogandis huiusmodi priuilegiis etiam in Pontificum Bullis necessariam, ac proinde ad summum habere vim sententiæ priuati Doctoris. Inter hos Authores qui stant pro priuilegiis regularium Nicolaus *Dubois* accenset ex Patribus Societatis Tamburinum Palaum, Suarem, Bauni Præpositum, Becanum qui ad minus probabilem censent.

Sed contra vrget censura Pontificia in eam propositionem ordine duodecimam lata, quam fusè confirmat Nicolaus *Dubois* à numero 136. vsque ad numerum 161. Tota vis argumentorum sita est in principiis à nobis positis eam facultatem Religiosis concessam præter ius commune merâ liberalitate Pontificum, quæ abrogetur, vbi primum constiterit esse eâdem authoritate reuocatam. Quâ de re vix dubitandi locum reliquit Concilii Tridentini mens explicata definitionibus Congregationis Cardinalium Concilii Interpretum, cui tandem accessit censura Alexandri VII. quartam damnantis propositionem, quæ post Tridentinum Regularibus asserebat facultatem absoluendi à casibus Episcopo reseruatis: Equidem Concilium sess. 14. Can. 11. anathema pronunciat in eos *qui negant*

Episcopos habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam. Et fusius sess. 14 cap. 7 hanc ex Ecclesiæ Traditione perpetua grauiorum criminum absolutionem à summis Sacerdotibus & ab Episcopis demonstrat esse semper vindicatam extra articulum mortis : quo excepto monet, *Cum Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis, id vnum persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos Iudices, pro beneficio absolutionis accedant.*

His Tridenr. verbis qui pro Episcoporum iuribus pugnant, sublata censent priuilegia Regularium. Sed citati à nobis Theologi respondent nihil ea Concil. decreta obesse Regularibus, quia in illis desideratur clausula reuocatoria semper apposita quoties alia priuilegia abrogantur, ac proinde nihil istis obesse:responderi potest derogationem exptessam vtilem aut necessariam esse, si dubia sit mens & voluntas Legislatoris: si verò competta sit, nulla singularis apponenda est reuocatio; vndenam verò constat eam fuisse sententiam Concilii; à Congregatione Cardinalium constituta interpretando Concilio Trident. cuius proinde sensum certius ab ipsis quàm à priuatis Doctoribus nosse & inuestigare nos oportet, & si quod superesset dubium, sublatum est Bullâ 94. Pii IV. quæ incipit: *In Principis Apostolorum*, eâ, reuocantur omnia priuilegia Concilio Tridentino aduersantia, aut per illud declarantur reuocata; quo loco manifestum est Pontificem non agere de illis solis priuilegiis, quibus expresè & nominatim concilium derogat, quia esset quoad illud caput, omnino inutilis & superflua. Tandem omnem tergiuersandi locum excludit postrema Alexandri VII. censura, quæ decretum decessoris Vrbani VIII. confirmat, & inuictum facit.

Paragraphvs Secvndvs.

De Confessariis sollicitantibus ad res venereas, & de Hæreticis denunciandis.

De primo crimine extat Bulla Gregorii XV. seuerissima, quam AmadæusPropositione 8. & Aquilar Propositione 7, asserunt receptam non esse in Hispaniâ, licet

munus peccare? Imo exertè asseruit, graui in Deum & in res sacras iniuriâ virtutem Religionis lædere: non tamen peccare in justitiam commutatiuam, ex quâ vnâ consequitur restitutio muneris accepti, à Collatore facienda. Cum itaque his omnibus conueniant Lessius & Candidus, vterque Pontificiæ censuræ subiiciendus est, aut eximendus.

Eodem loco Nicolaus accuratè defendit Gregorium Valentiam à Parisiensium in Theologiâ familiari accusatione, quasi docuerit hanc propositionem, *Dare temporale pro spirituali non esse simoniam; quando temporale non datur tanquam pretium; sed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel tanquam compensatio gratuita pro spirituali.* Non suscipio vrgendam accusationem in Valentiam, sed depellendam tantùm à nostris Theologis; cum studio partium potius quàm veritatis, quale passim ipse præfert, grauantur.

Sed iis disceptationibus absit, vt illum debitâ laude fraudem: probo quod ipse affert discrimen, cur calix consecratus possit citra simoniam vendi, nec illâ labe careat receptum ex pacto aliquod commodum, ob collationem beneficii aut patronatus: quod scilicet aurum aut argentum vnde conflatus est calix, non sit quid relatiuum ad calicis consecrationem, sed materia subiecta consecrationi à quâ aurum facile auelli potest. At ius patronatus & beneficii est quid omnino relatiuum ad rem spiritualem, à quâ cum nequeat seiungi, illicita est omnino illius venditio: *Hoc discrimen elicitur ex Paschali Papa, in Can. si quis obiiciat Can. 1. quæst. 3 Si quis*, inquit, *obiiciat non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probatur: Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut aliquid tale, sine rebus corporalibus, in nullo proficiat, nec anima sine corpore corporaliter viuat; quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit*: quia res corporalis, seu temporaria non est ita distincta, quin ad spiritualem penitus referatur, & ex illâ proueniat: *Quid enim* inquit Valentia, *aliud est ius illud, quàm posse legitimè recipere fructus propter titulum spiritualis officij?* quare neque etiam potest perfectè & completè æstimari, nisi in ordine ad spiritualem titulum, atque adeò neque vendi citra simoniam.

SECTIO VLTIMA.

Animaduerſiones in Tractatum 15. de Cenſuris.

PERVENIMVS tandem ad poſtremam & nobiliſſimam partem Religionis, quâ huius virtutis defenſionem abſoluimus. Ius Cenſurarum eſt à poteſtate clauium, ſeu à poteſtate ligandi & ſoluendi, quæ eſt veluti clauus totius Eccleſiæ. Hâc de re grauiſſimâ, minutiora tantùm, ſi vnam aut alteram propoſitionem excipias, ſuppeditat Amadæus examinanda: quia vbique Aquilar ſequitur.

Articvlvs Primvs.

Expenduntur tres Propoſitiones de excommunicatis miniſtrantibus: de fœminis ingredientibus monaſteria virorum: de Religioſis relinquentibus clauſtra.

PRima Prepoſitio huius Tractatus apud Aquilar eſt 15. eâ verò ex Filliucio ſumptâ, Clericus minore excommunicatione innodatus, eximitur à peccato etiam veniali, ſi adminiſtret Sacramenta. Vterque Filliucium defendit primo hoc argumento; excommunicatione minori implicitis, prohibitam Canonibus participationem, non adminiſtrationem Sacramentorum: Ergo licet mortaliter peccent, ſi eo impedimento grauati ſuſcipiant Sacramenta, inſontes tamen erunt, etiamſi adminiſtrent. Addunt nubem teſtium & Doctorum, qui ſuffragentur Filliucio. Quidquid ſit de extraneis falsò aſciſcitur Sotus: & Aquilar quidem teſtatur, ſe hunc Authorem non conſuluiſſe, dum citat diſtinctione 12. quæſt. 3. art. 3. cum eo loco quærat vtrum Chriſtus ſumpſerit ſibi & diſcipulis corpus ſuum impaſſibile: Amadæus hoc erratum negligentiâ effugit, relato Soti nomine, nullo citato loco, quo id doceat,

Verùm si attendisset ad dist. 17. quæst. 1. art. 7. concl. 4. comperisset eum ab hâc propositione dissentire, & peccati mortalis damnare suscipientem Sacramentum, venialis administrantem.

Secundâ Propositione, ex Layman asseruntur fœminæ ingredientes Monasteria Monialium, nec peccare mortaliter, nec excommunicationem incurrere. Eandem habet Aquilar Propositione 24. excusant verò à peccato, & eximunt ab excommunicatione huiusmodi ingressum ex Gregorij XIII. & Pij V. decretis in eas tantùm fœminas latis, quæ ad huiusmodi ingressum prætexunt priuilegia: quamuis expressis verbis Pius V. hanc pœnam statuat in fœminas, quocumque prætextu ingredientes. Laudo Amadæum, qui Rodriguez cauillum improbat hanc declarationem non esse authenticè promulgatam.

Tertia Propositio, etiam leuioris est momenti. Ea verò apud Aquilar 65. ex Fagundes permittitur Religiosis ad alendos parentes, in graui necessitate constitutos, vbi claustro eâ de causâ recesserint, habitum dimittere, si nequeant decenter eo induti opera seruilia exercere, quibus omnino incumbendum est, vt egenis parentibus succurrant. Hanc propositionem tutantur exemplis Religiosorum, qui habitu occultato, aut dimisso, versantur ex dispensatione Apostolicâ inter hæreticos; vt illorum saluti consulant. Si par sit necessitas aut ratio, quæ id factum honestet, qualis est versantium in regionibus hæreticorum; nullus Thomistarum ab hâc propositione dissentiet: sed non immeritò timent, & cauendum monent, ne citra similem causam habitus dimittatur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Examen 3. Proposit. de Clericis digladiantibus, de interficiente veneno Clericum, de exhibente arma ad inuasionem Clerici, & confirmatio Proposit. 44. ab Alexandro VII. damnationis.

GRauioris sunt momenti, quæ supersunt ex hoc Tractatu Propositiones tres: quarum priore ex Fragoso eximuntur ab excômunicatione Clerici qui sese districtis

gladiis inuadunt, & animo hostili plures sibi intentant ictus; sed nullum aduersario infligunt vulnus: Propos. 5. ex Aquilar immunis ab excommunicatione pronuntiatur, qui Clericum veneno, infuso potui, aut cibo interficit. Has propositiones sumpsit Amadæus ex 78. & 79. Aquilar & iisdem artibus vterque defendit: Canonibus prohiberi excommunicationis pœnâ, violentas Clerico manus inferre, quod longè abest ab illo qui ex insidiis veneno Clericum perimit, vel impetit armis, intercepto ictu: & hoc probat Amadæus verbis Caietani ex Summâ *Titul. Excommunicatio*.

Sed quis non videat, hanc interpretationem, manifestam esse Canonum corruptelam, & à scopo quem spectat enormem exerrationem, confirmatam falsò ascitis Caietani verbis? Quis enim neget his Canonibus caueri immunitati Clericorum, ab omni vi & iniuriâ, qualis etiam ex Caietano inferretur, *digna excommunicatione ex iniectione pulueris, sputi, aut aqua, vel extorsione rei quam pra manibus haberet Clericus*? Et post ista volunt etiam ex mente Caietani, immunem ab excommunicatione, eum qui hostili animo, millies Clericum totis viribus, enixus sit gladio confodere, & pluries disploserit in illum sclopetum, vel clam veneno sustulerit; quasi violentæ manus, magis prohibeantur Canonibus, quàm mors violenta?

Cæterum quod refert ex Caietano, excommunicationem non esse latam, *nisi ictus pertigerit ad Clericum*; fraude non caret. Tractatio de excommunicatione, est apud Caietanum longissima, & diffunditur vltra Summarium per 76. capita, nec locum, nec numerum annotat, quo extent verba relata, ne plagium deprehendatur. Certè sicubi hæc scripsisset Caietanus, legerentur cap. 10. contra manus violentas: illud legi, & relegi, & nihil horum verborum reperi: Ergo commenta sunt. Nec meliori fide, aut magis ad propositum refertur Serra 2. 2. quæst. 62. art. 7. dub. 1. hoc solum differt à priori fraude, quod hæc sententia non affingatur Serræ, nisi quâdam leuissimâ coniecturâ.

Propositio 6. Propositio sexta ex Hurtado apud Aquilar 75. ab irregularitate eximit illum, qui arma concedit Petro, certus, aut ad minus timens, illa peti ad homici-

dium, si absit animus occidendi. Amadæus post Aquilar negat id asserere Hurtado; cum tamen disp. 2. de irregularitate hanc opinionem adeò validis dicat à se argumentis confirmatam; vt vix aduersa opinio defendi possit. In præsidium etiam huius opinionis, vocat Aquilar Ledesmam, & Amadæus Caietanum 1.2. quæst.4.art.4. vbi nihil minus quàm de subiectâ quæstione; sed an fides informis euadere possit in formatam, disputatur: fortè deceptus quæstionem 4. pro 3. superiori apposuit, vbi cum S. Doctore agit de signis, quibus occultatur fides; & subinde differit de his, quæ vendi possint Infidelibus, citra vllum infidelitatis consortium: & eò loci docet Caietanus venenum non posse vendi ab eo qui conscius sit de malo vsu futuro; nec arma tempore belli iniusti.

Arguit Amadæus Caietanum inconstantiæ, & asserit ægre posse reddere rationem; cur quis teneatur impedire præuisam mortem corporalem, non verò spiritualem: vtramque sine dubio, immò magis mortem animi, quàm corporis Charitas iubet arcere & prohibere. Sed longè dispar est vtriusque, cum rebus quæ venduntur, connexio: mors corporis per se coniuncta est cum veneno, & cum armis, ad homicidium tantùm quæsitis & comparatis; ac proinde nunquam licet vendere, conscio huiusmodi mala certò secutura: mors verò animi accidentario, & ex malitiâ ementis, adiungitur rei per se indifferenti, ad bonum & malum vsum. Quare licet vendere, si tantùm accidentariò iuncta sit cum morte animæ; nunquam verò, si ex illâ per se consequatur mors corporis. Eandem difficultatem, alio loco ex Caietano soluimus de ebrietate: vbi hanc regulam statuimus ex Salmanticensibus, malam esse consequentiam necessitatis ab intrinseco & per se ad necessitatem extrinsecam & rei aduentitiam. Hæc habuimus scribenda pro defensione Religionis contra 7. Amadæi Tractatus.

Ad istud caput pertinet damnata Propositio 44. quæ ita habet: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, eiusque contumaciâ cessante, cessant Censuræ.* Ad legitimam huius Propositionis, & quâ configitur, damnationis interpretationem distinguit Nicolaus *Dubois* num. 694. ex Giballino duorum bonorum spiritualium genera; quædam singulis sunt interna, vt gratia, & habitus supernaturales Charitatis,

tatis, aliarumque virtutum infusarum quibus meremur, satisfacimus; & huiusinodi bona certum est restitui pœnitentia excommunicati, antequam accedat absolutio Ecclesiæ. Alia sunt spiritualia omnibus communia, vt sacramenta, Spiritualis Iurisdictio, publicæ satisfactiones, & preces quibus priuat excommunicatio: & Censura Pontificis asserit cessante contumaciâ non restitui secundi generis bona, nisi accedat absolutio Ecclesiæ: hâc vnâ distinctione perstringuntur quæ ex diuersis Canonibus refert: singularis eruditionis est ille Innocentii III. *in caput* 28. vbi ita differit sanctissimus & eruditissimus Pontifex, à nobis est sæpe quæsitum, *Vtrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus, & vtrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à Fidelibus sit orandum? Nos igitur consultationi tuæ breuiter respondemus, quod iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: Iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum; vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: Et qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissoluitur: Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat, quem prius Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit post modum soluere suscitatum. Vnde quantumcuque se quis iuramento præstito), quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit: quantacumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentiâ per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Quid verò conferat absolutio excommunicationis mortuo impartita, satis monstrat formula, quâ confertur, his verbis: *Quare sic vobis visum fuerit, vobisque de prædictis N. viuentis pœnitentiâ per euidentia signa constiterit,*

vt eundem ſic defunctum, dummodò illius hæredes iniuriam paſſis, quibus ille, ſi viueret, occaſione præmiſſorum ſatisfacere teneretur, prius competenter ſatisfaciant, vel per eos non ſtet quominus arbitrio veſtro ſatisfaciant competenter. in eo quo tenentur ab excommunicationis ſententiâ, quam propter præmiſſa incurrit. abſoluere in formâ Eccleſiæ conſueta, & in foro Eccleſiæ tantùm licitè valeatis ad effectum dumtaxat, pro illius animâ publicæ & priuatæ orationes, ac preces fieri, eiuſque corpus Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poſſit facultatem concedimus. Vltra hoc viuentibus confertur communicatio Sacramentorum.

DISPVTATIO III.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

HÆC est tertia & suprema classis Virtutum Theologicarum, quas ab aliis distinximus, maiori ad Deum accessu. Triplex enim est gradus cognationis Virtutum cum Deo, infimus & remotissimus earum quæ affectus moderantur, & aliquam boni honesti speciem spectant vt obiectum, & quærunt vt finem proximum; nec in Deum tendunt, nisi relatione communi, quâ omne genus boni fertur in illum, vt communem & vltimum finem. Secundæ classis virtutes, vno gradu Deo propius accedunt, & licet aliquid creatum spectent vt obiectum, à quo speciem hauriant: illud tamen ex se se in Deum referunt vt finem vnicum & proximum; sicut explicuimus exemplo Marthæ, quæ cœnam parabat Christo. Virtutes Theologicæ *Vni necessario* adhærent: Deus illis est finis & obiectum: *illis omnia sunt vnum, omnia in vno vident, omnia ad vnum trahunt.*

Quis adeò arctâ cum Deo cognatione, ad illius sedem prouectas, non credidisset extra telum positas, & in *vultus Dei secreto absconditas*, effugisse flagellum linguæ Scriptorum, ex quorum propositionibus suum libellum Amadæus conflauit? Sed in has magis sæuiunt virtutes, quàm in cæteras inferiorum ordinum; & videntur omnes perimi,

validè absoluendi suos subditos à peccato, ab excommunicatione, & hæresi. Amadæus numero 2 huius Propositionis, paucis perstringit responsionem Aquilar, quâ Suarem excusat, cum primum opera sua in lucem edidit, id permissum fuisse regularibus Prælatis ex priuilegio Pii V. concesso Dominicanis, quod extat in Bullario Rodriguez fol. 590. & ex priuilegio Gregorii XIII. Iesuitis indulto: nunc verò extare declarationem Sacræ Congregationis 17. Nouembris anno 1518. editam, & ab Inquisitione Hispanâ receptam, cui omnino standum est. Nec aliud tradit Candidus Sacri Palatii Magister ab Amadæo relatus, dum ait, *saluo meliori iudicio sequendam esse sententiam negantem Prælatis regularibus ius absoluendi subditos ab hæresi occultâ*: quamuis inuitum trahat in opinionem affirmantem, ex alio fundamento apud me incerto, nempe Superiores regulares eâdem in subditos facultate gaudere, quam habent Episcopi in suos; decreto Tridentini, quo conceditur illis facultas absoluendi subditos ab hæresi occultâ; nec eam putant regularibus negandam, plures quos citat Amadæus, Theologi diuersorum Ordinum. Hos suspectos habeo, nisi constet voluntas Summi Pontificis, à quo vno ea facultas concedi potest Religiosis.

Tertia Propositio ex Bauni apud Aquilar 18. est accessio ad Superiorem; quâ Prælatis regularibus facultas conceditur absoluendi ab hæresi occultâ, nedum subditos, sed etiam Laicos quoscumque. Meritò conqueritur Amadæus, hanc propositionem adscriptam Bauni; quia re verâ non concedit hanc facultatem Prælatis regularibus, nisi in commodum suorum: sed illam munit testimoniis Crousers & Bruni Franciscanorum, & ex illis hoc argumento Prælatis regularibus probatur concessa ab Vrbano & Sixto IV. facultas ab his omnibus absoluendi, à quibus iure possunt Episcopi. At Theologi plures agnoscunt à Tridentino Concilio assertam Episcopis absoluendi ab hæresi occultâ potestatem: Ergo id possunt Prælati regulares. Immo addit Amadæus ex Basseo Capucino, & Leandro Præposito Generali Ordinis Trinitatis, non fuisse reuocata priuilegia, vi quorum Regulares poterant absoluere ab omnibus casibus Papæ reseruatis; dummodò occultum sit peccatum, quibus facilè non assentiar, cum

decretum Vrbani VIII. aliud ferat: & iis reuocandis sufficere existimo decretum Pontificium ad valuas sancti Petri affixum. Neque enim nobis, qui tuta, non probabilia sequimur & consulimus, licet eorum cauillis vti, qui dicunt huiusmodi priuilegia titulo oneroso propter obsequia præstita, Sedi Apostolicæ concessa, non posse sine causâ reuocari, quo titulo Ecclesiæ Gallicanæ immunitates nonnulli tutantur, multo sanguine, & infinitis expensis bello sacro comparatas. Ego sanè nollem ex illo titulo oneroso Regularium priuilegia mordicus seruare; si de reuocatione Pontificiâ constet; quia ab vnius Pontificis, non solum authoritate, sed etiam arbitrio pendere existimo, & esse religiosæ humilitatis, vbi omnia in Sedem Apostolicam officia impleuerimus, *nos seruos inutiles profiteri*; & si quibus immunitatibus fruamur, non nostris meritis, sed liberalitati Pontificum acceptas referre: & si nos velint subiici Ordinariis, nullâ morâ esse parendum, & cauillos *tituli onerosi*, *aut promulgationis* ad reuocationem decretorum non satis idoneæ esse procul abigendos. Præstat enim obedientiæ exemplum, quocumque priuilegio immunitatis, dubiæ aut controuersæ. Hanc etiam facultatem Regularibus assertam absoluendi ab occultâ hæresi improbat Amadæus num. 7. in iis regionibus, in quibus viget Tribunal Inquisitionis, ad quod iure pertinet absolutio ab hæresi occultâ.

Sed ad huius priuilegii iacturam resarciendam, videtur Amadæus 6. Propositionem ex Sanches statuere, ab Aquilar num. 7 deptomptam, ius Tribunali Inquisitionis assertum ab hæresi remittendâ, interpretandum esse de hæresi formali: eo verò non contineri fautores & defensores hæreticorum, quos proinde ab hoc crimine, & ab excommunicatione inde secutâ, possint Regulares absoluere. Hanc interpretationem munit vterque, testimoniis multorum Theologorum, etiam Candidi, Caietani, Soti, & Serræ ex Thomistis: sed vix tutam faciunt tot patroni contra Inquisitorum ius, qui iubent ad suum Tribunal reuocari causam, eorum qui non solum hæreseos rei sunt, sed etiam quâcumque ratione illi fauisse visi sint, idque etiam ego tutius existimo.

Quamuis prima nostræ Ethices editio antecesserit censuras Pontificias, illis tamen omnino consentit, & videtur

occupasse quidquid de huius paragraphi argumento sanxit Pontifex damnatione tertiæ, quartæ, & duodecimæ propositionis.

Quod ad priorem attinet, Basseus asseuerat in consistorio sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visam & toleratam anno 1619. 18 Iulii, fuisse sententiam, asserentem Bullâ Cœnæ solum prohiberi absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id derogare Facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est. Assertio Bassei ad quæstionem facti pertinet, & malè illam probat vno à se repetito testimonio, quæ tamen eò efficacius erat confirmanda, quò grauior contra vrgebat præsumptio ex verbis Bullæ Cœnæ, quibus *omnes & singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, cuiuscumque sectæ existant, eorumque receptores*, &c. excommunicat; additque à prædictis sententiis, *nullus per alium quàm Romanum Pontificem, nisi in articulo mortis, cautione præstitâ, se Ecclesiæ mandatis statutum, absolui possit; etiam prætextu quarumuis facultatum & indultorum: exclusâ etiam facultate absoluendi per cuiuslibet Concilij decreta*: quare Bassei assertionem damnat Pontificia Censura.

Ex iisdem principiis configitur quarta Propositio, *Prælatos regulares posse in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ.* Hanc assertionem defendit idem Basseus, eamque saltem in Angliâ, Germaniâ, & Galliâ valere censet Tho. Hurtado; Munitur à Brunone Chassaing aliquot argumentis quæ conuelluntur verbis Bullæ Cœnæ relatis: *nullum ab huiusmodi sententiis, per alium quàm Romanum Pontificem absolui posse prætextu quarumuis facultatum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, etiam Episcopali dignitate præditis*, per nos & dictam Sedem, in genere vel in specie concessorum ac concedendorum. Bulla verò loquitur de hæresi occultâ, non quidem purè mentali, in quam nulla cadit censura; sed quæ in actum aliquem externum prodierit, licet semotis arbitris; illa enim manifestatio sufficit, vt obnoxia esse possit censuræ Ecclesiasticæ.

Eodem spectat ordine duodecima hæc propositio, *Mendicantes posse absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.* Præter Basseum &

Chaffaing, aliosque citatos, assertionem defendunt Alexander ab Acrioftis, & Auersa, sed variè explicatam: Primus censet regulares non posse absoluere à casibus, qui in iure reseruantur Episcopis, sed ab iis quos sibi retinent: Alter verò docet absoluere posse à casibus Episcopo reseruatis iure communi, non ab aliis. Emmanuel Rodriguez contra, iis distinctionibus reiectis, dat plenum ius absoluendi à casibus quâcumque ratione reseruatis. Præcipuum quo suam opinionem muniunt, argumentum repetitur à Bullâ Pauli III. quâ Patribus Societatis concedit *facultatem, confessionibus diligenter auditis, Fidelium ad se vndequaque accedentium, ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, &c. quantumcumque enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibusuis ex ipsis casibus resultantibus sententiis & censuris, & pœnis Ecclesiasticis, (exceptis censuris ex Bullâ Cœnæ) absoluendi, atque eis pro commissis pœnitentiam iniungendi.* Et cum decreto Vrbani VIII. hæc priuilegia reuocentur, respondent relati Theologi esse tantum sententiam Doctorum à Pontifice approbatam, quæ nec sit lex, nec edita ad modum legis, nec habeat clausulam reuocatoriam abrogandis huiusmodi priuilegiis etiam in Pontificum Bullis necessariam, ac proinde ad summum habere vim sententiæ priuati Doctoris. Inter hos Authores qui stant pro priuilegiis regularium Nicolaus *Dubois* accenset ex Patribus Societatis Tamburinum Palaum, Suarem, Bauni Præpositum, Becanum qui ad minus probabilem censent.

Sed contra vrget censura Pontificia in eam propositionem ordine duodecimam lata, quam fusè confirmat Nicolaus *Dubois* à numero 136. vsque ad numerum 161. Tota vis argumentorum sita est in principiis à nobis positis eam facultatem Religiosis concessam præter ius commune merâ liberalitate Pontificum, quæ abrogetur, vbi primum constiterit esse eâdem authoritate reuocatam. Quâ de re vix dubitandi locum reliquit Concilii Tridentini mens explicata definitionibus Congregationis Cardinalium Concilii Interpretum, cui tandem accessit censura Alexandri VII. quartam damnantis propositionem, quæ post Tridentinum Regularibus afferebat facultatem absoluendi à casibus Episcopo reseruatis: Equidem Concilium sess. 14. Can. 11. anathema pronunciat in eos *qui negant*

Episcopos habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam Et fusius sess. 14 cap. 7 hanc ex Ecclesiæ Traditione perpetua grauiorum criminum absolutionem à summis Sacerdotibus & ab Episcopis demonstrat esse semper vindicatam extra articulum mortis : quo excepto monet, *Cum Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis, id vnum persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos Iudices, pro beneficio absolutionis accedant.*

His Trident. verbis qui pro Episcoporum iuribus pugnant, sublata censent priuilegia Regularium. Sed citati à nobis Theologi respondent nihil ea Concil. decreta obesse Regularibus, quia in illis desideratur clausula reuocatoria semper apposita quoties alia priuilegia abrogantur, ac proinde nihil istis obesse: respondert potest derogationem expressam vtilem aut necessariam esse, si dubia sit mens & voluntas Legislatoris: si verò comperta sit, nulla singularis apponenda est reuocatio; vndenam verò constat eam fuisse sententiam Concilii; à Congregatione Cardinalium constituta interpretando Concilio Trident. cuius proinde sensum certius ab ipsis quàm à priuatis Doctoribus nosse & inuestigare nos oportet, & si quod superesset dubium, sublatum est Bullâ 94. Pii IV. quæ incipit : *In Principis Apostolorum*, eâ, reuocantur omnia priuilegia Concilio Tridentino aduersantia, aut per illud declarantur reuocata; quo loco manifestum est Pontificem non agere de illis solis priuilegiis, quibus expressè & nominatim concilium derogat, quia esset quoad illud caput, omnino inutilis & superflua. Tandem omnem tergiuersandi locum excludit postrema Alexandri VII. censura, quæ decretum decessoris Vrbani VIII. confirmat, & inuictum facit.

Paragraphus Secundus.

De Confessariis sollicitantibus ad res venereas, & de Hæreticis denunciandis.

De primo crimine extat Bulla Gregorii XV. seuerissima, quam Amadæus Propositione 8. & Aquilar Propositione 7, asserunt receptam non esse in Hispaniâ, licet

certum sit fuisse Romæ promulgatam, & ad valuas Apostolorum affixam; quod satis esse diximus ad legitimam promulgationem: vnde non audet excusare Aquilar Castrum Palao huius assertionis Authorem, nisi ratione temporis, eo scilicet quo scribebat, non fuisse receptam, quamuis modo obtineat.

Nec diuersa est defensio Propositionis 9. apud Amadæum, & 11. apud Aquilar, Confessarium in hanc Bullam non incurrere, si inter confitendum tradat pœnitenti epistolam amatoriam; & miro cauillo idem P. Ito factum excusat: quia traditio epistolæ, non est inductio pœnitentis ad rem veneream, nec pœnitens tum mouetur; sed cum absolutâ confessione epistolam legit. Verum hæc est vitilitigatio, quâ Pontificiæ constitutioni illuditur; nec illi etiam fidit Aquilar, aut satis idoneam putat ad excusandum Palaum, à quo dicit insinuatam esse & iudicio Lectoris permissam, non probatam. Sed hæc fraus est multo peior ipso cauillo, frequenter tamen à plerisque vsurpata, vt obseruant Salmanticenses Appendice ad Disput. 10. de Peccatis, multisque exemplis probant, nonnullos tentasse inducere opiniones aliquâ ratione fucatas: & vbi senserunt improbari, posterioribus editionibus, aut eiusdem editionis diuersis exemplaribus retractasse, aut omnino submouisse, vel protestatos se Lectoris iudicio reliquisse examinandas, quod periculo & fraude non caret.

Eâdem arte defenduntur duæ aut tres de Hæreticis, aut Confessariis sollicitantibus accusandis, vel denunciandis Propositiones ex Fagundez. Huius generis est 4. apud Amadæum, & 5. & 6. apud Aquilar, nullum teneri deferre ad Tribunal Inquisitionis hæreticum, aut Confessarium sollicitantem: maximè, si inde graue damnum timeatur, vel deficiant probationes. Fagundez excusat vterque, primo quod ea propositio non extet in editione Lugdunensi 1632. Ita est, sed arte factum fuit, quia metu censuræ erasa est, quamuis primæ editioni fuisset inserta: imò excusabat pœnitentem non denunciantem, futili cauillo: Bullam Pontificiam in eos latam, qui in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in sacramentali confessione abuterentur: *Abusus autem*, inquit Fagundez, *frequentiam actuum dicit sicut & vsus*: vnde

infert; *Ergo non sufficit semel sollicitasse*, vt quis peccet contra hoc præceptum: quasi qui hoc tantum vnâ vice tentarit, immunis sit à sacrilego huius Sacramenti abusu. Ita verò huic opinioni, à quâ illum excusant Amadæus & Aquilar, mordicùs adhæret, vt ausus sit concludere, *tam solidis fundamentis niti, & tam expressè mentem Legislatoris videri continere, vt illi contradicere videatur audacia*.

Nec sincerius agunt, cum Serræ testimonium aduocant ex 2.2. quæst. 68. art. 1. dubio 1. nam eò loci cautissimè loquitur Serra, præmissâ distinctione denuntiationis ab accusatione, quas hoc ait differre, quod denuntians non teneatur probare, quod denuntiat: inde concludit, si quis non possit probare crimen; nec subinde debeat accusatoris partes suscipere, teneri denunciare. Vnde tandem concludit, in his casibus pertinentibus ad Tribunal Inquisitionis hæreseos, & sollicitationis in confessione, denuntiationem esse faciendam, etiamsi delator, nequeat crimen probare: nam in odium hæreseos & sacrilegii, & metu damni, quod inde impendet, abrogatur ius illud commune, ne quis accuset, aut deferat cuiusquam crimen, cuius aliquâ infamiâ non laboret.

Hoc paragrapho prælusimus, & viam muniuimus censuræ Alexandri VII. latæ in propositionem ordine 5. quæ ita habet: *Quamuis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Eodem spectat damnatio insequentis propositionis 6. *Confessarium qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam; in quâ ad venerem incitet, non censeri sollicitasse in confessione, ac proinde non esse denunciandum.* Huius appendix est ordine 7. quâ aperitur modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, nempe *si sollicitatus confiteatur sollicitanti, & hunc posse ipsum absoluere absque onere denunciandi.*

Omnium censurarum vis, repetitur ex duplici capite, nempe ab immanitate horum criminum; quæ cum maximè noxia sint, quâcumque fieri potest ratione, curanda sunt & cauenda; & à discrimine quod inter denunciationem & accusationem intercedit à nobis insinuatum, & ab Innocentio III. in cap. 16. de accusatione constitutum; *Tribus, inquit, modis valet crimen opponi, denunciando,*

excipiendo, & accusando. Ad denunciationem non est necessaria inscriptio, sed ad accusationem inscribi oportet. Caussam differentiæ eò refert, *quod denunciatio ad correctionem, accusatio ad depositionem, seu ad pœnam instituatur.* Ideo non magis à denunciante quàm à teste exigenda est alia probatio, quàm culpam sibi visu, aut auditu compertam esse. Hinc conuelluntur argumenta quibus munitur prima propositio damnata, nempe *sufferenda esse aliorum peccata, & tacenda; quia sæpe deseruntur à publicis documentis, quibus ea quæ ipsi scimus, Iudicibus probare non possumus.* Sed contra stant, quos longo ordine refert Nicolaus *Dubois,* Theologi Societatis, vnicâ hâc ratione, quod Canones & summi Pontifices exigant denunciationem hæresis, & sollicitationis sacrilegæ Confessarii ad res venereas intra pœnitentiæ iudicium; nec illicitâ fit inopiâ probationum, quia negotium non suscipitur publicè per modum iudicii ad pœnam, sed priuatim ad correctionem, sicut indicitur Matth. 18. & Leuitic. 5. *Si peccauerit anima, & audiuerit vocem iurantis; testisque fuerit, quod ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem.* Nec huic censuræ obsunt Canones Concilii Vasensis & Africani relati causa 6. q. 2. his verbis: *Caueat Episcopus ne dicat in quemquam, quod aliis documentis conuincere non potest:* Is enim Canon prohibet, ne Episcopus ex priuatâ scientiâ quemquam excommunicet, aut ab aliorum arceat consortio.

Sollicitatio ad res venereas intra Tribunal pœnitentiæ peracta, hæresi accensetur constitutionibus Pii IV. Pauli V. Gregorii XV. vt perinde sit denuncianda ab iis quibus comperta fuerit, etiamsi non suppetant probationes, & validè munitur censurâ propositionis 6. & 7. priori à crimine sollicitationis sacrilegæ, & subinde à denunciatione eximuntur, qui pœnitentem epistolâ amatoriâ intra Tribunal pœnitentiæ traditâ, sed alio loco legendâ ad turpia excitant. Sed Pontifex statuit eo crimine illos teneri, ac subinde esse denunciandos. Litem mihi mouet grauem huius propositionis examine Nicolaus *Dubois,* quasi Castropalao inuitum ad propositionem damnatam impulerim: accusationem depuli præfatione ad nouam editionem.

Inexcusabilior est & censurâ dignior 7. Propositio,

quam Thomas Hurtado ait non improbatam fuisse à Petro Lorca, & à quibusdam suæ Congregationis Clericorum Minorum Theologis; sed planè improbabilis est modus ille eximendi sollicitatum ad turpia ab onere denunciationis solâ confessione factâ sollicitanti. Quâ enim ratione potest aufferri illud vinculum? Vel sollicitatus sollicitantem absoluit, vel conuersim sollicitans absoluit sollicitatum à denunciatione faciendâ: primum dici nequit, quia tunc in sollicitatum non cadit absolutio, qui eo vinculo ligatur; neque enim quisquam absoluit seipsum: remanet ergo sollicitatus eodem vinculo ligatus. Neque etiam dici potest secundum, quo sensu propriè damnatur assertio; quia absolutio Sacramentalis non cadit in sollicitationem actiuam Confessarii, cuius denunciatio indicitur pœnitenti, sed solum in consensum sollicitationi datum, ad cuius denunciationem citata Pontificum decreta non obligant, nec possunt. Neque enim seductum, sed potius seducentem indicunt denunciandum: ergo ineptè obtruditur confessio sollicitati, & sollicitantis absolutio, quæ nihil ad rem facit, cum instituta sit ad remittenda peccata pœnitentis, non ad dissoluendum vinculum iniunctæ denunciationis.

Articvlvs Secvndvs.

Examen sex Propositionum.

Alias colligit Amadæus propositiones quæ obliquè fidem petunt.

Paragraphvs Primvs.

De quarto loco Animarum.

Hvius generis est 7. ex Bellarmino lib. 2. de Purgatorio c. 7. & est octaua apud Aquilar: ea verò ex quâdam reuelatione relatâ à Beda l. 5. historiæ c. 17. quam videtur non improbare Gregorius l. 4. Dial. c. 36. & à Dionysio Cartusiano defenditur, quartus locus animarum ab Inferno, Paradiso, & Purgatorio seiunctus constituitur,

veluti quoddam pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnissimum, in quo animæ expertes visionis Dei degunt, velut in Purgatorio mitissimo, & carcere se-natorio atque honorato.

Ad hanc Propositionem impugnatam à Maluenda capite 92. refellendam sufficit censura Suaris Tom. 4. in 3. partem disp. 46. sectione 1 vbi pronuntiat, *esse contra communem sensum Theologorum, & à veritate, atque à mente SS. Patrum alienam.* Addo etiam esse periculosam: inde enim prodiit Ludouici Enriquez liber hoc titulo, *Entretenimiento de los Santos en el cielo*, sui Prouincialis suffragio munitus Salmanticæ 1631. vbi Author refert de statu Beatorum similia iis, quæ Mahometus in suum paradisum inuexit: Beatorum quemque suam domum, Christum verò Palatium magnificum inhabitaturum, Angelos mundo muliebri ornandos, balnea non defutura, quibus indiscriminatim, mulieres pueris & viris permixtæ abluantur, & se visendas, osculandas præbeant, & alia his similia leguntur, quæ pudor iubet tacere.

Videat Amadæus, an post ista, possit iustè instaurare accusationes in Canum, & in Sotum. Diatribas de immunitate Cyriacorum scriptas, puto eo animo huc transtulisse, ne vllus esset locus dubitandi, non ab eodem Authore opus exaratū fuit, saltem prodiisse à duobus eodem in nos animo comparatis apparet. Sed non immoror his calumniis refellendis, quia id abunde præstitum est duabus Apologiis contra Diatribas Raynaudi.

Non occurrit locus opportunior, quo referri possit propositio ordine 43. inter damnatas, quæ ita habet: *annuum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per decem annos.* Suspicor propositionem censuræ Pontificiæ eo consilio subiectam fuisse, vt notaretur Dominici Soto singularis opinio à cæteris Thomistis & Theologis reiecta, animas in Purgatorio nunquam ad viginti annos, nec vltra decennium detineri: vnde videtur consequi damnata propositio, legatum annuum pro animâ relictum, non durare plus quàm *per annos decem.* Non credo istud consilium latuisse Nicolaum *Dubois*: quare eius candorem & bonam fidem laudo, quod ratus malè in Sotum susceptam hanc accusationem, examine huius censuræ dixerit; *se neminem hactenus inuenisse, qui propositionem damnatam doceret.* Et

reuera ita est: quia datâ etiam opinione Soti ad decennium pœnas animarum in Purgatorio definientis, non sequitur quod sibi quis reliquerit annuum legatum eo tempore exacto propterea desiturum. Nam præter quod (vt eruditè obseruat idem Author) ex vtriusque iuris constitutionibus, legatum Reipublicæ, aut Ecclesiæ relictum, vt in defuncti memoriam aliquid fiat, perpetuum est: statuitur, si memoria testatoris in loco designato non possit celebrari, in alium locum transferri oportere. Mens igitur legatum relinquentis ad sui leuamen est, cum sibi non fuerit illo opus, vt aliis impendatur ex cognatis & amicis quibus prodesse possit: atque ita stante opinione Soti de pœnis animarum decennio finiendis, non sequitur legatum pro animâ relictum vltra decennium durare & protendi non posse.

Paragraphvs Secvndvs.

De D. Ignatio, & eius exercitiis.

VNdecima propositio, est apud Aquilar 28. quam Esclapes dicebat 1. editione Ioannis Eusebij libelli de amore Iesu & Mariæ extare, & posterioribus sublatam esse: Eâ verò sanctus Ignatius dicebatur, *maiorem quam D. Paulus, prudentiam spiritus assecutus, & si Apostoli hac tempestate degerent, eumdem quem Societas, viuendi modum amplexarentur.* Vterque Apologista meram calumniam esse aiunt; sed qui respondet Aquilar Franciscus à Pietare testatur, sibi à fide digno assertum, hanc propositionem primæ illius libri editioni insertam; & cùm scandalo esset, exemplaria illius editionis omnia summâ curâ fuisse occultata, & aliam editionem susceptam, erasâ illâ propositione.

Sed Amadæus hac Aquilar responsione, quâ depellitur accusatio, non contentus, duas de immunitate Cyriacorum calumnias, vnam in Nicolaum Iansenium, de ingressu Pauli in scholam S. Thomæ; & alteram in Franciscum Combefisium de eodem Paulo, D. Petro indiuiduè iuncto in Sede Romanâ, scriptas, hîc instaurat, vt agnoscamus consensum huius opusculi & de immunitate Cyriacorum alterius, Authorum, & vtrumque opus eodem in

Dominicanos non admodum æquo animo fuisse scriptum.; sed vtraque calumnia duabus Apologiis validè confutata est. Et, sane nescio, an plus ineptiæ resipiat quàm malignitatis: quasi Paulus D. Thomæ scholam dictus sit à Nicolao ingressus fuisse, potius vt Discipulus, quàm vt Magister, à quo ex historiâ S. Thomæ habemus multa didicisse mysteria. Quod ad P. Combefisium attinet, non minus aperta, quàm superior calumnia est; neque enim Paulum Petri consortem facit potestatis ordinariæ, cui successerint Pontifices Romani, sed sapientiæ, & palmæ martyrii, atque illius gloriæ, quæ in Ecclesiam Romanam, ex vtroque Principe Apostolorum redundauit.

Duodecima propositio etiam deprompta est ex Aquilar 29. seu potius ex libro primitiuo exercitiorum S. Ignatii, quâ illustris ille Patriarcha Societatis videtur innuere, maioris esse perfectionis, animum habere indifferentem ad exequendum quod Deus reuelarit, quàm determinatum, ad id quod Euangelium nos docuit: vterque ad bonum sensum trahit hanc propositionem, & *Sanctissimi parentis verba*, ait Amadæus, *adeò perspicua esse, vt nesciat, cui calumniam vertat; ignorantia, an malitia? Cum tantus Magister non contumeliosis verbis deiici, sed potius iis laudibus extolli deberet, quibus Hieronymus afficit Augustinum Epist. 25. Macte virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiqua fidei venerantur, & quod signum maioris gloria est, omnes haretici detestantur.*

Harum Augustini laudum participem D. Ignatium volo; sed non aduertit Amadæus, se eâdem propositione ita agere in D. Ignatii calumniatorem, vt iustam præbeat hæreticis ansam de se, & de Catholicis omnibus, si ipsi assenserint, expostulandi. Contendit enim, hoc citra hæresim non potuisse obiici libello exercitiorum S. Ignatii probato Bullâ Pauli III. post examen Cardinalis Burgensis, Episcopi Salutiarum, & Ægidii Foscarii, quibus curam legendi, & probandi libelli iniunxerat summus Pontifex; eâ verò probatione Pauli, non putat magis licere quidquam huic libello obiici, aut ex illo reuocari in dubium, & minus probari, quàm libris Scripturæ Canonicis, vt videatur paris facere authoritatis. Hoc si intelligant hæretici, criminabuntur Catholicos singulis diebus librorum Canonicorum

Canonicorum numerum augere, eóque prouehi, quotquot præfixam habuerint Pontificiam approbationem; quod citra ludibrium Ecclesiæ Catholicæ nec dici potest, nec cogitari.

Desidero etiam in Amadæo æquum & gratum animum: si quæ occurrat occasio grauandi Dominicanos, nusquam patitur elabi, sed nomen & familiam diligentissimè designat, vt inurat notam aliquam; tacet verò & occultat Dominicanæ Familiæ nomen, sicubi locus sit comprobandi nostrum de omnibus, maximè de Societate bene merendi studium. E tribus Censoribus Pontificiâ authoritate præfectis examini Exercitiorum D. Ignatii, duò erant Dominicani, nempe Ioannes Toletanus Cardinalis, & Episcopus Burgensis, & Ægidius Foscarius Episcopus Mutinensis, Author Catechismi Romani, & Corrector Missalis ac Breuiarii Romani, quem Sixtus Senensis vocat *omnium Episcoporum sui temporis eruditissimum atque sanctissimum.* Is ille est tantopere laudatus in historiâ Bartholomæi à Martyribus nuper Gallico idiomate editâ, & omnium applausu exceptâ: tantâ non solum professionis, sed etiam sanctitatis cognatione, Bartholomæo simillimus, vt quo primùm die licuit se visere, non minus arctâ amicitiâ coniuncti sint, quàm si à decennio conuixissent: & Ægidium hoc nomine sibi Bartholomæus anteponebat, quod mille nummorum reditibus, plura molitus sit, & effecerit in subsidium pauperum, quàm ipsemet Bartholomæus in pauperes effusissimus, decies locupletiori sacerdotio. Sed quid attinet illius viri in omnes eximiæ charitatis argumenta longius repetere, cum ipsummet examen Exercitiorum S. Ignatii luculentissimum sit illius sanctitatis testimonium? sic enim primâ Exercitiorum approbatione fatur amantissimè: *Non poterunt tam sancta exercitia non maximum commodum præstare cuilibet studioso: ideo obuiis etiam vlnis amplectenda sunt*; & secundâ probatione post eximiam commendationem vtilitatis harum exercitationum, ait, *procul dubio ex Scripturarum studiis, & longo rerum vsu natas esse.* En Dominicanos Vatiniano odio, vt vbique Scribit Raynaudus, in Societatem, eiusque Institutorem infensos.

Sed ad rem, & ad ipsius libelli authoritatem parem libris Canonicis assertam ab Amadæo, vt si quis dubitet de

Authore libelli, vel de quâlibet re illi insertâ, perinde hæreticus sit, ac si Euangelium calumniaretur. Verum hanc censuram non timent Patres Benedictini ex Monasterio S. Germani Parisiensis suburbii à prato, qui libellum Ioannis de Cisneros ex suâ Familiâ & ex Monte Serrato editum Barcinone anno millesimo quingentesimo trigesimo, sua bibliotheca seruant dono datum Caroli de Monrchâl nuper Archiepiscopi Tolosani, & Petri de Marca proximè successoris. Eo verò asserunt ad minus prima lineamenta & rudimenta contineri exercitiorum D. Ignatii, quæ exceperit, cum primùm apud Monserratum, rerum diuinarum & spiritualium peritiâ imbutus est sub Magisterio Benedictinorum, quæ ipse longo huius diuinæ scientiæ vsu absoluerit: atque illa Exercitia variis incrementis mutata esse, norunt qui Hispano & Latino sermone exarata legerunt, non minus inter se, quam à primis Ioannis Cisneros elementis diuersa: vt certa illa & Apostolica Traditio non potuerit illis authoritatem afferere, qualem vindicat Amadæus, vt reus sit hæreseos, quisquis non exceperit fide diuinâ, quæ illis continentur. Et cum toties aucta & mutata esse constet, non potest exigi ea fides & veneratio, nisi prius Amadæus compertum faciat, nihil illis additum, aut detractum, ex quo prodierunt munita Pontificio decreto: posset enim subesse fraus, si vt omnino eadem & prorsus immutata velit excipi, quamuis ad arbitrium multa inserta fuerint. Sed vt rem paucis absoluam, summâ veneratione excipiendum censeo librum Pontificiâ authoritate confirmatum, non tamen eodem loco quo libros Canonicos esse reponendum, & aliquantulum etiam minus certæ esse authoritatis, quod non sit omnino indubitatum eâdem prorsus formâ approbatum à Pontifice, quâ hodie editus est, & legitur.

Propositio 13. etiam ad Sanctum Ignatium pertinet 31. apud Aquilar ex Baesa Tom. 1. in Euang. lib. 2. cap. 7. paragr. 11. vbi hæc habet: *Si Ignatius collecturus Societatem, gladium exacutum relinqueret, saccum, cilicium, famem ostentaret, quoties hypocrysis notam incurreret? Verùm sapientior ipse gladius acutus, non hypocrytum imperium portans, pallio & calceis obtegit gladij duritiem.* Iste Author similis est omnino Scriptori anni sæcularis, & passim Narcissum agit, mirè sibi suisque canit cum modestiæ no-

xa, & aliquo etiam aliorum Ordinum vituperio. Quo sane vitio non caret hic locus: videtur enim obliquè non solum alios Ordines sugillare, qui seueriorem disciplinam, & maximum vitæ Christianæ rigorem profitentur, & præ se ferunt, dum hæc austeritatum insignia vocat *hypocritum imperium*; sed etiam in aliquam Christi offensionem incurrit, qui primum Apostolos ad prædicandum misit *sine sacco & calceamentis*.

Absit vt illius instituti professores patiar Baësæ assentiri: quod Pharisaico typho non careret, si ex vita communi, honestâ quidem, sed minus austerâ, quam profitentur, putarent se aliis asperioris vitæ studiosis anteponendos, hoc nomine, quod isti propius Ioanni Baptistæ austerissimæ vitæ cultori, eiusque Discipulis, illi verò Apostolis, Christoque accedant, qui vitam communem vixerit, & instituerit, nec dedignatus sit nuptiis interesse, & Pharisæorum conuiuiis. Alienissima est hæc cogitatio à viris modestissimis & religiosissimis: sed non dubito, quin aliquorum mentem subire possit; nec ab eâ longe aberat ille, de quo P. Nicolao Rodulphio Generali Ordinis Magistro referente audiui, in alliciendis ad suum institutum adolescentibus nobilibus & ingeniosis, adeò solerti, vt inde piscatoris cognomento donatus sit. Ille Patrem Rodulphium tum optimæ indolis, & maximæ spei, ac nobilissimæ familiæ, Collegii Romani conuictorem, hoc Baësæ argumento, veluti aucupio quodam conatus est deducere ad sui instituti delectum, quasi hoc nomine cæteris præstantioris, quod ad Christi exemplum, totum esset compositum, vno vitæ communis tenore, semotis ieiuniis, aliisque vitæ rigidioris exercitationibus: quibus cum alii Ordines attendant, id vnum lucrantur, vt antiquam legem magis resipiant quàm Euangelium, & Ioanni Baptistæ, eiusque Discipulis similiores sint, quam Christo, & Apostolis. Hoc ægerrimè se audiuisse testabatur P. Rodulphius, eoque se argumento magis deterritum, ab illo instituto suscipiendo; quia pati non poterat ad laudem & commendationem trahi, disciplinæ austerioris summè ad salutem necessariæ remissionem: & quasi adhuc adolescens senili prudentiâ polleret, iudicabat hâc te minus conuenire, nos Christum imitari, aut inde aliquam gloriam captare; nec posse etiam nos eximere ab hoc vitæ ri-

gore, nisi ab omni incentiuo peccati (quâ Christus innatâ potiebatur) immunitate, nos præuentos & donatos credamus: & ieiunii, aliarumque rigidiorum exercitationum studium conuenientissimum esse, iis *quibus ablatus sit sponsus*, & qui perpetuis experimentis sentiant, se spiritu quidem viuere ex iustificatione, corpore adhuc mortuo per peccatum, vel potius, heu nimium! viuaci ad libidinem & concupiscentiam, ieiuniis, lecto duro, aliisque macerationibus domando, quod verius Christi gratiæ quam *hypocritum imperium* in prauos nostros affectus dixero.

Paragraphus Tertius.

De Dominicanis Inquisitoribus.

PRopositio 12. apud Aquilar 30. ex Delrio, *Dominicanos è Tribunali Inquisitorum excludendos*, ait, *nec iure admitti posse in accusatores & testes, nec in Censores Librorum Societatis ad fidei causas*; vterque eâdem responsione propositionem excipit, & excusat Delrium nolle in totum Dominicanos exulare à Tribunali & foro Ecclesiastico; sed tantum cum de causis & Libris Patrum Societatis agitur, quod videantur apertum in illos odium profiteri. Iis addit Amadæus rerum vices mutatas, nec instaurato à P. Generali Dominicanorum stricto amicitiæ fœdere, fidem habendam Delrio, cuius Epistola ad Tomum de Magiâ hæc habebat iussu Præpositi Generalis expuncta: & modo Societatem *desiderare Dominicanos vt iudices & vt testes; nec vt accusatores timere*: Credo Amadæum sincere hoc scripsisse, sed contra stant Diatribæ de Immunitate Cyriacorum, quarum hic vnus scopus est, sicut & peroratio monstrat. *Dominicanos malos malè perdendos esse, & officiis quæ hæreditaria habent, & per quadringentos annos nunquam interruptâ serie seruarunt, omnino esse deiiciendos, aliisque, etiam sæcularibus tradenda, quasi agricolis, qui fructum ferant temporibus suis*; *Dominicanos verò sentibus & spinis Scholæ assuetos, domesticarum opinionum præiudiciis corruptos, totum orbem Christ annum exasperasse in Sedem Apostolicam, conflasse incendium Lutheranæ hæreseos, nihil denique non esse molitos, quo totius Ecclesiæ excidium luge-*

temus, nisi nos Deus respexisset, & mala auertisset, quæ his officiis per summam imprudentiam defuncti, aut per pravem malitiam abusi importarunt. Et licet in omnes tyrannidem exercuerint, in nullos tamen atrociùs sæuisse, quàm in suos. Hæc sunt sensa & vota Petri à Clausâ-valle, quibus certus sum æquiores, nedum ex aliis Ordinibus, sed etiam ex Societate viros nusquam assensuros esse: & cum Amadæus damnet, hinc suspicio primùm nata est, alium esse à Petro.

Paragraphus Quartus.

De Episcopali iure, quò reuocantur tres notatæ Propositiones.

Propositione 25. Quas Aquilar octo habet à 57. vsque ad 74. Propositiones in hanc vnam compegit Amadæus, vbi sic habet: *Plures Propositiones apud Indos defensatas contra potestatem Episcopi; super quibus condemnati fuerint ab Innocentio X. in Bullâ expeditâ die 14. Maij anno 1648.* Hinc intelligat Lector, Amadæum vbique secutum Aquilar, ab illo differre propositionum numero; quas enim habet supra centum triginta duas Hispanus Scriptor, supra centum viginti quinque perstrinxit Amadæus, quod has octo de priuilegiis sui instituti, seu de immunitatibus ab Episcoporum potestate vnâ complexus sit.

Amadæi modestiam & silentium imitabor, nec distinctè referam: duo tantùm monebo, cum huiusmodi priuilegia, nec ipsi, nec vlli Religiosorum possint obtendere, nisi Pontificiâ authoritate collata, cum hâc de re lis mota fuit ab Episcopo Anglorum, & Romam deducta ad Summum Pontificem, huiusmodi priuilegiorum legitimum iudicem, cuius mero arbitrio sunt collata: non capio, quo iure eo inuito & abrogante, seruari aut vsurpari possint. Intercesserunt tamen aduersarii, & detrectato, quâ licuit iudicio Pontificio, ad Regium confugere, causati Episcopum Romam appellasse contra Regii patronatus, propriaque iura, & publicam tranquillitatem. Iure, an iniuriâ, & nimio litigandi æstu hæc tentata sint, alii iudicent. Quod ad me attinet, mallem mihi abrogari omnia priuilegia,

quam iis artibus & vitilitigationibus tutari: nec crederem salvâ conscientiâ vsurpari, vbi primùm sciuerim affixum ad valuas S. Petri decretum, quo reuocentur. Neque enim obtenderem quoscumque patronatus, aut titulos onerosos; quia mero arbitrio Pontificum data excepi, nec conquererer mihi abrogata, eodem in Pontifices, quo soleo, aut certè debeo comparatus animo esse in Deum, à quo solam obsequii gloriam, magis quàm donorum ambirem; & qui vitam dedit, si auferat, promptus & gratus parebo. Neque mihi satisfacit exceptio Amadæi, vitiligatum contra Gregorii XV. decretum, quod teste Falgado, posteriori Vrbani VIII. rescissum circumferretur. Nam præter quod, testari oportebat gratum animum in Gregorium XV. quo nullus melius de Societate meruit, aut mereri potuit, relatis albo Sanctorum Diuis Ignatio, & Xauerio: quid decretum dubium ab vno teste obscurum, ambiguum, ac subinde apud me nullum, ad decretum, quod toto orbe circumferebatur?

Quandoquidem hoc paragrapho incidit commemoratio potius quam Disputatio de iure Episcoporum, non est prætermittenda quæ eo spectat, inter damnatas propositio his verbis concepta, *satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.* Hanc propositionem postremâ Censurâ Alexandri VII. notatam defendunt innumeri Regulares, Ioan. à Cruce, Rosella, Emmannel Rodriguez, Villalobos, Facundez, Leyman, Palaus; Et præter istos Nauarrus, Alexander de Ariostis, Gamachæus: illam fulciunt multis priuilegiis Regularium iuri insertis, quæ negant reuocata à Concilio Trident. sess. 23. cap. 15. *Dum iure commune statuit, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis, & consuetudine quâcumque immemoriali non obstantibus.* In eo Concilii decreto aiunt desiderari reuocationem specialem Clementinæ *dudum*, quæ ita statuit: *Si Prælati præfati Prædicatoribus & Minoribus Fratribus ad confessiones audiendas electis, huiusmodi licentiam exhibere recusauerint: Nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi*

confiteri volentium liberè licitèque audire valeant, gratiosè concedimus de plenitudine potestatis. Idem anteà statuerat Bonifacius VIII. *in extrau.* super cathedram *de sepulturis*, quam postmodum Ioannes XXII. confirmauit: necnon ad Carmelitas & Augustinianos extendit *cap. frequentes de iudiciis.* His accessit priuilegium Leonis X. Concilio Lateran. insertum, & Bulla Pii V. *Etsi mendicantium inter grauamina Religiosis.*

Hæc generatim de Confessariis Regularibus, quorum iniusta repulsa videtur censeri approbatio à pluribus similibus exemplis, sicut licentia transeundi ad strictiorem religionem petita & negata, habetur pro concessâ. Secundò Concilium Trident. non derogat iuri communi, aliàs vix conciliari posset cum Lateranensi. Speciatim verò de annuâ confessione excipiendâ à Regularibus etiam iniustè repulsis refert Chassaing decretum Sac. Congreg. latum 22. Septemb. ann. 1624. ad compescendam litem inter Patres Societatis & Canonicos Diœcesis Lingonensis, quod ita habet: *Oratores semel approbati ad confessiones secularium audiendas, possunt omnium confessiones audire, etiam infirmorum quolibet anni tempore, etiam Paschali, absque eo quod Parochi & Canonicorum licentia habeatur.* Simile decretum ab eâdem Congreg. Cardinal. Concil. Trident. interpretum, post maturam discussionem latum est in causâ Archiepiscopi Burdegalensis, quo sancitur *illum non posse Regularibus habentibus priuilegia Apostolica prohibere, vt à Dominicâ palmarum in albis inclusiuè administrare non valeant personis secularibus Sacramentum Confessionis.* His adde inter Articulos Ioannis de Poliaco damnatos à Ioanne XXII. *in extrau.* Vas electionis, de hæreticis hunc contineri: *Confitentes Fratribus habentibus licentiam audiendi confessionem, teneri eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.*

Sed hæc non obsunt, quin Suares, Vasques, & alii, quos refert Nicolaus *Dubois* num. 285. ex Societate à propositione notatâ recesserint, & ad fundamentum huius opinionis respondetur, quæ relatis Conciliorum & Pontificum decretis confertur, licentiam accenseri priuilegiis, non ius commune reputari, quæ proinde abrogata fuerit à Concil. Trident. & à Congreg. Card. illius interpretum; etiamsi non fuerit addita specialis illius derogatio. Vel

enim ad ius commune pertinet, vel ad priuilegia; si primum asseras, ad illud abrogandum satis est contrarium ius generatim sanciri, quale inducitur à Concilio Trident. Si velis esse priuilegium seu dispositionem iuris; tollitur contrarii sancione: & si dicas non derogari dispositioni Concilii Generalis sine speciali derogationis clausulâ, *ex parte, cap. nonnulli * de rescriptis* respondet Dominus Fagnanus diuersam esse præsentis casus, & eorum, quæ citatis locis continentur, rationem: Quia illam propositionem *in derogationibus generalibus Litterarum Apostolicarum non comprehendo* decreta Conciliaria, nisi iis specialiter derogetur, locum non habere, nisi in gratiæ litteris, & rescriptis contra ius, de quibus agunt citati textus, vt fusiùs monstrat Dominus Fagnanus in cap. nonnulli, à num. 19. vsque ad 49. vbi obseruat præterea faciliùs per legem generalem derogari priuilegiis insertis corpori iuris, quam extra illud positis; quia minus illa censetur conditor legis ignorare, quàm extra corpus iuris vagantia, ex quorum ignorantiâ præsumitur non derogasse: Vel si illa cognouisset clausulam exceptionis legi appositurum, quæ præsumptio cessat vbi priuilegium non ignorat; nec tamen definit nullâ exceptione additâ, legem communem ferre. Addit idem Author, Tridentini statuto non prohiberi, ne Regulares subditorum & commensalium sibi confessiones excipiant. Hæc de subiectâ quæstione grauissimâ, cuius resolutionem confirmat Censura Pontificia in propositionem 13. quâ Episcoporum iura muniuntur, maximè assentientibus Patribus Societatis.

Superiori proximè accedunt inter damnatas ordine 36. & 37. propositiones: priore asserebatur, *Regulares posse in foro conscientiæ vti priuilegiis suis, quæ sunt expresśè reuocata per Concilium Trident.* quorum nonnulla sunt generalia; quædam pertinent ad forum conscientiæ. Propositionem defendit Emmanuel Rodriguez, & refert Pium V. viuæ vocis oraculo, supplicanti Ministro Generali Minorum Aloisio de Puteo, vt dignaretur concessas gratias à Paulo IV. aliisque Romanis Pontificibus, confirmare, quoad ea etiam quæ à Concilio Trident. restricta erant & abrogata iura, Pontificem respondisse, *fiat.* Sed quamuis id admittamus concessum, nihil prodest post Gregorii XV. & Vrbani Bullas: quarum prior data 2. Iulii anno

1612. omnia viuæ vocis oraculo quibusdam Religionibus concessa reuocat iura, iis exceptis, quæ Regum precibus, & Cardinalium scripto, datis testimoniis, obtinuerunt. Has verò exceptiones altera Vrbani VIII. Bulla quæ incipit, *alias fœlicis*, cassauit & abrogauit, vt refert Barbosa in Summa decis. Apost Collect. 538.

Altera, quæ reiicitur assertio, sic habet: *Indulgentia concessa Regularibus, & reuocata à Paulo V. hodie sunt reualidata.* Hanc propositionem duo Franciscani, Hieronymus Rodericus; in compendio Emmanuelis resolut. 77. & Portel, in dubiis Regularibus verb. indulgentia, variè defendunt. Hic quidem, cùm videret reuocatas indulgentias à multis proponi quasi adhuc durarent, ausus est asserere, & multis probare non solum instauratas; sed nequidem vnquam fuisse sublatas; contra decretum Pauli V. anno 1605. eius Pontificatus primo datum, quo reuocat *omnes & singulas indulgentias per suos decessores quibuslibet Regularibus concessas*, & illarum loco quasdam inserit, quibus contenti essent; ita refert Hieronymus Rodericus; sed restitutas esse pronunciat eiusdem Pauli V. decreto, quo Fratribus Minoribus gratias & indulta spiritualia confirmauit, nullâ mentione factâ indulgentiarum; quarum tamen restitutionem probat eiusdem Bullæ hâc clausulâ, quâ asserit Pontifex se omnia confirmare priuilegia, quæ non sint *contraria Concilio Trident. saluis decretis Clementis VIII. in fauorem Fratrum Reformatorum*; ex quibus verbis perspicuè putat deduci indulgentiarum restitutionem, quia *exceptio posita in generali concessione firmat regulam in contrarium*: Sed id falsum est, si per anteriorem legem casus sit exceptus qui posteriori omittatur, sicut multis exemplis ex iure confirmat Nicolaus *Dubois* num. 634. Et meritò hîc obtinet interpretatio; quia conueniebat indulgentias minui, ne nimiâ frequentiâ vilescerent: Eâ de causâ Pontifices restrinxerunt indulgentias ad solemnia Festa, ad menstruas Communiones & supplicationes: hinc deducta est Censura Alexandri VII.

Articvlvs Tertivs.

De Fidei obiecto, an ad illud pertineat Fides explicita Trinitatis & Incarnationis vt medium ad salutem necessarium.

Animaduersiones in hunc de Fide Tractatum, istâ propositione, in eo & apud Aquilar primâ, absoluam, quod sit omnium grauissima, & ad fidem directè specter. Discordias more suo inter D. Thomæ Discipulos & Magistrum, quasi neget quod illi affirmant, concitat Amadæus, quas sedare non est difficile, si aliqua addamus superioribus, de distinctione rerum ad salutem vi medii, aut præcepti necessariarum.

Paragraphvs Primvs.

Obseruationes ad quæstionis resolutionem.

ID verò diligenter obseruandum est, vnde cæteris quæ dicturi sumus maxima lux accedet; hoc differre rem ad salutem requisitam vi medii, à necessariâ ex solo præcepto, quod illa sit vera causa salutis operatoria, & in illam positiuè influat; hæc verò tantum submoueat peccata seu impedimenta salutis. Nam cum ieiunii legem seruamus, dum rem furto ablatam restituimus, & quodlibet aliud præceptum implemus, euadimus peccatum, quod fit legis præuaricatione, & saluti nocet; ac proinde dum fugimus peccatum, obedientiâ legis, obstacula ad salutem amolimur. At longè efficacior est res ad salutem vt medium instituta; ea enim nos rectè ad Deum ducit, vbi præcepto via strata & munita fuerit. Hoc primo discrimine constituto, inde existit aliud, quod propius ad quæstionem accedit; nulli salutem constare posse, qui destitutus sit re ad illam consequendam necessariâ, vt medio; aut si desit, aliâ contineatur, quæ sit loco illius, quasi supplementum, aut votum (vt loquuntur Theologi) quod tamen ex vsu & sensu communi non admittunt ea quæ ex solo præcepto exiguntur.

Rerum verò quæ salutem operantur vt causæ & media, duplex genus est, pro vario gradu necessitatis distinguendum: quædam enim sunt, quas reipsâ adhibere necesse sit, nullo voto supplendæ; aliæ re & voto iuuant. Exemplo priusquam oratione discrimen explicabo. Baptismus prodest, & omnino necessarius est ad salutem; hoc tamen interest, quod paruuli nequeant salui esse, nisi reipsâ illud suscipiant; adultis vero succurrit huius Sacramenti votum, adiunctum contritioni: quia collatum adulto est ex ordine rerum secundi generis, quarum vices alia implere possunt; seu quod idem est voto continere, si per tempus non liceat adhibere. Atque ita Theologi docent, homini lethalis peccati conscio, ad veniam impetrandam medium omnino necessarium esse Pœnitentiæ actum, seu retractationem, aut detestationem peccati admissi, reipsâ elicitam: quamuis tamen aliquando nihil vetet sui voto suppleri, vt cum quis, mortali culpa implicitus, rapitur ad Martyrium, & totus in Deum fertur; peccatorum vero non recordatur, & vix per tempus licet. Hunc iustum & saluum fieri concedunt omnes, quamuis formalis Pœnitentia desit, efficaciâ medii ad veniam impetrandam, & recuperandam gratiam necessaria: & cum reipsâ de peccatis nihil cogitanti desit, dilectione perfectâ charitatis quasi in voto continetur.

Paragrahus Secundus.

Dirimitur Controuersia.

Illud exemplum Superioribus obseruationibus illustratum, omnes dispellit tenebras, ab Amadæo offusas. Fidem explicitam Mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis necessariam ad salutem ex vtroque capite medii & præcepti pronuncio: idque multo certius Baptismo; quandoquidem totam vim suam ad abluenda peccata, haurit ab inuocatione, & subinde à fide Trinitatis & Incarnationis.

Neque id negant vlli Thomistarum: tota controuersia eo vertitur, an horum mysteriorum fides explicita, aliquo voto, vt Baptismus & contritio, suppleri possit re aliquâ, quâ præcontineatur: & ita censent Soto, Serra, & alii Thomistæ, quos refert Amadæus; nec à D. Thoma hâc re

dissentiunt. Idque male probat ex quæst. 14. de Veritate art. 11. vbi nihil habet eorum quæ ex illo referuntur. Exemplum vero de puero educato in sylvis, ad quem Deus missurus sit Angelum, ipsum de rebus fidei instructurum, si primo instanti vsus rationis, ad vltimum finem se retulerit, obscurissimam inuoluit quæstionem, quæ nihil prorsus facit ad nostram. Præterea quid inde elici potest, nisi fidem explicitam, de Deo vt Authore gratiæ & remuneratore, esse necessariam ad salutem, quæ nullâ aliâ suppleri, aut præcontineri possit? Atque hoc differt eiusmodi fides, ab eâ, de quâ disputamus, explicita Trinitatis & incarnationis.

Vtramque dico necessariam ad salutem, id est, causam esse salutis, non solum negatiuam, seu impedimento remouendo, sed etiam positiuo influxu, quod primum constituimus discrimen, inter necessaria ad salutem, vi solius præcepti, & medij. Sed si fides explicita Articulorum, quos designat Apostolus, cum ait, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est* (seu existit vt Author naturæ & gratiæ) atque *vt remunerator est*, cum altera de Deo Trino & Verbo incarnato conferatur, hoc differunt, aut potius conueniunt; quod sicuti hæc posterior, priore quasi voto, ita etiam illa possit hâc posteriori contineri: & quælibet sufficiat ad salutem, vt est votum alterius.

Res potest illustrari exemplo insinuato: homini nullius peccati conscio, ad salutem sufficit vt medium necessarium, amor Dei super omnia; sed contritio eodem titulo necessaria est reo peccati, quæ addenda est dilectioni. Sic tamen hi duo actus comparari possunt, vt se mutuo contineant: & perfecta dilectio sit quasi votum contritionis, sicut perfecta contritio esse poterit votum dilectionis. Hâc distinctione conciliari possunt Theologorum, & Thomistarum discordes in speciem sententiæ, vt Trinitatis & Incarnationis fides explicita, fide Dei existentis & remuneratoris quasi voto, & hæc reciproce, illâ vt sui voto contineatur.

SECTIO SECVNDA.

Animaduersiones in Tractatum de Charitate.

HIc 4 est ordine apud Amadæum,& iuxta nostram methodum postremus Tractatus; in quo plura occurrunt reprehensione digna, quam breuitas harum animaduersionum, pro dignitate refellere patiatur. Cum primum me accinxi huius operis examini, Appendicem cogitabam ad superiores Disputationes & Obseruationes aliquot, non Dissertationem nouam aliis penè parem: sed exiit amphora, dum vrceum moliebar: nec me pœnitet prolixitatis. Non potui tot & tanta,in nostram Scholam, aut potius in legem diuinam congesta probra, silentio præterire, nec breuius etiam refellere, sine manifestâ præuaricatione causæ susceptæ.

Sed vindicatis à calumniâ inferiorum ordinum virtutibus, non est deserenda Charitas omnium parens,in quam præ cæteris videntur magis sæuire Auctores, vnde sunt ab Amadæo collectæ decem propositiones. Quid enim atrocius in illam moliri potuerunt, quàm dum tot inferunt mala? Equidem prima propositio charitatis præceptum eleuat,ac ferè tollit:propositio 3.correctionis fraternæ præceptum in consilium vertit,& illius ordinē à Christo præscriptum; propositiones 4. 5. & 6. quasi præposterum videntur damnare:propositiones 2.& 9.honestant scandala, de industriâ apposita, ad casum proximi. : propositio 10. alienæ mortis vota permittit; & propositiones 7. & 8. duella, rixas, simultates accendunt.

Si decurras Lector, huius Tractatus de charitate titulos. & Encomia legas, quibus fucantur, quæ enumeraui mala, horumque ineas comparationem, cum iis quæ de charitate prædicat Paulus, ad cap.13. 1. Cor.agnosces has propositiones, nihilo minus differre à Pauli mente, quàm Alcoranum ab Euangelio. Deum immortalem! quid dicturus esset Apostolus, in eum qui totum vitæ Christianæ cursum à præcepto charitatis eximit, ad mortis vsque articulum; cum in eos qui Christum Dominum non dili-

gunt, Anathema pronunciet? Et longè grauiùs castigandi sunt, qui legi charitatis præuaricari docent, ipsis præuaricatoribus.

Quis magis alienum ab indole charitatis, quàm quæ toto hoc de charitate Tractatu leguntur, vt scripta dixeris ad charitatis excidium? *Charitas Christi vrget nos*, vt Deum diligamus: at si his Auctoribus fides, nihil mali est, dilectionem Dei ad mortis vsque articulum procrastinare. *Charitas benigna est*, proximum errantem, vt mater corrigit, semotis arbitris eius consulit honori, pudori parcit. Verùm ex Collectaneo licet, imo præstat, eius pudenda reuelare Prælato, nullâ præmissâ correctione priuatâ, & iam emendati occultum crimen aperire Prælato, cui mallet absconditum, quàm mille extraneorum. *Charitas non cogitat malum*: at ex istis Theologis licet mortem, & quælibet mala imprecari ad tuam vtilitatem ex Propositione 10. *Charitas non agit perperam*, offendicula amouet, odit scandala: si tamen istos de charitate differentes audias, licet tibi ad ebrietatem compellere, & aliud malum grauius machinari, ex propositione 2. & viro suspicioso, vxori occasionem præbere ad adulterium. *Charitas patiens est*, *omnia sustinet*. sed quidam ab omni charitate alieni, non solum propositione 7. indulgent tibi mendacium improperare, conuitia ingerenti, sed etiam duellum inire cum prouocante, ex propositione 8.

Tractatui, quo ista docentur, charitatis sanctum nomen inscribi non debuit, nisi per antiphrasim manifestam, quâ densas & opacas syluas, lucos antiqui appellabant, quod malignè aut potius omnino nihil lucerent. Hæc omnia grauiori culpâ cumulantur, aduocato per summam iniuriam, D. Thomæ, eiusque Discipulorum patrocinio, vt breuissimè eo demonstratum.

Articvlvs Primvs.

Expediuntur ex hoc Tractatu faciliores Propositiones.

BReuitatem & compendia citra rerum dispendium capturus, examen huius Tractatus ineo à propositio-

nibus minutioribus, quas ex positis principiis facile refellam, & ad reliquarum refutationem viam parabo.

Paragraphvs Primvs.

De voto mortis aliena.

PRopositio 10. apud Aquilar est 80. & vix differt à 5. Tractatus primi iam refutatâ, ex Hurtado deprom ptâ, quæ apud ipsum ita expressè habet: *Si inimicus est me vexaturus, ego possum desiderare, orareque Deum, vt eum è viuis tollat.* Licet adeò expressis verbis, hic Author votum mortis alienæ permittat, defendit tamen Aquilar ridiculâ excusatione, illum non permittere desiderium mortis aduersarii; sed tantum vt è vitâ exeat, & extrahatur, scilicet in nouum orbem deportandus, non in regionem mortis.

Ineptæ excusationi addit peiorem defensionem, Cajetanum 2.2. quæst.5. art.9. quid apertius docere. Quid vero illud est? Caietanus eo loci docet non esse aduersario, qui te offendit, dum occurrit, singularia amicitiæ & vrbanitatis signa exhibenda, vt v.g. hero denudandum caput, dum post offensam se adit seruus Et hanc regulam statuit, *sufficere homini, prompto esse animo, ad id faciendum quod ten tur secundum Deum, quando & vbi tenebitur.* Quid mali? Quid aspetius habet voto mortis aduersarij, precibus à Deo enixe petitæ, hoc documentum Cajetani? Quam innoxios & à modernis laxitatibus alienos oportet esse Thomistas, cum ad illarum patrocinium asciscì nequeant, nisi his locis quibus eas profligant?

Parum firma visa est Amadæo hæc Aquilar defensio: aliam tentat magis improbandam & sceleratam. Exerte pronuntiat hanc Hurtadi propositionem expressam esse sententiam D. Thomæ: Quibus vero locis? Ex 2. & 3. Sent. quæ propositione tertia demonstrauimus fraude prorsus puniendâ corrupta fuisse. Nec minus in Sotum peccat cum illum ad huius propositionis præsidium ex eo loco aduocat, vbi docet licere *Christianis, hostibus, id est Turcis, regionem vastantibus, mortem imprecari*: vt inde concludat, *gaudeat ergo immunitate Hurtado.* Qua vero? Quod docuerit ex priuato commodo, non minus licere

aduerſario mortem imprecari, quam ex ipſius aduerſarii, aut ex communi bono Eccleſiæ: hoc ſecundum concedunt D.Thom.eiuſque Diſcipuli. Iudicet Lector an legitima ſit conſequentia ad aſſertionem Hurtado, qui idem votum honeſtat ex priuato commodo.

Paragraphvs Secvndvs.

De provocante ad ebrietatem.

POſtremæ hanc ſecundam adiungo, cognatione argumenti. Eâ vero apud Aquilar 20. ex Leſſio l.4. c.3. dubio 4 depromptâ, falſo vero Laiman adſcriptâ dicitur, *videri licitum provocare ad æquales hauſtus & alterum inebriare*, ſi nequeat à peiori conſilio quod meditatur, deduci.

Hanc Leſſii opinionem re vera damnat Laiman, ex regulâ communi, *non eſſe facienda mala vt veniant bona:* qualis eſt ſine dubio ad ebrietatem inductio. Sed Thomiſtas & alios magno numero inducit vterque defenſor, in Leſſii ſubſidium, qui docent te conſulenti perſuadere poſſe, vt è duobus quæ meditatur, malis, nempe adulterio & fornicatione, hoc poſtremum eligat. Sed aliud eſt illum delectum docere habere minus mali, quod licet: aliud in illum impellere, quod expreſſis verbis concedit Leſſius. Nec huic propoſitioni fauet exemplum, quod affert Amadæus ebrietatis præſcriptæ à medico, tamquam remedium vnice efficax, ad lethalem ægritudinem curandam: nam vt ex Caietani interpretatione explicatum eſt, illa ebrietas ſano immoderata, ac proinde mala, ægro moderata eſt, & ex fine proximo bona, vt ad ſanitatem conducit, quo referri debet cibus & potus. Nec tamen aliqui Thomiſtarum hanc Caietani interpretationem admittunt; ſed ex mente D.Thomæ largiorem ſolito potum, ex præſcripto medici, moderatum eſſe patiuntur, dummodò non abſorbeat rationem; in quam ſententiam propenſior ſum, ob reuerentiam Facultatis Pariſienſis, quæ ita D.Thomam interpretatur.

Paragraphvs

Paragraphvs Tertivs.

De viro vxori scandalum præbente.

HÆc etiam superioribus accedit, aliqua cognatione & consecutione, minus tamen necessariâ. Apud Aquilam est 129. ex Laiman deprompta, qui suspicioso marito, indulget proximam vxori adulteræ præbere occasionem lapsus in adulterium, vt deprehensam & compertam criminis corrigat. Aduocat cum Aquilar Amadæus, Layman defensionem à Petro Nauarro, qui hoc expresse docet de marito zelotypo, quod Layman expressérat de hero aut patre, seruo vel filio, furti occasionem dante, vt illorum fidem exploret, aut furti conuictos castiget.

Vno verbo potest hæc quæstio satis intricata dirimi, distinctione occasionis proximæ & remotæ ad peccatum: hanc permitterem ad emendationem vxoris, vel filii; illam verò nunquam: hoc enim perinde est, ac in peccatum impellere, quod nunquam licet, etiam emendationis aut maioris peccati euitandi causâ. Atque priori sensu, non posteriori, interpretor Thomistas, & ipsum D. Thomam, quos aduocant Laiman & Amadæus. Sed hic solito enormiori fraude, elegantissimus D. Thomæ locus ex quæst. 3. de Malo, Art. 4. ad 19. corrumpitur truncatis verbis, quæ apertè sensum D. Thomæ interpretabantur, & technas Amadæi refellebant. Illa verò Responsio sic habet: *Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius; licet illius causâ possit vti alterius malitiâ, vel ei non subtrahere materiam, sed præbere.* Hactenus ex D. Thomâ. Quid clarius inquit Amadæus? Sed cur tacuisti quæ sequuntur verba? sic enim prosequitur S. Doctor, *sicut si latro aliquem iugulare vellet, ad vitandum mortis periculum, aliquis latroni suum thesaurum diripiendum detegeret*, non peccaret: exemplo illorum decem virorum, qui dixerunt ad Ismaël; *noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro*, vt dicitur Hierem. 14.

Vides ex D. Thomâ non licere quamcumque occasionem, aut materiam peccandi præbere; sed tum tantum,

cum quis non solùm paratum habet animum ad facinus, sed etiam illi iam accinctus est, & vitam inuadit; atque ab homicidio semouetur, permissis eius arbitrio fortunæ bonis. Quare vt paucis me expediam à difficultatibus, & à testimoniis Theologorum quæ congerit hâc propositione de famulis ad turpia inseruientibus, & aliis id genus: Nunquam licere materiâ subiectâ, proximè irritare appetitum nihil mali cogitantis; sed ad summum vti licere materiâ indifferente, vnde alter peccandi occasionem arripiat, suo vitio: atque ita Theologi docent, homini vt rebus suis afflictis consulat, licere mutuam pecuniam petere ab homine ad id parato, quia vtitur iure succurrendi rebus suis.

Paragraphvs Qvartvs.

De regerente conuitia, & de duello.

Septima propositio ad superiores aliquo modo pertinet, nec videtur esse magni momenti: eam verò habet Aquilar num. 76. & ex Hurtado permittit homini contumelioso, & conuitia congerenti, regerere hoc verbum *mentiris*. Amadæus post Aquilar excusat Hurtado hoc nomine, quod non docuerit absolutè opinionem obiectam, sed cum limitatione, quando inquit, contumeliosus non speratur se cohibiturus, sed persisturus in contumeliâ semel dicta, aut alias aggressurus; tum is qui eam patitur, potest illi dicere, mentiris; & si reuera falsa obiiciat, nihil mali habet eâ defensione vti, ad infringendam hominis auctoritatem & audaciam.

Sed non approbo quod addit ex Banne 2. 2. quæst. 70. art. 3. dub. 2. solum esse peccatum veniale mendacii, obiicere crimen testi iniquo, quando talis obiectio prodest ad resistandum eius testimonium. Sed idem Bannes, quem sequitur Cardinalis Delugo, validè refellit commentum illud: si huiusmodi crimen inutile, est ad defensionem, erit infamatio proximi gratis facta, atque adeò mortale peccatum; si futurum sit vtile, probandum erit per iuratos testes, & adhortandi erunt ad periurium, quod graue scelus est: ergo illa accusatio non solum venialis futura est, sed etiam mortalis culpa, maximè cùm grauiter noceat testi, nullo rei accusati commodo.

Quamuis non apertè audeat Amadæus duellum innoxium pronuntiare: tamen dolo & quasi cuniculis actis, eò rem deducit propositione 8. & apud Aquilar 130. vbi vterque ex Layman & Mendoza videtur, singulare certamen permittere, cum prouocante, si eo detrectato, incurratur ignauiæ nota. Excusat vterque Layman, quasi exertè illud non pronunciarit; sed adhibitis multis conditionibus: vt si vir equestris in aula & officio, aut Principis gratia, ob ignauiæ suspicionem loco mouendus sit, nisi identidem prouocanti se sistat: *Non audeo*. inquit, *damnare eum qui mera defensionis causâ paruerit; dummodò spes sit ferè certa victoria: aliàs illicitum putat, certo mortis periculo se obiicere, ad vitandum dedecus ex nullo delicto, sed ex vulgi sinistrâ opinione ortum.*

Verum præstat responsio Bannes 2. 2. quæst. 64. art. 7. ad 3. homini sic prouocato, respondendum Christianè & prudenter, vbicumque se aduersarius aggressus fuerit, probaturum se virum esse, cum aduersarii periculo. Caietanus multo seuerior est, & ex illo refert Amadæus 2. 2. quæst. 95. art. 8 indicere duellum nunquam licere: quamuis excipiat, si accusator inualescat, certam mortem, aut mutilationem illaturus, nec alia defensio supersit, quam ex singulari certamine. Hoc etiam damnant diuinæ & positiuæ leges, ac proinde nullâ ratione nisi defensionis causâ, singulare certamen, saluâ conscientiâ, iniri potest.

Articvlvs Secvndvs.

De præcepto Correctionis Fraternæ, & ordine ex Christi præscripto in eâ peragendâ.

GRauissimam de hoc præcepto quæstionem versat Amadæus propositione 3. & tribus sequentibus: grande vtrinque impendet periculum, hinc recedendi à Christi præcæpto, nisi ordinem ab illo constitutum seruemus, prius secreto monendi fratrem delinquentem, quàm prælato illius lapsus aperiantur, fortè efficacius corrigendi admonitione maiorum, quàm priuatâ amici & socii reprehensione. Sed cum certum sit constitutionibus Societatis à Gregorio XIII. confirmatis, hunc prætermitti ordinem,

& nullâ præuiâ admonitione, delinquentis casum præcipi aperiendum Superiori ; si hoc quis damnet, videbitur censura recidere in Summum Pontificem, qui constitutiones Societatis approbauit, & seuerissimè prohibuit, ne ob vllo sugillarentur. Hinc Raynaudus Diatriba quarta obliquè mordet Bannem his verbis : *De Correctione Fraternâ post Sedis Apostolicæ constitutionem, dixit Bannes, quæ spongia indigeant.* Oedipo aut natatore Delio hîc opus est, ad certam horum verborum interpretationem. Nos saluâ præcepti Euangelici & decreti Pontificii reuerentiâ (in quarum alteram nonnulli incautè aut malignè impingunt) Bannem à contumeliâ vindicabimus, imo Societatis constitutiones magis legitimâ, quàm quæ Suaresio placuit, interpretatione propugnabimus.

Paragraphvs Primvs.

Conciliatur Euangelium cum suffragio Gregorij XIII.

Leges ergo Societatis à Sede Apostolicâ probatæ statuunt posse & debere prius Prælatum admoneri, quàm reus secretò correctus fuerit. Nolim disputare an id iure liceat ; neque enim patior constitutiones à Summis Pontificibus probatas calumniæ patere : id solum quæro, quâ ratione defendi possit, ne cum Euangelico præcepto pugnent & collidantur. Id duplici viâ doctiores Theologi, & Sedis Apostolicæ studiosi, ac vindices aggressi sunt, quarum vna probatur Theologis nostris, alteram iniuit Suares, & ea displicet Bannesio, quia apertè vergit in censuram Euangelici præcepti.

Nihil periculi est, si dixeris cum Caietano, quemlibet suæ famæ dominium habere, & posse illud ius à se abdicare, ad minus gratia maioris boni, & communis, qualis est humilitas, patientia, instituti quod amplecteris incolumitas perpetua : quæ bona possunt sine dubio compensare iacturam famæ apud Prælatum. Ac proinde vbi semel professus institutum Societatis de hoc speciatim monitus, abdicauerit ius famæ, non habet causam expostulandi, si se non monito, conscius suæ culpæ, eam Prælato

reuelet, vt illius curet emendationem; & hinc etiam commune quod impenderet instituto periculum auertat.

At Suaresio commentariis in constitutiones Societatis, visum est hoc statutum defendi oportere, ex ipsâ immutatione ordinis, quâ melius & bono ipsius rei priuato, & communi consulatur, quam si tenor correctionis præscriptus à Christo, seruaretur: quasi efficacius mederi possit Prælatus malo peccantis, quam ipse socius. Sed vt apud Arauxum legi, Bannesius Suarem monuerat, initam ab ipso suarum constitutionum defensionem, vergere in censuram & iniuriam ordinis à Christo instituti, quasi humanæ societati, aut perniciosi, aut minus salutaris; qui proinde (vt Salmeron temere ausus est scribere) perniciosus esset, nec vi præcepti aut consilij, quemquam obstringat.

Quod vero Suares amicè monenti Bannesio reponebat, merito præscriptum Euangelii tenorem mutari, aut inuerti, ad maius bonum, quod futura sit efficacior Prælati, quam socij emendatio, id falso & temere dictum, nec immerito, contendebat Bannes, si prætermittatur ordo Euangelii, reo inconsulto aut inuito, nec prius sponte abdicato apud prælatum famæ iure, intuitu maioris boni. Nam nisi vel monitio rei, vel abdicatio spontanea dominii propriæ famæ antecedat, habet reus iustissimam expostulandi causam, ius naturale videlicet in se læsum: atque hâc iniuriâ exacerbato animo *nouissima fient peiora prioribus*, & morbus euadet omnino immedicabilis. Iudicet pius & erudítus Lector, an hæc de correctione Fraternâ Bannesij aduersus Suaresium sententia *spongiâ indigeat*, & quæ sit duarum potior, an Suaresij, qui putat aliquid se commentum salubrius, & efficacius præscripto tenore Euangelico Correctionis Fraternæ, cuius causâ velit merito mutatum, an Bannesij admonitio, & interpretatio constitutionum Societatis, quibus, illæsâ Euangelii reuerentiâ, innocentiam & Summis Pontificibus pondus infallibilis authoritatis asserit, valideque refellit eorum temeritatem, qui aliquid perperam præter Euangelij disciplinam decreuisse, aut permisisse calumniantur.

Hinc etiam infringitur æmulorum duplex calumnia in Societatem; quarum primâ criminantur, ex Societatis legibus, relaxatum sigillum confessionis suorum, sicut

tenorem Fraternæ Correctionis Euangelicæ: imo quidam eò insaniæ deuenerunt, vt ausi sint religiosissimis Patribus imponere, quod ex constitutionibus aperte sibi ius asserant, eximendi se à Fraternæ Correctionis tenore, vel à sigillo confessionis suorum, ad sæcularium confessiones idem iuris extendant.

Sed non aduertunt quod ex Caietano, & Bannesio, iam obseruauimus, à Societatis candidatis iure exigi abdicationem propriæ famæ: quam si semel admittas (vti legitima est) perinde quidem posses excepta in confessione, citra sigilli noxam aperire prælato, sicuti illa quæ tibi extra confessionem innotuere, ad Prælatum referre, reo non monito: vtriusque enim ratio eadem esse potest, nempe spontanea abdicatio honoris, quæ daret ius vtriusque secreti aperiendi. Sed non ea fuit mens huiusmodi legum institutoris: voluit quidem hanc abdicationem honoris pertinere ad Correctionem Fraternam, siue ad illa quæ extra confessionem innotuerunt; at circa sigillum confessionis, certum est nihil his constitutionibus sancitum, contra receptam apud omnes Christianos & confirmatam Clementis VIII. decreto legem de sigillo confessionis omnino inuiolabili. Quare falsa est, & inuidiosissima prima accusatio.

Sed longe atrocior est, & immanior altera, de sæcularium confessionibus, eo ab omni specie veri remotior, quod auditum nunquam sit, eos aliquam abdicationem propriæ famæ ad hoc exigere, ab iis qui ad se accedunt confitendi causâ. His ergo ita constitutis & explicatis, accedamus modo ad examen 4. propositionum Amadæi.

Paragraphus Secundus.

An Consilii solum non præcepti sit Correctio Fraterna.

Propositionem 3. sumit Amadæus ex Salmerone tom. 4. in Euang. Tract. 17. apud Aquilar 23. quâ asseritur Christi verba Matt. 18. consilium tantum importare, non præceptum. Probant multis exemplis, quæ nihil ad rem, quale est illud Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde sperantes:* & Doctorum testimoniis, potissimum Bonauenturæ & Maldonati.

Sed in hanc assertionem satis esset proferre censuram Valentiæ, *Hæc*, inquit, *sententia videtur esse improbabilis & intolerabilis: quia opponitur communi sententiæ Theologorum & SS. Patrum.* Deinde Inquisitio ex editione Parisiensi Maldonati, iussit eradi hæc verba ad marginem scripta, *hic non continetur præceptum.* Falso etiam citatur Bonauentura: neque enim negat præceptum esse, de Correctione Fraterna; sed ait ad illud non pertinere, vt ad terrorem fiat coram totâ Ecclesiâ.

Exemplum de mutuo quod vrget Amadæus, adiunctâ interpretatione Soti lib. 6. quæst. 1. art. 1. eius consilium & Thesim omnino euertit. Volo eodem tenore præscribi Correctionem Fraternam, quo mutuum gratuitum: atquamuis hæc Christi verba, *mutuum date nihil inde sperantes*, secundum totum, vt sic loquar, ambitum, præcepti vim non habeant; certum tamen est, aliquâ sui parte id continere. Neque hoc negat Soto, sed ex D. Thoma 2.2. qu 78. art. 1. ad 4. ait esse consilii non præcepti, mutuo dare pecunias, nisi extremam necessitatem patienti: consilii etiam est, nullam ex accommodato mutuo vicem, laudem, & grati animi significationem expectare, sed solâ benefacti conscientiâ & mercede à Deo promissâ esse contentum. Et hoc Christus maxime spectat & vrget eo loci, vt omnino gratis, solo Deo teste & remuneratore, fœneremur. Sed vt optime obseruat Sotus, illa sententia Euangelica continet aliqua sui parte præceptum, de lucro non captando ex pecuniâ, aut vliâ re mutuò data: & vim habet argumenti per locum à maiori; nam si Christus consulit, vt neque gratuitum donum speremus ab hominibus, quod licite possunt rependere: longe districtior est prohibitio de lucro, quod iustitia vetat, ex mutuo captandum.

Ita etiam interpretandus est locus de correctione Fraterna. Equidem includere præceptum naturale ex Charitate corrigendi eos qui in peccatum labuntur, prout illis noxium est, non audent negare Salmeron & Amadæus: sed forte id tantum contendunt, aliqua addita esse hoc loco, quæ consilium resipiant, magis quam præceptum. Sed vellem distinguerent, quæ ex verbis Christi, habeant vim præcepti, & quæ sapiant consilium.

Quoad mentem D. Thomæ, apertior est quam vt interprete, & validius confirmata, quam vt vindice opus habeat.

aduersus Amadæum. Agit 2. 2. quæst. 33. de Correctione Fraterna vberrime; & vbi Art. 1. distinxit peccatum, vt est noxium delinquenti, vel vt est aliis offendiculo, & bono communi nocet; hinc constituit duplicem correctionem, vnam ex Charitate, quatenus amouet peccatum suo Authori perniciosum; quia inquit eiusdem est Charitatis bonum amici curare, & ab illo mala depellere: Alteram ex Iustitiâ, cuius est seruare bonum publicum, & peccata corrigere vt illi noxia. Vnde concludit Correctionem Fraternam esse quoddam genus eleemosynæ, præstantioris eâ, quæ subuenit egenis: quia mala animi grauiora sunt egestate, & morbis corporis. Vnde art. 2. infert correctionem Fraternam magis sub præceptum cadere, quam eleemosynam: & Resp. ad 3. egregie rem totam dirimit, distinctione triplicis causæ, quâ obmitti potest correctio Fraterna: Primo ex Charitate & prudentiâ, cum differtur ad captandum tempus opportunius emendationis; & hoc maximi est apud Deum meriti; sicut lethali culpæ imputat, si quis prętermittat correctionem, cum est spes probabilis emendationis, ex metu aut cupiditate, quæ contra charitatem Fraternam inualescit: nec excusat à veniali culpâ, eos, qui tardiores fiunt ex iisdem causis, metus & cupiditatis, ad corrigenda delicta fratrum, quamvis sint ita comparati, vt si certa esset emendatio & necessaria, non prætermitterent correctionem, cum tanto charitatis detrimento, vt Augustinus dicat Serm. 16. de verbis Domini, *si neglexeris corrigere, peior eo factus es, qui peccauit.* Quare merito dicit Valentia, *intolerabilem esse opinionem*, & SS. patribus aduersari, si è Christi verbis excludatur omne pręceptum correctionis.

Neque id solum ad ipsam correctionem, sed etiam ad ordinem à Christo pręscriptum, docet D. Thomas art. 7. pertinere; vt prętermitti nequeat admonitio secreta, sine graui peccato. Quare Resp. ad 5. dicit, si Prælati præcipiant sibi aperiri quod in subdito corrigendum noueris, non esse illis parendum, contra præceptum Domini: sed illorum præceptum interpretandum, & obseruandum saluo ordine Fraternæ Correctionis à Christo præscripto, à quo nefas sit recedere. Et si Prælatus instet contra hunc ordinem institutum, & subditus pareat, vterque peccat: quia, inquit S. Doctor, Prælatus non est iudex, sed solus Deus, crimi-

num occultorum; nec potest præcipere sibi aperiri, nisi per indicia, puta per infamiam, aut alias suspiciones manifesta sint, aut probari possint.

Et in corpore Articuli rationem à priori insinuat, à nobis supra repetitam, à iure, quod quisque habet suæ famæ, sibi ad multa vtili, & quæ citra consensum, aut grauem necessitatem, nequit minui, aut tolli, reuelatione occulti delicti. Nam vt S. Doctor ex D. Hieronymo probat, *corripiendus est seorsim frater, ne si semel pudorem vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato*, & fiat immedicabilis, sicuti solent qui cum famâ pudorem perdiderunt.

Paragraphvs Vltimvs.

Conuelluntur Argumenta Amadæi contra præceptum Correctionis.

Ex his D. Thomæ principiis, validè refelluntur quæcumque congerit Amadæus, ad defensionem quatuor propositionum. Iam enim demonstratum est, exemplum quod affert de mutuo dando, propositionem 3 euertere: nec etiam iuuat quod eâdem propositione num. 5. affert ex Abulensi, illa verba, *si peccauerit in te frater tuus*, arctanda esse ad solas offensas, nobis à Fratre corrigendo illatas, quas consilij sit, non præcepti occultare & condonare: nam hæc interpretatio, vt dicebamus ex Valentia, est præter mentem SS. Patrum, qui hæc dicta volunt de omni peccatorum genere, quæ fiunt occulte nobis consciis & testibus: quæ proinde corrigi à nobis debent saluo pudore rei, si spes sit emendationis. Atque hic est sensus verborum Christi, *corripe eum inter te, & ipsum solum*: quæ vim habent adstringendi ad fidem silentii, ex iisdem principiis, quibus muniuimus supra, & defendimus sigillum Confessionis. Et quidquid sit de testibus adhibendis, quod consilii esse interpretantur Theologi, certum tamen est (& id euincunt nostra argumenta) monitionem secretam, necessariam esse ex præcepto à iure famam seruandi.

Hinc etiam facile est elicere, quid censendum sit de 4. Propositione ex Suare, licitum esse regularibus, omissâ correctione fraterna deferre Prælato vt Patri, crimen fratris occultum, vt id paternè corrigat: & de alterâ illi

adiunctâ ex Filiucio, si peccatum delatum probabile sit, posse Prælatum omissa correctione fraternâ, iudicialiter procedere contra subditum. Has duas propositiones habet Aquilar num. 66. & vtramque dico non posse honestari, nisi sponte abdicato quoad hoc propriæ famæ iure & dominio. Quod cum à solis Patribus Societatis, vi constitutionis à Gregorio XIII. confirmatæ, exigi soleat & factitari, apud illos obtinere licite pronuntio: quæ vero his propositionibus asseruntur, valere apud cæteros Ordines, esse contra legem à Christo præscriptam de correctione fraternâ; nec vllo fine posse honestari.

Nititur tamen Amadæus, hoc sui instituti graue onus aliorum Ordinum Religiosis imponere, quod merito detrectant, nec patiuntur sibi inuitis abrogari ius famæ, quod Christus saluum esse voluit iis omnibus, qui sponte non abdicarint. Quare quod refert ex Ordine Franciscanorum, teste Bernardino de Ateuallo, & Angelo, apud se prætermitti admonitionem reorum peccati occulti sibi solis noxii, & aperiri ipsis inconsultis & inuitis Prælato, refert ipsemet Amadæus propositione 4. ex Portel, dico vel reuocatum esse, vel in desuetudinem abiisse, vel forte numquam inualuisse, nisi eo sensu quo eodem numero 10. dicit statutis FF. Prædicatorum distinct. 1. cap. 18. præcipi Fratribus exeuntibus extra Monasterium, peccata grauia sociorum denunciare. Illud enim statutum interpretandum est de peccatis, quæ scandalo fuerunt secularibus & dedecori Religionis; quod longissime abest à peccatis, de quibus disputamus, vni reo, non Religioni noxiis; de quibus memini me legere Pontium Franciscanum suo Compendio Theologiæ, docentem contra De Lugo, ordinem à Christo præscriptum de præmittenda admonitione, antequàm Prælato deferatur, non posse vllâ authoritate licite prætermitti. Adeo absunt Franciscani, ab illo onere sponte suscipiendo; vt inter illos doctissimus, id reiiciat vt improbabile & illicitum: cui ob reuerentiam Gregorii XIII. non assentior: sed vt iam probaui, legitime imponitur, his à quibus præstita est, quoad hoc, propriæ famæ abdicatio; quo vno titulo res honestati potest.

Cæterum malâ omnino fide aduocatur D. Thomas, ex variis locis, maxime in Disputatis, de Virtutibus quæst. 3. de correctione fraterna art. 2. & quodlib. 11. art. 13. & in

4. distinct. 19. quæst. 2. art. 3. ad 1. quæst. & 2.2. art. 8. vt probetur verbis Christi Matth. 18. inesse vim consilij, non præcepti, ac subinde nihil peccare eum, qui defert Prælato vt patri, peccatum occultum soli reo noxium, cuius ex priuatâ admonitione spes sit emendationis.

Etenim iis omnibus locis citatis, & copiosissime in disputatis quæst. 3. citatâ probat duo; primum verum extare præceptum charitatis de corrigendo Fratre lapso in peccatum: Nam cum triplex sit bonum, externum fortunæ, internum corporis, vel animi, & triplex item malum egestatis, bonis fortunæ, morborum, bonis corporis, & vitiorum bonis animæ aduersantium; non solum hæc tria genera bonorum, nobis, sed etiam aliis curare, ex charitate cuique incumbit, & eâdem lege mala depellere. Quare sicut primæ Ioan. 3. dicitur, *Qui substantiam huius mundi habuerit, & viderit Fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua,* id est eleemosynam recusauerit, ab illo charitatem exulare: & ex eadem lege naturalis charitatis præcipitur, si quis *viderit præteriens ouem & bouem fratris sui errantem*, illi reducere præcipitur, sicut etiam Prou. 24. iubemur *eruere eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, ne liberare cessemus.*

Hinc concludit S. Doctor, ex eadem charitate eo arctius nos adstringi, ad ferendum auxilium Fratri delinquenti, quò grauius est vitium animi, morbo corporis & dispendiis fortunæ, ideo ex Arist. Ethic. 1. eo magis debemus auxiliari amico ad peccatum, quam ad quodlibet damnum pecuniæ vitandum, quo virtus amicitiæ affinior est, quam pecunia. Et huius officii monemur Isa. 35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Eò etiam pertinet illud Thess. 5. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes:* & illud etiam de quo agimus: *Si peccauerit in te Frater tuus.* Conclusionem confirmat & illustrat, profundâ & eruditâ solutione 19. argumentorum.

Articulo vero 2. probat ordinem correctionis fraternæ de monendo priuatim delinquente peccati occulti sibi soli noxii, non posse prætermitti, saluo charitatis præcepto. Duplex enim inquit S. Doctor imminet delinquenti damnum, conscientiæ primum, alterum famæ, & vtrumque quâ fieri potest, arcendum est. Licet enim postponenda

sit fama conscientiæ, si vtraque salua esse nequeat; tamen lethale putat peccatum, abiicere curam famæ, si nihil noceat conscientiæ. Ex illius enim iactura quadruplex ait malum S. Doctor existere; Primum est dispendium ipsius famæ, satis graue, quandoquidem Prouerb. 22. *Melius est bonum nomen diuitiis multis.* Et Eccl. 41. anteponitur *multis thesauris magnis & pretiosis*; nec dubium est, quin inter bona externa sit præcipuum; quod si desit, inepti sumus ad vitæ humanæ & Christianæ officia obeunda. Præterea bonæ famæ cura, veluti fræno cohibemur à peccatis, eoque, sine pudore ferimur, famâ amissâ aut neglectâ: Nec solum nobis hæc iactura nocet;sed etiam aliis, idque bifariàm; vt inquit S. Doctor,primùm, quia nostrum dedecus ex vitio redundat, in eos qui sunt eiusdem nobiscum instituti, aut cognationis: deinde pusillis scandalo est & offendiculo,& nostro exemplo fiunt audaciores ad peccandum.

Ex quibus omnibus concludit S. Doctor, curandam emendationem delinquentium,quam fieri potest occultissime, & solam admonitionem secretam esse adhibendam, si ea sufficiat ad culpam tollendam. Nec patitur aduocari testes, nisi tribus de causis, primum ex Hieronymo, nempe vt delinquens arguatur,si nesciat, aut neget peccatum esse quod perpetrat; vel deinde ex Augustino vt peccati conuincatur, aduocatis testibus, si in illud relabatur; vel tandem ex Chrysostom. vt qui monet, testatum faciat se non defuisse officio, in delinquentem. Ita S. Doctor Resp. ad 24. Argum. & inde soluit Argumentum 26. nihil mali esse si Prælatus vt Pater conueniatur, aut in vnum testium aduocetur, maxime si prudens sit & beneuolus, & nouerit compati infirmis. Et tandem claudit Articulum verbis quæ pro se affert Amadæus, *Sic autem dicere Prælato, non est dicere Ecclesiæ: sed quando dicitur in publico quasi in loco iudicij residenti: Ita S. Doctor.*

Hinc infert ineptissime Amadæus: *constat ergo apertissime ex D. Thoma, non esse contra præceptum Euangelicum, non permittere Correctionem Fraternam, ante denunciationem secretam, quæ sit Prælato, vt Patri, non vt iudici* Sed non aduertit Amadæus, aut potius dissimulat, D. Thomam ex Christi verbis correctionem delinquentium tribus gradibus distinguere: Primo cum reus admonetur

inter te & ipsum solum; Secundo cum aduocantur testes, aut ipse Prælatus loco vnius testis: Tertio, cum res ad iudicium publicum deducitur: & toto progressu ita distinctè velle D. Thomam correctionem sisti intra primum gradum, quamdiu est spes emendationis, & conscientiæ cum famâ seruandæ, nec relicto primo gradu, excusare à peccato accessum ad secundum, nisi cum salua nequit esse conscientia peccantis, seruatâ famâ: Ergo ex D Thoma peccat mortaliter, quisquis defert Prælato vt Patri quodcumque peccatum occultum, noxium reo, quod saluâ famâ spes sit emendandi. Hæc est perpetua D. Thomæ sententia omnibus locis ab Amadæo citatis, quos locupletaui ex vberrimâ illâ quæstione de Disputatis. Eadem prorsus est cum Magistro mens Discipulorum Syluestri, Conradi, Bannes, & reliquorum omnium, quos magno numero refert Amadæus.

Multo minus excusari potest propositio altera ex Filliucio adiuncta quartæ: peccatum Prælato vt Patri prætermissâ admonitione secretâ reuelatum, si adsint probationes aliunde, posse vrà judice puniri. Hoc enim secundum multo atrocius est primo, quo tamen diximus ex D. Thoma, læsum fuisse præceptum Fraternæ correctionis. Nec hoc excusari potest, nisi ex regulâ D. Thomæ, cum salua esse nequit conscientia, nisi cum dispendio famæ: ex hoc solo capite iri potest à primo gradu ad 2. & à 2. ad 3.

Ex eâdem regulâ ferri potest iudicium de 5. & 6. propositione apud Aquilar 77. & 78. Priore quidem ex Palao asseritur Prælatum inferiorem, posse Generali totius Religionis reuelare occulta subditorum crimina, quamuis speret seipso posse ea corrigere. Ille enim recedit à Christi regulâ præcipientis curare emendationem conscientiæ subditi, saluâ illius famâ, si nihil conscientiæ obsit, & spes sit curandi, saluo vtroque bono: neque hoc excusari potest, nisi ex instituto singulari Societatis, quæ à candidatis. vel professis, quoad hoc, exigit famæ abdicationem.

Idem censeo de 6. propositione ex Valentia, posse Superiori deferri crimen occultum præteritum subditi, etiam emendatum. Hoc enim apertè incurrit in Christi regulam, præcipientis curam vtriusque boni, conscientiæ & famæ, quamdiu postremum hoc conuenit cum priore,

nec opus est dispendio famæ apud Prælatum maiorem, vt iam emendatus stet in officio, nec iterum in prius peccatum delabatur. Hæc satis de præcepto correctionis Fraternæ. Totam Disputationem claudimus præceptorum maximo de amando Deo.

Articulus Tertius.

De Præcepto dilectionis Dei.

HAc propositione ex Disputationibus publicis Patrum Societatis in Vniuersitate Complutensi, asseritur *Præceptum amandi Deum semel, per totam vitam obligare, & posse sine peccato differri vsque ad mortis articulum.* Ita habent Esclapes & Aquilar propositione 27. & Amadæus Tractatu de Charitate, primâ propositione.

Paragraphus Primus.

Expenduntur vniuersim fundamenta Propositionis aduersa Præcepto de Dilectione Dei.

COnfirmant suam opinionem relati Scriptores exemplo Communionis præcepti, quâ vnâ per totam vitam, etiam vsque ad mortem dilatâ impletur: quasi ex malo, aut falso exemplo, possit deduci vèrum consequens, & eadem sit ratio communionis, positiuo præcepto præscriptæ, & dilectionis Dei super omnia, iure naturali constitutæ & necessariæ, veluti fundamento totius vitæ Christianæ. Nam vt aduertit D. Thomas, nullum Decalogo præceptum singulare continetur de Fide & Spe, & eadem est ratio de Charitate: quia harum omnium virtutum actus requiruntur ad suscipiendam, & acceptandam legem diuinam.

Addunt etiam Aquilar & Amadæus, testimonia Thomistarum Serræ & Bannes, qui videntur huic propositioni assentiri. Sed Bannes 2. 2. quæst. 44. dub. 1. quem locum citat Amadæus, expresse habet Conclusione 3. præceptum dilectionis Dei supernaturalis, speciale esse omnium maximum & primum, & ex D. Thoma cum Soto

lib. de Naturâ & Gratiâ 1. cap. 22. ait, hoc præceptum vrgere primo instanti vsus rationis hominis Christiani: quod etiam probauimus Disp. superiori, duplici ratione; à priori, quia fundamentum institutionis hominis Christiani, est amor vltimi finis, quò tota vita dirigi debet: & à posteriori, quia nisi eo instanti aut tempore, hoc præcepto ligemur, vix vllum præter articulum mortis, ad illud implendum, assignari poterit: Quam sententiam Bannes post Soto, ridiculam vocat: ipse verò licet dicat satisfieri huic præcepto, cum quis semel per annum dignè sumit Eucharistiam, tamen quasi huic responsioni diffisus addit (quod non debuerat tacere Amadæus) huius præcepti omissionem nobis ignorantibus, posse ad peccatum lethale imputari, ac proinde identidem vsurpandam precationem Prophetæ: *Ab occultis meis munda me Domine.*

Amplissimus se se campus aperit ad disputandum, quem decurrerem, nisi iam ab aliis occupatum esset, quicquid in hanc rem dici potest. Eam verò accuratè tractarunt Sinnichius §. 383. & 469. & illi qui ex professo impugnarunt singularem opinionem Antonii Sirmundi; à quâ non recedit Amadæus. Nam argumentorum quibus hoc præceptum chritatis eleuat, quædam supponunt dari præceptum de amando Deo, sed non ligare aut vrgere, nisi mortis articulo: alia verò in totum hoc præceptum tollunt, quâ speciale est, & ab aliis distinctum. Vtrouis modo interpretemur Amadæi mentem, certum est non solum hoc præceptum, sed totius vitæ Christianæ œconomiam euertere.

Nam cum institutum hominis studiosi, quâ ratione regitur, & Christiani, quâ ex fide viuit, præstantissimum sit, ac subinde oporteat esse ordinatissimum, si tollas præceptum charitatis, illud deiicis infra abiectissima artificum officia, & agricolarũ munera: nam cuiuscumque instituti ratio duplici parte constat, nempe bono, quod statuitur vt finis, summè amandus, omni curâ prosequendus; & mediis quibus comparari potest. Harum verò partium multiplex discrimen est: primum bonum instituti, ratione sui quæritur & amatur, cætera illius causâ eliguntur: deinde bonum illud intra instituti metas impensè diligitur, & optatur, si fieri possit, infinitæ perfectionis, nullo præfixo gradu, nisi ex impotentiâ: sed qui modo caret, reliquis

omnibus modum imponit. Præterea bono illi adhærendum omnino, imò & parendum: & ex illâ adhæsione existit imperium & ius aliis vtendi.

Res manifesta est exemplis. Qui artem medicam profitetur, finem sibi constituit valetudinem corporis, quam vnam curat, eius rationem habet, illi se subiicit, optat, & si fieri posset, vellet immortalem, nullum illi modum ponit, nisi ex impotentiâ: at qui ita comparatus est ad sanitatem, ex illius commodo & affectu cætera, quæ ad Medicum pertinent, administrat, conficit, adhibet remedia, modumque illis imponit, vt iudicat magis profutura sanitati. Itaque vt paucis absoluam, quâ Medicus valetudinem sui causâ quærit vt finem, reliqua in gratiam sanitatis: pro comperto habet quærendam esse, nec de hoc deliberare sibi permittit; sed de remediis ad eam comparandam idoneis; illi se subiicit, vt cæteris imperet, nullum illi modum imponit, vt aliis præscribat.

Hîc iam quæritur quodnam sit bonum hominis studiosi, & Christiani, quis huius instituti finis, nisi Deus summè amandus? Qua verò ratione! Eâ quâ par est finem diligi, vt primus omnium quæratur, sine modo ametur, & ex illius amore, & fruendi desiderio, cætera omnia ex illo dirigantur & administrentur. Hinc licet intelligere, quàm impia, quàm absurda sit assertio, quâ speciale charitatis præceptum, de amando Deo, tollitur omnino, vel differri posse docetur ad finem vsque vitæ, vel impleri aliorum præceptorum obedientiâ. Hoc enim perinde est ac si quis dicat, artem medicam professo non esse valetudinem per se amandam, nec ratione sui quærendam.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Argumenta contra præceptum Charitatis obiecta accuratius refelluntur.

HInc conuelluntur argumenta Amadei, quorum primum sumitur à comparatione Baptismi. Idem, inquit, iudicium est de præcepto Charitatis & Baptismi: Atqui ex D. Thom. quæst. 6. sup. art. 5. præceptum Baptismi potest sine culpâ differri vsque ad mortis articulum,

nec toto decursu vitæ vrget: Ergo satisfacit præcepto charitatis, qui illud differt implendum sub vitæ postremum instans.

Argumentum hoc vitiosissimum est, & nullâ sui parte verum: falsa est prima propositio, quia præceptum charitatis ad finem pertinet, & Baptismi ad media: quæ verò probè iniri potest comparatio, in vllo instituto finis, & medii, cum ille quæratur causâ sui, istud ratione finis, cum amor illius sit fundamentum, ac proinde præire debeat aliis, aliud verò sit accessio? Falsa est etiam Propositio 2. nec potest ascribi D. Thomæ, nisi per summam calumniam, cùm ibidem doceat dilationem Baptismi imputari ad culpam, interdum venialem, interdum mortalem; pro dilationis ratione & causâ: nec dubium est quin sit graue peccatum, si differatur Baptismus ad lautius viuendum. Nec fides est sincera Amadæi, dum Caietanum inducit 3. part. quæst. 68. art. 3 quasi discordem à D. Thoma, & damnantem illius principium de dilatione Baptismi citra culpam, vsque ad mortis articulum, cum hoc alienum sit à mente D. Thomæ.

Iisdem vitiis laborat 2. argumentum petitum ab exemplo contritionis, cuius præceptum vult, non magis vrgere quàm charitatis & amoris Dei: Atqui præceptum contritionis non ligat lapsum in peccatum statim post casum, sed differri potest ad finem vsque vitæ: Ergo idem de præcepto charitatis probabiliter asseritur.

Falsæ sunt omnes huius argumenti propositiones: prima quidem, quia præceptum de amando Deo vrget primâ institutione vitæ Christianæ, cum adultus peruenit ad vsum rationis: præceptum contritionis est quid posterius lapsu in peccatum. Et disp. 2. probatum est dilationem quamcumque, non esse nouum peccatum, nisi accedat negligentia desiderio liberioris vitæ: tum enim habet reatum peccati venialis, aut mortalis, pro ratione & causâ dilationis, sicut de Baptismo diximus ex D. Thoma. Idque certius est de contritione, cuius dilatio minus excusari potest quàm Baptismi; quia hic suppleri potest voto, nihil verò suppetit, quod vicem obeat contritionis.

Hinc Amadæus occasionem sumit Caietanum carpendi, quòd docuerit de contritione improbabilia, & quæ Soto lib. 2. de naturâ & gratiâ c. 17. *visa sint instar mira-*

culi. Primo dari contritionem adeò imperfectam, vt sit informis, & sine charitate, ac subinde iuncta peccato: Hæc dicit Amadęus haberi in summa *Verb. contritio* editione Venetâ, & Parisiensi, quæ in eâ quâ vtor, desiderantur. Deinde quod mirabilius est Soto, 3. parte quæst. 84. art. 1. attribuit attritioni, quod negat contritioni: distinguit enim triplicem gradum attritionis, primum ita perfectæ, vt sine sacramento tollat peccatum; secundum infimum, vt ne id quidem efficiat iuncta sacramento; 3. medium, vt sacramento iuncta, reatum tollat peccati.

Nolim hæc ex Caietano defendere, quamuis possem vero sensu interpretari: primum assertum illius interpres Gaugericus propugnat ex Syluio, cum quo agnoscit contritionem adeo imperfectam, vt extra sacramentum non sit idonea, & vltima dispositio ad remissionem peccati; quod admitto, si sit naturalis, seu viribus naturæ, non gratiæ elicita: quo sensu defendi potest secundi asserti pars altera; attritionem adeò imperfectam esse posse, vt etiam iuncta sacramento gratiam non conferat: & reuera ita est, si sit naturalis & concepta ex metu alicuius mali temporalis. vnde in Amadæum, hæc Caietano extra propositum illata accusatio regeri potest: nam è suis nonnulli ausi sunt propugnare hanc Thesim. attritionem naturalem ex metu alicuius temporalis commodi sacramento iunctam, peccatorem iustum facere: quod apertam hæresim sapit.

Primam secundi asserti partem, attritionem sine sacramento conferre gratiam, nec intelligo nec defendo: nisi dicamus Caietanum velle, sicut attritio accessione sacramenti euadit interdum in contritionem, aliquâ gratiæ singulari opitulatione; id etiam extra sacramentum, velit aliquando contingere.

Tertium argumentum deterius est duobus superioribus: illo contendit Amadæus, (etiam quod mirum est ex D. Thoma) præceptum charitatis amandi Dei, nullum dari speciale. Eodem, inquit, modo, illi potest satisfieri, quo præcepto dilectionis inimicorum: Atqui ex D. Thoma 2. 2. quæst. 25. art. 3. impletur hoc postremum præceptum, quamuis nullo speciali dilectionis motu feramur in inimicum, dummodò paratum habeamus animum diligendi inimicum, si necessitas occurrerit ad euitandum

illius odium : vnde concludit argumentationem Amadæus ; *Quid ergo ? dicemus ne , in doctrinâ D. Thomæ, neminem teneri amare Deum actibus internis specialis amoris, nisi cum opus fuerit ad euitandum odium ? Expende vim consequentiæ.*

Expendo plane , nec video plus virium habere , quàm si quis dicat non esse Medico magis amandam , aut quærendam valetudinem , quàm remedium amarissimum & crudelissimum, qualis est amputatio brachii , ad curandum vulnus. Quis ista ferat , adeò præposterè ex doctrinâ D. Thomæ sanctissimâ , deduci consequentias impias & absurdas ? Deus ratione sui , vt summum bonum , & finis vltimus amandus est , proximus & inimicus Dei tantum causâ, quia iubet, quia ad illum pertinet, quo sensu ex veteri prouerbio apud nos,cuius meminit D.Bernardus, dici solet *qui amat me , amat & canem meum :* Ergo sicut canem amici ex amicitiâ non debeo singulari affectu prosequi ; sed iuri amicitiæ satisfacio, si habeam animum paratum ad canem diligendum, cum occurrerit occasio amico testandi affectum , eius cane non omnino neglecto: ita satisfaciam præcepto charitatis in Deum , si illum eodem loco , quo canem reponam. Et adhuc ferimus ista dici, & ex D. Thomâ trahi , cum hoc monito , *expende vim consequentiæ* ? Valere concedam,si obtineat à Deo omni amore prosequendo , ad proximum & inimicum odio per se dignum : si obtineat à fine ad media , à sanitate ad remedia, à domino ad canem.

Quandoquidem hîc de consequentiis agimus ; obseruari velim ex D. Thoma finem comparari ad media , vt principia ad conclusiones: vnde mirum est, non posse conclusionibus assensum dari, nisi principiorum specialissimus præcesserit , & velle Amadæum proximum , & inimicum diligi ex Charitate , nullo affectu in Deum præuio : quod perinde est , ac consequentiis & conclusionibus assentiri , nullo præmissarum & principiorum assensu præmisso. Hoc si quis dixerit, omnes dialecticæ leges euertet ; Sed longè grauius in legem charitatis peccabit , qui primum asseruerit. Consequentiam fulcit Amadæus, Ioannis Sancii Theologorum laxissimi testimonio , duobusque argumentis , quorum primum Disput. 1. ex Tamburino attigimus ; præceptum charitatis Dei , nullum tempus

designat: Ergo relinquit arbitrio hominis, Deum diligere, quo placuerit tempore, & si visum fuerit ad finem vsque vitæ differre. Si ita sit, quid vetat quin filius ad articulum mortis suæ, vel patris differat obsequia patri præstanda, quia præceptum honorandi parentes vagum est, & nullum designat tempus?

Addit aliud ex eodem Authore, ab exemplo innumerorum, qui per totam vitam nullo singulari actu amoris Deum sunt prosecuti, contenti solum cæterorum mandatorum obseruatione, *quos damnare temerarium sit*: Sed viderit ille, ne grauior, quàm temeritatis damnatio in ipsum cadat, quod à maximo omnium præcepto eximat, & securitatem polliceatur. Sed Gregorius fauet illis, cum ait: *verè enim Deum diligimus, si mandata eius custodimus.* Sed quæro, an nudæ obedientiæ præcepti ieiunii, & castitatis quoad substantiam, vt dici solet, etiam seiunctæ à modo accidentario ex charitate referentis ad Deum dilectum, sit is amor de quo Gregorius: Si ita sit, peccator, & Ethnicus, qui multa præceptorum iuris naturalis obseruat, verè Deum diligit, & in charitate manet, ac proinde dignus est vitâ æternâ. Si refugias tam grande absurdum admittere, fatearis necesse est, non quamcumque præceptorum obedientiam esse Dei dilectionem, sed quæ adiunctum habet modum ex speciali charitate.

Sed instat Amadęus hanc suam assertionem, non leue fundamentum habere apud D Thomam, eiusque Discipulos quorum aliquot loca citat: primum quidem 2. 2. quæst. 44. artic. 1. ad 3. vbi ait pręcepta charitatis non fuisse connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includi; quòd scilicet ordinentur ad dilectionem Dei, & proximi: & art. 4. ad 2. *Dupliciter ait ex toto corde Deum diligi: 1. actualiter, & ista est perfectio patriæ: 2. habitualiter, ita vt; totum cor hominis in Deum ferri, sit nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipere, & hac est perfectio viæ, cui non repugnat peccatum veniale: quia non tollit habitum charitatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solum impediat charitatis vsum:* Ergo ex D. Thomâ, licet detur habitus charitatis specialis; non tamen specialis actus ex præcepto ad salutem necessarius est; sed satis est ad euitandum peccatum mortale, nihil agere contra dilectionem diuinam; quod possumus consequi

saluo habitu charitatis aliorum præceptorum obseruantiâ. Idem confirmat ex quæst.184. art. 6. ad 2. Addit testimonium Caietani: vnde concludit cum Tamburino libro 2. capite 3. non ignobiles Doctores docere præceptum hoc generale esse imbibitum in omnibus aliis, sicut docent Suares, Vasques, & alii de dilectione proximi: Idque confirmat ex Quodl. 4. art. 24 ad 1.

Articvlvs Vltimvs.

Vindicantur loca D. Thomæ, & principia citata, à falsis interpretationibus Amadæi, & Sirmondi.

Licet vbique magnus, reliquos Scholasticorum superet S Doctor; tamen cum de charitate agit, seipso maior videtur, & sese vincere, vt meritò damnandus sit Amadæus, qui apertissima, & lucnlentissima de charitatis singulari præcepto principia S. Doctoris, ausus sit temerare falsis omnino consecutionibus. Quò pulchrior & gratior est facies, eò plus habet fœditatis, quâ deturpatur macula, & plus incutit horroris vlcus, quò exeditur. Quid de his dicam Amadæi deprauationibus, quibus, vt vim, & præceptum charitatis virtutum præstantissimæ resoluat, & tollat omnino, totius doctrinæ Angelicæ principia solidiora, & sanctiora conuellit, & corrumpit? Sanè quisquis hoc speciale præceptum negat, quod natura suggerit, ratio suadet, authoritas euincit, *in cuius inculcationem*, vt loquitur Sinnichius, *vniuersa diuina eloquia conspirant: non procul ab Atheismo distat illius assertio; imo multò facilius omnium hæreticorum & impiorum errores poterit propugnare.*

Quis enim non videat, multo difficilius ab illis euinci, dari vnum numen infinitè bonum & perfectum, & legem æternam vitæ humanæ constitutam, quàm si hæc duo agnoscas ratione demonstrari, aut fide credi oportere, ex concessis concludas numen illud rerum omnium principium, ex charitate amandum, & omnia in illud vt in vltimum finem referenda, atque hæc obsequia aliquo præcepto singulari præscribi? Hæc adeò aperta & ne-

cessatia visa sunt S. Doctori, vt sicut præceptum de Fide rectâ in Deum, & Spe in illo collocanda, ita de amando Deo excludat à Decalogo, hoc nomine, quod euidentiora sint huiusmodi præcepta, quàm vt oporteerit Decalogo euulgari.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Triplex ordo præceptorum quorum primo reponitur præceptum Charitatis.

QVare 1. 2. quæst. 100. art. 11. tria distinguit præceptorum moralium genera: *Quod quædam*, inquit, *sunt communissima, & adeò manifesta, vt editione non indigeant, sicut mandata de dilectione Dei, & proximi, & alia huiusmodi* (*qualia diximus præcepta Fidei & Spei*) *quæ sunt quasi fines præceptorum; vnde in eis nullus potest errare, secundum iudicium rationis. Quædam verò*, inquit, *sunt magis determinata, & veluti conclusiones* ex primis & per se notis synderesεos principiis, quorum sensus & interpretatio obuia est cuilibet populari. Sed quia interdum contingit peruersum de his iudicium humanum, opus fuit Decalogo edi & promulgari: tertii denique generis præcepta occultiora, & solis sapientibus nota: & hæc addita sunt Decalogo tradenda populo per Moysen & Aaron, vt vsura & fornicatio.

Ex hâc enumeratione præceptorum constat primo loco reponi à S. Thoma charitatis præceptum de amando Deo. Et ne dicas cum Amadæo, commune esse, & inclusum cæteris, non singulare: *hoc obtendiculum*, vt loquitur Sinnichius, occupauit & amolitus est S. Doctor Articulo superiori, vbi ita habet: *Actus charitatis dupliciter considerari potest, vno modo, secundum quod est quidam actus per se, atque ita cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum, &c.* Et statim subdit, *alio modo potest considerari actus charitatis, vt est modus actuum aliarum virtutum, vt ordinantur ad charitatem, quatenus est finis præcepti, vt dicitur ad Timotheum 1. nam intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati in finem.*

Ergo nihil certius aut euidentius est apud D. Thomam, illo speciali præcepto charitatis, sicut aliarum virtutum Theologicarum, quæ S. Doctor docet esse principia & fundamenta Decalogi.

Nam si Deo credendum est, quod verax sit, & omniscius, nec fallere magis possit, quam falli; si in eo Spes nostra ponenda est, quod nec facultas Omnipotenti, nec voluntas summè bono desit ad bene faciendum; nonne etiam eodem iure Deus infinitæ bonitatis, ex præcepto est summe amandus? Negare non potest Amadæus citra apertam hæresim, præcepta singularia Spei, & Fidei, quamuis Decalogo non significentur nominatim; sed aliis ad salutem necessariis operibus & præceptis includantur; quo ergo animo & consilio negat charitatis singulare præceptum, quod Fidei & Spei concedit? cum charitas sit longe præstantior, & finis ac plenitudo totius legis? Vel ergo harum omnium virtutum Theologicarum, quarum non meminit Decalogus, negandum est, aut asserendum præceptum: vel discrimen aperiendum, cur Fidei admittas leges, charitatis neges, cum tamen hoc primum pronuntiet Christus, & maximum omnium mandatorum.

Eodem exemplo præceptorum Fidei & Spei conuellitur argumentum Amadæi ex primo D. Thom. loco, quo asserit præceptum Charitatis aliis includi. Certum enim est, eodem sensu de Charitate interpretandum, quo accipi solet de Prudentiâ, de Fide, & Spe. Quidquid enim impletur præceptorum ex Euangelio, ab homine qua Christianus, Fide præuiâ & duce peragitur, ac proinde Fidei præceptum & actum, aliis virtutibus adiungi necesse est. At si inde nullâ nisi hæreticâ consecutione potest deducere, non dari præceptum speciale de Fide, quia aliis includitur; cur id ex D. Thomæ verbis infert, Charitatis non dare speciale præceptum, quod aliis dicat admisceri, quodque illi cum Fide & Prudentia sit commune? Quare vel vtrobique, vel nullibi valet hæc consecutio, vt dandum sit vtriusque speciale præceptum, vel neutrius. Fidei negare non potest sine hæresi: ipse viderit, quâ probabilitate tollat singulare Charitatis præceptum.

Paragraphvs Secvndvs.

Charitatis 4. gradus, & quis ad salutem necessarius.

NOn est minus aperta aut perniciosa alterius loci corruptela ex articulo 4. eiusdem quæstionis 44. D. Thomas explicat illa præcepti verba, *Diliges Dominum ex toto corde, &c.* & quatuor gradus Charitatis distinguit, extremos duos nempè supremum & infimum, totidem medios, quorum vnus supremo, alter infimo accedat. Hoc omnibus commune statuit, vt Deo dilecto nihil anteponatur, aut æquetur: & hunc Charitatis ad salutem Iustis omnibus necessarium ponit gradum, quo si vera sit, clamat, *Quis vt Deus?* Quis pari cum illo amore dignus, & prosequendus? Et hoc statu nihil patitur charitas Deo aduersum, & ab illo excidit quolibet peccato mortali. Gradu vero huius scalæ supremo, ita fertur charitas tota in Deum, vt ipsum æquet, par sit infinitæ bonitati, eamque nihil minus diligat quam sit diligibilis: ea vis charitatis soli Deo eximia est, & omni naturæ creatæ inconcessa. Inter hos duos gradus stat media charitas Beatorum, quæ sic tota in Deum fertur, vt perpetua sit, nullius intermissionis, aut diminutionis patiens, & efficacissima, totum hominem sic in Deum rapiens, vt nec ab illo auelli possit vnquam, nec quidquam subterfugere, quod Beatus non referat in Deum summè dilectum. Infra hunc tertium statum, posita est charitas viatorum, quo abdicatis affectibus rerum omnium, Beatos imitantur, & qua mortalis vitæ infirmitas patitur, toti in Deum feruntur: illi enim vacant, impedimenta huius cum Deo vnionis diligentissime semouent.

Iis ita constitutis, facilis est interpretatio locorum D. Thomæ, ex ipsius mente post D. Bernardum & D. Augustinum, aliosque Patres, quos sequitur Bellarminus lib. de Monachis cap. 13. præcepti charitatis, Diliges ex toto corde, duplex est interpretatio. Charitatem quocumque statu etiam infimo, siue habitu, siue actu, cum præceptum vrget, sic totam ferri oportet in Deum, vt nihil Deo æquet; illum omnibus anteponat, vbicumque occurrerit occasio Deum cum creatura componendi: & cum

D. Paulo dicat, qui verâ charitate agitur: *Quis me separabit à Charitate Christi?* Ex illa enim adhæsione cum Deo, vt summo bono & vltimo fine, vim habet charitas aliis virtutibus imperandi; & *seruire Deo, illi regnare est.* Dum se subiicit omnium rectori, inde sortitur ius sibi omnia subiiciendi.

Hinc charitatis præstantia & dominium in cæteras virtutes, hinc plenitudo legis dicitur; quia ad implenda præcepta, omnes mouet & iuuat virtutes. Hinc dicitur illa *arbor bona*, vnde omnis iustitiæ fructus existit. Eò spectant Augustini & Prosperi dicta, & Concilii Arausicani & Mileuitani decreta, vniuersæ legis obseruantiam, immunitatem ab omnibus peccatis lethalibus, non esse opus naturæ, sed charitatis, cum quâ datur Spiritus S. & animam iustam mouet, inhabitat & sanat: Nam cum totius legis obedientia, & peccatorũ immunitas, sit supra vires naturæ corruptæ peccato, præstari nequeunt hæc officia, nisi natura sanetur, fiatque idonea toti legi implendæ. Id vero quâ ratione fiet? Vna charitate *diffusa in cordibus nostris*, quâ donamur Spiritu S. inhabitante & mouente. Quis vero credat, hos omnes iustitiæ fructus, à charitate otiosa, & quasi dormitabundâ existere, nullo præcepto excitatâ, nullo actu dilectionis imperato aut elicito? Inde aliud Argumentum depromimus in Amadæum.

Certum est præcepta dari ad actus, eòque etiam referri habitus virtutum, quibus simus idonei ad imperatos præcepto actus eliciendos: quare iuxta veræ Theologiæ, & fidei regulam, præcepta & habitus virtutum ex actibus metiri oportet; vt quò isti nobiliores, ad salutem comparandam, & vitam instituendam magis necessarii, & efficaciores fuerint, eò præstantiores habitus, & viuaciores à Deo infundendi, & strictiora præcepta imponenda sint. Ita enim connexa sunt tria hæc, vt à nobilitate habitus ad actus præstantiam, & ab vtriusque ratione ad præcepti vim, omninò necessaria sit consecutio. Quæ cum ita sint, quæro ab Amadæo, num certum habeat ex Scripturâ infundi iustis charitatem virtutum præstantissimam, cui dignetur Trinitas adiungere missionem, & donum Spiritus S. imo animam charitate sanctificatam, tota inhabitet, sibique in templum & triclinium eligat. Hæc verò ad quid comparata sunt? Ad quid adeò pretiosa virtutum supellex? Ad vnam

dilectionem Dei super omnia, quâ meremur vitam æternam, quâ tentationes vincimus, abigimus peccata, legem implemus. Et post ista asseret Amadæus, & ex D. Thoma confirmabit, nullum dilectionis Dei super omnia præceptum extare? Quod perinde est, ac Deum velle, vanum esse suorum donorum maximum, otiosam virtutum actuosissimam, aliis tantum famulari omnium Reginam, nec sui, aut Dei & vltimi finis causâ, quidquam agere; sed aliarum tantum virtutum occasione, & ad alia, si quæ sint ministeria Ecclesiæ longè charitati inferiora obeunda inseruire? Quis credat hominem Christianum adeo præpostere à Deo institutum, vt cum Christus iusserit, *quærere primum regnum Dei & iustitiam eius*, in charitate & vltimi finis sine dubio positam dilectione, hanc patiatur nos toto vitæ decursu negligere, & sibi satisfiat, si ad finem vitæ quæramus quod primum indixerat quærendum?

In memoriam reuocandum, quod supra diximus cuiuslibet instituti finem, ad cætera comparari quæ administrat, sicut in scientiarum progressu principia ad conclusiones, & vtriusque rationem se habere, sicut radicem arboris ad quos tulerit fructus. Si ita sit, quis capiat ordinem ab Amadæo homini Christiano præscriptum, vt nullâ finis vltimi habitâ ratione, omni neglectâ illius intentione & curâ, ad cætera ordinate feratur? Hoc enim non minus absurdum est, quam si quis dixerit radicem non nisi in fructu, causas in effectis, præmissas in conclusionibus, fundamenta in tecto, solem in radio extare. Et hunc in institutione hominis Christiani Amadæus ordinem contendit saluo iure diuino seruari posse, vt quæ omnium virtutum radix est, causaque charitas, in se otiosa, manibus tantum, & operationibus aliarum virtutum spiret, & immunis ab omni præcepto Deum amandi, aliena impleri patiatur, non iubeat quidquam etiam Dei causâ. Hæc monstra prodierunt ab officinâ probabilitatum.

Sed Amadæus aliud sibi præsidium parat, à tertio loco superioribus nihilo minus illustri. Sed puto magis ex ignorantiâ, quam fraude corruptum: vix enim profundissimam S. Doctoris mentem potuit capere, nec Vvendrockius videtur mihi omninò fuisse assecutus; quamuis Disputatione de hoc argumento multa habeat obseruatione digna. Sed vix ille Articulus quartus & sextus intelligi

poteſt, niſi charitatis in quatuor gradus diſtinctioni explicatæ addamus verba quibus exprimitur præceptum Charitatis, duplici ſenſu intelligi: primò quidem vt importent tantum infimum charitatis gradum, quo Deum nulli æquat, omnibus anteponit; & hanc interpretationem præcepti hactenus proſecuti ſumus: ſed altera ſupereſt longe profundior & ſubtilior, ex Auguſtino de Spiritu & Littera cap. vltimo, quem ſequitur Bernardus ſermone 50. in Cant. & D. Thomas hic; his præcepti verbis ſecundus & tertius gradus continetur, aut potius indicatur, vt finis quo nobis ſit enitendum; licet nequeamus eo pertingere; ſed nulla culpa erit defeciſſe in medio conatu rei longè nobiliſſimæ perficiendæ.

Rem explicat poſt S. Doctorem Bellarminus loco citato exemplo ducis, qui duplici verborum formulâ vti poteſt, dum milites ad prælium inſtruit; primùm ſi ita illos compellet, *præcipio commilitones hoſtem aggredi, volo vos probetis viros ſtrenue agatis, & ſtatuatis hodie vobis occumbendum aut vincendum.* Hæc verba vim habent præcepti, & ſui tantum officij milites monent. Si vero vt animos militum erigat alacrioreſque faciat, præcepto adiungat adhortationem. *Hæc pugna commilitones futura eſt totius belli finis, hodie vincendus eſt hoſtis, cum quo tamdiu decertauimus:* hâc poſtremâ verborum formulâ, nihil præcipit Imperator priori obmiſſum, aut iniuſſum: hoc tantum ab illâ differt, quod victoriam indicet veluti finem, cuius causâ pugnant, & monet ne per ſe ſtet quin vincant. Sed quia incerti ſunt euentus bellorum, contingit aliquando nullâ militum culpâ vt vincantur vel occumbant.

Hoc ſecundo ſenſu interpretatur Auguſtinus loco citato præceptum charitatis, vt complectitur, aut potius indicat, tertium gradum charitatis beatificæ, ad quem culpæ non imputatur, ſi attingere & aſſurgere non detur, ſicut docet Auguſtinus loco citato. *Neque enim*, inquit, *culpa deputandum, ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plena, perfectaque debetur.* Et Libro de Perfectione Iuſtitiæ: *Cur*, inquit, *non præciperetur homini iſta perfectio, quamuis eam in hâc vitâ nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt neſciatur: quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?* Auguſtinum Bernardus loco citato imitatus: *Non latuit*, inquit, *præ-*

ceptorem præcepti pondus hominum excedere vires: sed iudicauit vtile ex hoc ipso sua illos sufficientia admoneri, & vt scirent, sane ad quem iustitia finem niti pro viribus oporteret: Ergo mandando impossibilia, non præuaricatores homines fecit, sed humiles.

His exemplis, & SS. Patrum testimoniis, quos D. Thomas secutus est, constat, quàm immanè distent à mente S. Doctoris, Sirmundus & Amadæus, quamque alienam ab eius sensu consecutionem deducant, dum ex art. 6. ad 2. à re exemplo militis explicatâ, inferunt D. Thomam velle, nullum Charitatis actum iniungi præcepto dilectionis; sed tantum vt seruetur habitus charitatis in infimo gradu; *Quo nihil supra, aut contra Deum, vel æqualiter ei diligitur.* Deum immortalem! Hæc D. Thomæ eo loci affingere, vbi præcepto charitatis nos ad dilectionem diuinam vatiis stimulis impelli demonstrat, vt fine quò tendamus, charitatis Beatorum perfectione; eodem prorsus argumento, quo Imperatores solent militibus animum addere, cum non solùm pugnandum, sed etiam vincendum esse monent, & qua licet præcipiunt. Hæc vero formula, aut interpretatio præcepti, quid aliud spirat, quàm accensum & frequentem in Deum amorem? Ergo manifesta est ignorantia Amadæi, & D. Thomæ corruptela, velle illum negare præceptum singularissimum amoris Dei.

Argumentum vero illud initio Propositionis, & ad finem ab exemplo charitatis proximi, cuius nullum speciale præceptum detur, vnde deducit, nec dilectionis Dei dari, & confirmat ex D. Thoma Quodlib. 4. art. 24. tribus vitiis laborat. Falsùm est antecedens, & contra expressa Christi verba Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem:* & quamuis nullum extaret de amando proximo, nulla & fallax est consequentia, ad præceptum de Deo diligendo. Quæ enim comparatio proximi ad Deum, vt summum bonum & vltimum finem, cuius dilectio est fundamentum totius vitæ Christianæ? Tertium huius argumentationis vitium est D. Thomæ testimonium, quo euertitur aduersarii assertio: eo enim Quodlib: & art. ad 1. erudite differit, & varias refert Patrum sententias, de adolescente Matth. 19. cui Christus consuluerat abdicationem diuitiarum, nec voluit acquiescere. Horum Patrum discordes in speciem sententias conciliat distinctione

duplicis obseruantiæ præceptorum, quæ iura proximi tuentur: prima cum nulla proximo infertur noxa, & citra nostrum incommodum iuuatur; quæ interdum non sufficit, nec ad salutem, nec ad necessariam obseruantiam, nisi addatur altera perfectior, cùm proximo laboranti succurrimus, perinde ac nobis, id est cum aliquo etiam incommodo & detrimento. Quare non satisfacit præcepto, qui cum diuitiis abundat, egenti proximò, è superfluis, aut non omnino necessariis, nihil largitur. Et cum ad obseruantiam præceptorum secundæ tabulæ, occasiones occurrant, quibus cum aliquo nostro incommodo grauioribus proximi malis succurrendum sit, & vix à nobis id obtineamus, nisi ex animo alios diligamus; hinc saltem necessarium est, præceptum singularis amoris proximi: quo sublato cætera nutant, nec impleri possunt secunda specie obseruantiæ, multo minus collectim omnia, nisi præeat veluti radix horum fructuum, singularis ex charitate affectus in proximum.

Si ea sit necessitas & efficacia specialis dilectionis in proximum, ad obseruanda secundæ Tabulæ præcepta; quid futurum putas de singulari amore in Deum, vt summum bonum ad seruanda collectim omnia præcepta? Quare aduersarii videntur mihi, non solum conuellere fundamenta Christianæ institutionis; sed etiam efficacissimum, & necessarium præripere medium, ad obseruantiam peccati mortalis immunem, reliquorum vniuersim præceptorum. Qui istud singulare de amando Deo tollunt, vel aliis permiscent, vocant amorem effectiuum, & peruerso sensu ab affectiuo distingunt, quasi prior solus ad salutem, & ad obseruantiam omnium collectim, & plenam mandatorum sufficiat. Effectiuus enim amor, qualem Deo concedimus vnum in creaturas, vel in media volita vnius finis gratiâ, debilis omnino est, & impar mandatis implendis, nisi vires sumat ab amore affectiuo, quo prosequimur quidquid innatâ bonitate dignum est nostro affectu, & illo afficimur: vt merito damnandus sit ille amor Dei effectiuus, seiunctus ab altero, hoc præter alia nomine, quod nisi ex affectiuo prodeat, Deo sit indignus, eoque vt dixi donemus, aut dignemur, quæ munus idonea sint, nostros affectus ciere. Vide de hac distinctione plura apud eos Authores, qui ex professo Sirmundum impugnarunt.

Ad hanc quæstionem pertinet prima propositionum, quas Alexander VII. damnauit, & ita habet: *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.* Hæc censura validè confirmata, totâ Disputatione de præcepto charitatis summum Pontificem à nonnullorum calumniâ vindicat, qui non dubitarunt euulgate sub finem vitæ decretum ab illo paratum quo damnabatur sententia, quam propugnauimus de singulari præcepto amoris Dei super omnia ad salutem necessarii; cum expressimis verbis, cuius calumniantur damnationem fuisse meditatum, doctrinam suo decreto indubitatam faciat: in illam tamen impegisse Caietanum & Bannem contendit Nicolaus *Dubois* num. 1. & sequentibus sui operis, nempe vt in Thomistas deriuet inuidiam huius opinionis, à quâ vindicauit Patres Societatis ferè omnes ad vnum: non improbo, impensè etiam laudo affectum in illos. Sed cur per iniuriam traducit D. Thomæ Discipulos? cum omnium constantissima sit mens, maximè Caietani & Bannez primo instanti physico, aut morali vsus rationis, vrgere quemlibet hominem nominatim Christianum, speciale præceptum ex charitate se suaque in Deum vt vltimum finem supra omnia amatum referendi, & si desit huic officio, peccatum mortale admittere, ante quod nequeat locus esse veniali. Qui in hanc doctrinam iurat Bannez, potuit-ne *ab oppositâ sententiâ non recedere, nisi*, vt loquitur Nicolaus, *per quam dubitantissimè?* Quod explicatâ suâ sententiâ decursu vitæ post primum instans morale, *eum satisfacere præcepto charitatis, qui dignè semel per annum Eucharistiam sumit*, subiungat tandem: *dico quod fortassis nobis ignorantibus est omissio huius præcepti*.

Miror ob ista postrema verba Bannem trahi in eorum opinionem, qui præceptum dilectionis Dei super omnia tollunt, vel nonnisi *dubitantissimè* (vt loquitur Nicolaus) admittunt; cum ipse de hoc argumento, primum doceat vrgere illud præceptum primo instanti morali vsus rationis; Deinde ad id implendum exigat pro quolibet anno condignam Eucharistiæ sumptionem, quam velit sine dubio habere adiunctos actus perfectæ charitatis: Et quasi diffisus se satis maximo omnium præcepto consuluisse, ex religiosâ conscientiâ timet, ne nobis ignorantia imponat,

& aliquid vltra Deus exigat à nobis, aut imputet ad culpam. Qui Bannem tot præsidiis hoc præceptum munientem trahit in aduersam illi sententiam, parùm videtur æquus: Nec cum Caietano sinceriùs agit idem Author, dum illi damnatam propositionem impingit occasione istorum verborum, *infra limites præceptorum communi modo seruandorum seruatur dilectio Dei super omnia*: quæ ait extare in q. 186. art. 2. ex 2. 2. commentatio: illum decurri nec legi huiusmodi verba: & quamuis illa scripsisset, non potuit magis huius erroris accusari, quàm ipsemet D. Thomas qui, vt supra retulimus, præceptum charitatis docet bifariam sumi, vel vt permistum aliis præceptis, vel vt speciale ab illis distinctum: quidni Caietanum eâdem distinctione interpretemur fuisse locutum?

Vereor ne istius propositionis examine Nicolaus in Sapientis reprehensionem & censurã incurrat: *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustũ, abominabilis est vterque apud Deum.* Non videtur satis à postremâ parte abhorruisse, dum Bannem & Caietanum iustos & innoxios condemnat, & impellit in damnatam propositionem; forte nec omnino abest à priori vitio, reos, & huic censuræ obnoxios purgantis, dum contendit num. 20. à notatâ propositione distare illam quæ docet præceptum charitatis impositum fuisse ob iustificationem impii, & solum vrgere, cum illi deest quæcumque alia qua iustificetur vi Sacramentorum ratio, nisi actum eliciat charitatis, quæ semper inuoluit aliquo modo actum amoris Dei super omnia dilecti. Ita puto scripsisse in gratiam Tamburini, & aliorum qui à speciali præcepto dilectionis Dei super omnia eximunt eos omnes, qui aliunde ex Sacramentis gratiam & charitatem habitualem quæ ad salutem sufficiat, receperunt. Verum vt omittam hanc opinionem falsi & temeritatis conuinci totâ istius articuli disputatione, expressis censuræ verbis damnatur, quia asserit Pontifex, quod negant Authores istius propositionis, *aliquo hominem vita sua tempore teneri elicere actum* Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium: Atqui interpretatio Nicolai eleuat Pontificiam censuram, quia actum charitatis astruit necessarium vi præcepti; quod locum non habet, si necessatius sit, tantum vt suppleat vim Sacramenti ad iustificationem; quâ semel comparatâ

etiam vi Sacramentorum, nullâ adhibitâ Dei dilectione super omnia, obtendit per totam vitam illud præceptum non vrgere, atque ita posse Christianum, tutâ conscientiâ mori, qui conscius sibi fuerit nullum charitatis actum vnquam se produxisse: quod nescio, an vllus Christianus sit probaturus: & hanc puto censurâ Pontificiâ damnari propositionem.

Articvlvs Qvartvs.

Animaduersiones in conclusionem Operis Amadæi, & nostri conclusio.

Deuenimus tandem ad conclusionem Operis Amadæi & nostrarum in illud animaduersionum. Ipse ex præmissis, id est, ex 125 assertionum vindiciis ait, *appare-re, quâ veritate, quo iure, quo zelo Anonymus in suo garriat libello*, propositiones suis præobiectas, esse commenta, falsas, improbabiles, scandalosas, temerarias, & erroneas. Antequam singulis respondeam, vniuersim obseruo, me mirari, cur aduersarium vocet Anonymum, cum certo sciat Esclapes, seu vero, seu ficto nomine appellari. Cur per Germaniam sparsum libellum referat, cùm compertum illi sit eum, in Hispania primum prodiisse vernaculo sermone, quem Latinum ex parte fecerit? Fortè, ne videretur interpretem agere, & excideret à gloriâ Authoris libelli. Sed dices dum videor leui culpâ plagii notare, eum liberare à grauiori. Certum enim est minus peccasse, si interpretem, vt plurimum egerit; & in me recidere accusationem, quod Francisci à pietate, qui Aquilar respondit, nomen tacuerim, & quæ ab illo ad hanc responsionem adiumenta mihi collata sint. Amadæus de immunitate Cyriacorum hanc vindicationem ait ab vno Goliath editam. A fide tamen dignis accepi, non esse hanc responsionem scriptam eo Authore, quem suspicatur Theophilus: Quidquid tandem sit non nego, sed præ me fero aliqua interdum ab illo deprompta, sed admodum pauca; quia breuissimè perstringit examen propositionum, & in alia fusè excurrit, à quibus mihi omnino abstinendum putaui. Ab illo excepi, quod de Philippi III. castissimo proposito

proposito, suo Confessario Authore, mortem potius subeundi, quàm fœdandi se retulit: & si is sit Author responsionis, quem carpit Petrus à Clausâ-valle, potuit nepos de morte Aui certissima narrare: addo me multis ab illo Scriptore dissentire, Amadęus verò nusquam ab Aquilar recedit.

Si verò ita sit, inquies, parum, aut nihil peccauit fidi Interpretis defunctus munere: quid mali est latina facere quæ legerit Hispano idiomate? Imo hoc culpam auget, nam præter quod, si hoc nomine voluisset excusari, non fuerat tacendum; defensio ipsa culpâ deterior est, quæ legisset pessima Hispano idiomate paucis nota, Latino sermone per omnes Christiani orbis regiones sparsisse. Addo, licet propositiones Aquilar duabus tantum auxerit singularibus de absolutione moribundi, tamen de suo penu infinita falsa in Dominicanos deprompsit.

Paragraphvs Primvs.

Expenduntur tres Amadæi exceptiones.

Tria excusat, aut potius obiicit aduersario Amadęus, 1. *nullâ veritate* obiectas recentioribus, quasi primis Authoribus 125. propositiones, quas ab antiquis Magistris acceperunt. Ita est; sed falsatas & interpolatas vbique fraude apertâ. Addit 2. *nulla censura notandas*, cum plerumque vt visum est, inter Doctores communes sint. Id falsum omnino, & si cui imputari iure possint, illi singulares sunt, qui relictâ viâ regiâ quęsiuit diuerticula. Et sane ipsiusmet Amadæi testimonio, aut silentio manifestum est, ignota fuisse, aut improbata SS. Patribus, quos nunquam citat: idque sat fuerit ad seuerissimam censuram, quod toto opusculo nullum potuerit, vel certè dignatus sit, antiquorum Patrum aduocare ad suarum laxitatum patrocinium. Vnde concludo temeritati & errori, quod frustra deprecatur, meritò imputari harum assertionum defensoribus.

At contra ipse nobis hanc grauissimam notam inurit ex Caietano: & in nos cadere putat, tres opinionum illicitarum species, quas accuratè distinguit Caietanus. Quædam, inquit in Summa *Verb. opinio* illicita est, quia vo-

luntaria, & pro ratione sola affertur voluntas: illicita est etiam, quæ Fidei & morum regulæ, id est, Scripturæ & Traditioni non consentit. Nec excusari potest pertinacior, quæ supra rationum momenta, atque ambitum opinionum, ex affectu potius quàm iudicio, pro certâ & indubitatâ defenditur.

Sed quid ista ad nos; quasi solâ voluntate, non ratione ducamur? Quasi à Scriptura recedamus dum standum contendimus pro lege, quamdiu maiori aut pari probabilitate pollet contra commodum & libertatem? Sed cur tacuit quæ eodem loco habet Caietanus, verba plane aurea, quibus quidquid hactenus à nobis disputatum est, pro compertissimo habet & confirmat? *Opinione*, inquit, *uti vt regulâ operationum, illicitum primo in credendis, nisi eam subiicias Ecclesiæ: quoniam ambigua regula, qualis est omnis opinio, resoluenda est in regulam certam, ne in errorem deducat. Illicitum est 2.* inquit Caietanus, *uti opinione in operando, nisi tutiorem partem eligas: Neque enim opinionem cuiuscumque licet assumere, vt regulam operis. Eo enim ipso quod operatio ducitur opinione, subiicitur regulæ ambiguæ: quia omnis opinio, est cum formidine ambigua & incerta. Et quia supponitur non eligi tutior pars; consequens est, operationem committi regulæ ambiguæ ad casum peccati mortalis, si cum formidine & dubio suscipias, an mortale sit quod meditaris agendum.* Quid potuit Fagnanus, & Mercorus Caietano apertius & validius scribere in Probabilistas?

Et tamen nihil dubitat Amadæus ex Caietano aduocare subsidium eodem loco quo funditùs omnes eius assertiones euertit, hoc fundamento nixas, consilii esse, non præcepti, eligere partem tutam pro lege stantem.

Bannesij monitum prudentissimum quidem est, sed nihil ad rem nostram: quia scribit Prolegomena ad Theologiam Dogmaticam, non ad moralem, cuius longè diuersam esse opinandi rationem, pluribus locis demonstratum est; quod nullum ferè opinionibus ad Theoriam spectantibus, subsit peccandi periculum, sicut nec spes veritatis assequendæ. At de moribus secus est: opinioni pro libertate stanti, periculum aliquod peccati semper inest, nullum pro lege pugnanti, imo certam habet sibi adiunctam honestatem. Quare maior cautela, & longè iustior

est vsurpanda libertas, ad censuram aut fugam opinionum moralium, quàm dogmaticarum.

Nec dicas ex D. Thoma quodl. 9. art. 15. *quod vergit in commune periculum, non esse ab Ecclesiâ sustinendum*: Et cum sciens & prudens hanc opinandi licentiam, ex probabilitatum regulis ferat, argumento est, nihil mali aut periculi habere. Huic obiectioni ex tolerantiâ Prælatorum pluries responsum est Disp. 1. art. & § vltimo & Disp. 2. Sect. 2. art. 2. ad finem: quibus addo malè obtendi in excusationem Ecclesiæ silentium, cum illud obruperit, qui nunc sedet Alexander VII. decreto in Apologiam Casuistarum, id est, omnium laxitatum colluuiem, & cum decretum latum sit superstite Amadæo, contumaciæ arguenda est hæc responsio. Sed Pontificias constitutiones tacet, si proprio sensui aduersentur: atque ita suo exemplo Iansenistas docet contemptum Pontificiorum decretorum, ad minus quoad res facti, cum ipse non curet vti par est, etiam de rebus iuris, multo certioribus.

Si certâ veritate, temeritatis, & falsi assertiones accusauimus; immeritò queritur Amadæus suâ secundâ exceptione *Quo iure* illis intercedamus: quem enim testem sui iuris, & nullius nostri aduocat, Caietanus, illum prorsus à sibi arrogato iure excludit. Eos damnat Opusculo de Præscientiâ, qui nihil probent, nisi quæ legerint apud Authores, quos sibi ex priuato affectu, non iudicio, elegerint in Magistros. Nos ab hoc malo procul absumus, propositiones Amadæi improbamus, quod Scripturæ, & Patrum testimoniis, & solidis argumentis destituantur: atque hoc solùm nomine quibusdam placeant, quod indulgeant cupiditatibus, & assertores habeant *Magistros prurientes auribus*.

Quid verò in illorum gratiam potest excerpere ex D. Augustino morum seuerissimo exactore? Quid ad controuersiam nostram facit, aurea ex illo, & ex D. Thoma regula, *quoscumque Doctores non esse audiendos, vt Authores Canonicos*? Sed ab illâ videtur toto suo opere recessisse, dum iubet nos recentiores audire, ferè vt Scriptores sacros. Nam quæ iniquior, simulque enixior potest esse commendatio, huiusmodi Magistrorum, quorum toto opere causam tuatur, quàm vt quæcumque vnus illorum, Diana, aut Sancius inuenerit probabilia, aut aliquis

pœnitens secutus fuerit, Confessarius reus sit peccati lethalis, etiam cùm SS. Patres, & Doctorum reliquos audit, si pœnitenti absolutionem neget? Ergo iubes me Dianam, & Sancium perinde legere, ac libros Canonicos: cum ex te reus sim æternæ damnationis, nisi illorum opinioni non solum assensu, sed etiam opere accessero. Nihil simile à te exigimus; sed grauissimè conquerimur, te nobis intolerabile iugum imponere, vt nisi opinionibus ab vno die, & ab vno Authore inuentis adhæreamus, rei simus æternæ damnationis.

Hinc depromitur responsio ad tertiam exceptionem, *quo zelo*, has nuperas opiniones insectemur. Respondeo id fieri prudenti, & necessario ad salutem: vt si taceamus quasi canes muti, qui nesciant latrare, simus iudicio diuino damnandi. Neque hîc est mera contentio disputationis, vnde lethalis peccati periculum ex triplici capite Syluestri verbis nobis intentatur: Neque enim contra veritatem pugnamus, sed pro veritate, cuius loco non patimur sufficí probabilitatem, quasi *Veritatem virtualem, sicut*, inquit Caramuel, *signum & imago est virtuale prototypum.* Non patimur veritati æternæ supponi hæc probabilitatum Idola, quale suffecit Michol lecto Dauidis deludendis patris satellitibus, qui virum ad mortem quærebant. In hoc veritatis genus, aut potius monstrum, dum exardescimus, nihil timemus, peccati mortalis reatum, ex contentione contra veritatem: neque etiam à conuitiis & calumniis, quibus prouocati, non credimus nobis vti licere, ad veritatis, & innocentiæ etiam defensionem.

Et cùm calumniandi duplex sit genus, apertum vnum, occultum aliud: primum quidem Diatribæ de immunitate Cyriacorum vsurpant; alterum harum 115. propositionum collectio aliquid præfert. Absit verò vt eos imitemur, aut calumnias credamus vnquam posse vsurpari impunè, & sine lethali culpâ. Sed fine operis demonstrat Amadæus *quo illud animo* susceperit, nempe vt Dominicanos iure vel iniuriâ, admoueret sibi, suisque loco clypei, quo exciperet omnia in se tela coniecta Sed si ii sunt quales Theophilus Diatribis delineauit, id est, homines quibus nullum desit vitium; quæ inde suis ad innocentiam tutandam præsidia possunt accersere? Non

dubitat ille traducere suo opere, vt intestabiles, & sacros, quos Amadæus in defensores, & vindices suæ gloriæ asciscit: non sunt conuenientia hæc testimonia. Sed in delectus opinionũ laxiorum, vnde omne vt ab Aquilone panditur malum, Gallegum citat è nostris testem & patronum, & ipse è nostris constitutionibus glossam in Prologum quæ monet, vt ab austeritate nimiâ consiliorum & opinionum caueamus. Quis sit Gallego inter nostros, alibi monuimus: quod affert de fugiendo rigore opinionum, præter quod ex glossâ, non ex textu constitutionum depromptum est, respondeo prohibitâ austeritate, non præscribi laxitatem. Nos etiam inter extrema licentiæ effrænis omnis probabilitatis securæ, & tetrici rigoris, medium secuti sumus: & si vnum aut alterum Dominicanum excipias, quos non licuit nosse, nisi testimonio Amadæi, cæteri omnes aureæ illi regulæ adhæserunt, *ne quid nimis*, indulgentiæ perinde ac duritiei: quod multis exemplis, quale est illud de dilatâ ad tempus confessione sine nouo peccato, aliisque pluribus comprobatum est. Sed eodem loco non reponam quæ Amadæus ex recentibus, & antiquis Thomistis ac Theologis falsatis vendicat.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Nostri Operis Conclusio.

EA malorum conditio est, ex omnipotenti bonitate, & sapientiâ diuinâ, vt quamlibet noxia, ad bonum omnino non sint inutilia. Nullus à partium studio remotus legit hanc collectam, aut assertionum titulos decurrit, quin ad ista cohorruerit monstra vitiorum; quibus perinde patronum, ac Neroni Encomiastem contigisse, quis non obstupescat? Sed præter scandalum illud publicum, quo probi omnes offenduntur grauissime, aliud longe atrocius paratum est Dominicanis, in quos regeritur horum scelerum infamia, & immanitas; quasi primi omnium hæc portenta in orbem inuexerint, aut quasi præcipui vindices propugnauerint.

Sed vt iam aliàs monui, si vera sit hæc accusatio, non deprecor quas commerentur pœnas hæc flagitia, patior libentissime nos diris omnium gentium deuoueri, & flam-

mis nos, librosque nostros absumi. At si falsa sint, hæc ex Dominicanis testimonia, si corrupta, si in alienum sensum detorta, si denique ad calumniam instructa, statuat Lector, quid tot interpolationes commereantur: quanquam omnes pœnas condono, hâc vnâ contentus, ne fidem inueniant, dum periculosa alios docent, & de nobis falsissima comminiscuntur.

Ceterum si liceret culpas probare, hanc felicem reputarem, quod susceptum, aut non bonâ fide confectum opus causam præbuerit vindicandi nostros homines â confictis erroribus, & reserandi inexhaustum illud promptuarium Theologiæ moralis Thomisticæ. A triginta fere annis probabilistarum ortum imperium, iam pene nutat D. Fagnani aliorumque machinis labefactatum, & breui casurum spero. Si locus sit vnquam gratias agendi lacessentibus, haberem maximas, & si liceret, etiam referrem Amadæo, quod suo Opusculo non cogitantem, ac pene inuitum, impulerit ad istud Ethicæ Thomisticæ specimen tentandum; quo videor ex parte impleuisse Summi Pontificis votum, ac præceptum Scholæ nostræ Theologis, vltimis nostris Comitiis Generalibus indictum, vt Theologiæ Moralis ex principiis S. Doctoris Summam appararent, in remedium tot laxitatum, quibus Euangelii disciplina resoluitur.

Ipse qui detuli ex nostris Comitiis iussum hoc Pontificium, videor primus impleſſe, aut tentaſſe, eóque adactus sum præter meam mentem: nam si commune scribendi Cacoethes me inuasisset, nec occasione aut necessitate potius, quàm meo delectu scribendum fuisset, non delegissem hanc partem Theologiæ Moralis, in quâ minus temporis, quàm in dogmaticâ detriueram. Sed quæ damnationem non effugisset voluntaria scriptio de quâcumque re, hoc sęculo erudito & cultissimo, vtcumque excusabitur defensionis nostræ necessitate suscepta hæc Tractatio Moralis. Nec dissimilis causa me ad duas superiores Disputationes, huic postremæ præuias, me impulerat: sed serie & ordine singularum, videor imitatus fuisse Mathematicos, qui demonstrationes verbis & oratione, vbi adstruxerunt, & subiecerunt menti, deinde ad sensus deducunt, earumque vim quasi aspectabilem faciunt figuris & lineamentis, in arenâ radio designatis &

informatis. Idem video mihi contigisse, duabus de vsu & de regulis probabilitatis Disputationibus, omnes ferè conclusiones generatim ex certis principiis præformaui primis Disputationibus: postremâ Tractatione 125. propositionum in omnes ferè Theologiæ partes, constitutam vniuersim regulam particulatim induxi, vt paucæ supersint quæstiones, quas non attigerim, aut excusserim, ex principiis S. Doctoris, aut quas etiam minus exercitati, nequeant ex iisdem regulis dissoluere, & expendere.

DISPVTATIO IV.

AD SVPERIORES APPENDIX, quâ soluuntur nouæ Wendrokij contra Mercorum obiectiones, & Censuræ Pontificiæ confirmantur.

LICEAT mihi, Christiane Lector, verbis præfari, quibus Seneca vltimum de beneficiis librum exorditur.

In manibus terra. Non hic te carmine longo,
Atque per ambages & longa exorsa tenebo.

Quod ipse se præstiturum pollicetur, ego etiam meditor, reliqua hæc Disputatio cogit: & exhaustâ materiâ, circumspicio non quid dicam, sed quid non dixerim. Quidquid maximè necessarium erat, in superiores Disputationes statim congessi: nunc si quid effugit, recolligam.

Huius Appendicis duas omnino causas habeo, quæ vberrimam disputandi materiam præberent, nisi superioribus dissertationibus, pleraque ferè omnia de hâc quæstione morali occupassem. Primum licet spatim plures censurarum Alexandri VII. latas in propositiones 45. confirmauerim; supersunt tamen hîc nonnullæ, quas muniemus: & cæteras omnes iam delibatas, conuenientiori methodo in certas classes digeremus. Secundam huius nostri consilii ac præcipuam causam præbet noua editio Vvendrochii, quæ post nostram primæ partis absolutam, & huius secundæ iam prouectam, facta est quarta multò auctior, additis duabus Appendicibus ad dissertationem de vsu probabilitatum, quibus multa habet consentanea

nostris, nonnulla etiam extant diuersa contra Mercorum, quæ hic locus non finit nos prætetire, ne quem aduersus Anonymum, & ignotum hactenus Scriptorem propugnaueram, videar indefensum deserere, quasi territus Vvendrochij nomine, aut eruditione & subtilitate veri Authoris, qui sine nomine delitescebat.

Hinc agnosces Lector, me nec vanum, nec falsum fuisse, cum ex variis coniecturis non omnino certis, monui eum qui in opus Mercori de opinionum delectu scripserat, Vuendrochianè, aut verius Vuendrochium loqui. Coniectationis & dicti mei ipsemet Vuendrochius fidem absoluit: quam enim, non alio quàm Doctoris Parisiensis nomine, scripserat Epistolam operis Censoriam, suam agnoscit, & aduersus Mercori solutiones nodorum, quibus implicitum volebat, priores nititur stringere, nouosque nectit, quibus dissoluendis aut secandis in gratiam viri, non solum instituti communis, sed etiam singularis amicitiæ vinculo mihi arctissimè coniuncti allaborabo.

Nec rem difficilem aggredior: vix enim quidquam noui affert Vvendrochius, quod suâ eruditâ responsione, non occuparit, aut effregerit Mercorus. Sed generosiorum Canum (quales in Angliâ nascuntur fortissimi Molossi) ea est indoles, vt ægrè pugnam ineant, nec nisi prouocati; vbi verò primum rixari, & se morsibus appetere cœperint, nonnisi exhaustis viribus conquiescant à certamine, & quâcumque occasione datâ illud instaurent; idem plane mos est eruditorum hominum: quas enim de re litterariâ concertationes ineunt, totâ vitâ exercent, nec nisi cum morte deponunt.

Poterat sanè Vvendrochio satisfacere responsio ingenua Mercori, vt acriori de ignorantiâ inuincibili castigationi parceret, se ab illâ quæstione consultò abstinuisse: neque controuersiam satis per sese obscuratam, grauissimâ difficultate, de quâ pessimè cum aduersariis sibi conueniret, voluisse implicare; sed ipsi Vvendrochio, aliisque validioribus Theologis reliquisse disputandam & vrgendam contra laxiores Probabilistas: sibi leuioribus armis, veluti lapide & fundâ Dauidis vt opportunioribus, aut suis viribus magis accommodatis, visum fuit pugnare, semotâ quæstione, cui se vix parem sentiebat.

Quem ad pacem, aut saltem ad inducias non coegisset.

tam iusta & tam modesta defensio? Sed sibi indecorum fore putasset Vvendrochius, non castigasse hominem cum aduersariis, & cum ipsomet prę modestiâ ac voto pacis, pugnam detrectantem: quod ad veritatis defensionem & victoriam nihil referre putaret, de ignorantiâ inuincibili controuersiam, à quâ religiosè abstinuerat; ne causa de probabilitate restringendâ, sæculi nostri infortunio inuidiosa, peius audiret illorum artibus, qui passim vociferabantur, suas laxiores opiniones, nonnisi Iansenianis telis peti, aut damnatis propositionibus quasi regulis coerceri. Si vim rationis admisisset nimium præiudicatarum opinionum studium, laudandus erat, non iterum, & seuerius post priuatam, publicâ Censurâ castigandus Mercorus, quod nouam iniuerit, & quæ minus calumniæ pateret, quacumque aliâ non damnatâ, disputandi rationem: sed hanc æquitatem à Vvendrochio aliter affecto obtinere non potuit Mercorus: & in eum tanto fertur impetu, vt ad D. Thomam confugienti, & ex S. Doctoris hypothesi disputanti non parcat, & subinde (consultò an per incogitantiam nolim asserere) D. Thomas castigetur in Mercoro, quasi Scholasticorum (nequidem excepto S. Doctore, cuius verbis loquitur) lectione & consuetudine corrupto.

Hanc ergo Appendicem grauissimæ, & iustissimæ causæ exigunt duæ, nimirum reuerentia in Pontificiam Censuram, & in Mercoro lacessiti D. Thomæ vindiciæ: quibus tertiam addo in nostra morali Theologia desiderari, nonnullarum propositionum ex Apologista Casuistarum accuratius examen & iudicium, quod paucis istâ disputatione præstabo.

SECTIO PRIMA.

De Probabilitate opinionum, quibus cum Vvendrochio conuenimus, quibus ab illo distamus.

HANC repetitionem aggredimur, de conscientiæ regulis, de quibus nunquam satis: tum quod noua semper occurrat & inexhausta materia; tum quod longè

plura ex probabilibus, quam ex certis & euidentibus, per totam vitam transigere oporteat. Rerum enim euidentiam vix sperare, ne dicam consequi possumus, nonnullorum ex fidei regulis indubitarum assensum habemus: quoad cætera passim obuia est probabilitas, & nolentibus, id est magis comperta quærentibus, se se vltrò ingerit, neque aliis duobus præsidiis destitutos, & consilii inopes, nos deserit vnquam, futura etiam fida comes, & dux tutissima, si stet pro lege, & officio, quam vnam commendat Censura Pontificia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Obseruationes in 1. Appendicem VVendrochij de probabilitate.

QVæstionem facti Authore P. Stephano *Des Champs* huius 2. partis Disputatione 1. à nobis accuratè discussam acrius expendit, & exagitat VVendrochius 1. Appendice ad notas. Licet vix fieri potuerit, quin eundem Disputationis campum emensi, & in eodem argumento versari, aliquâ reconuenerimus, pauca tamen sunt illius generis, collatione eorum quæ omnino diuersa apud vtrumque tibi, Lector, occurrent. Nec mireris adeò varia & dissimilia potuisse scribi: nam causa in promptu est, quia diuerso animo & consilio, ad examen quæstionis accesserimus. Quamlibet accuratè VVendrochius omnem alieni ab Authore quæstionis animi, & *natura*, vt loquitur, *stomachosa* suspicionem amoueat, & deprecetur: non ita tamen, neque à stylo, neque à Lectorum mente facile fuit amoliri, quin scriptioni adhæreant, sin exacerbati, saltem minus in virum beneuoli hominis signa, & vestigia. Nobis præter facti Quæstionem, Thomistarum testimoniis non bonâ fide, aut certè negligentius collectis referram, ne odii dicam, sed vix vlla etiam litterariæ concertationis intercessit cum illo causa, vel leuis occasio. Neque enim ad nos pertinent, quæ de libero arbitrio nomine Antonii Richardi, vel de hæresi Ianseniana euulgauit: vt mirum non sit, adeò diuersum de eâdem Quæstione pro vario, quo quisque nostrum affectus erat studio, iudicium

& examen prodiisse. VVendrochius summo iure cum illo agit, omnes boni Scriptoris dotes in eâ scriptione desiderat, *fidem, iudicium, dispositionem, ingenij lumen, & omnem in peruidenda quæstione sagacitatem.* Ego tantùm primam dotem, id est, bonam fidem appello, vel acriorem in expendendis nostrorum hominum testimoniis diligentiam requiro.

Deinde VVendrochius Quæstionem Facti malè institutam causatur *graui allucinatione, quâ ait iuris quæstionem, in vanam & inutilem Facti inquisitionem, controuersiam mutasse.* Ego verò ita factum boni consulo: quamuis enim prioribus editionibus Notarum, quæstionem de probabilitatis vsu laxiore constituerit his verbis paragrapho 1. relatis: *Affirmant Iesuitæ, negant Parrochi Parisienses, illi recentiorum agmine, hi veterum Theologorum choro stipati*: integrum tamen illi fuit, nec vitio vertendum, ex ipsâmet hypothesi datâ, & aliis de causis Facti & iuris quæstiones seiungere, & hâc tacitâ, vel in aliud tempus dilatâ, illam prosequi: tum quia in veterum Theologorum, quos à se stare omnes scripserat VVendrochius, sensum & scripta diligenter inquirendum erat: tum quia licet Theologos recentiores nihil moratus aduersarius, nullo loco videatur habere, *& integrum agmen*, vt loquitur, vltrò deserat; alia tamen mens est plurium Scriptorum quos à se alienos ægrè tulisset Author quæstionis, sibi conciliandos putauit ascito omnium Recentiorum, si id posset efficere, suffragio & consensu. Et cùm nos à Scholasticorum, quâcumque ætate vixerint, contemptu simus remotissimi, hinc longè alia à VVendrochianâ nobis ineunda fuit examinis ratio, & accuratius nedum nostræ Familiæ, sed etiam aliorum Ordinum, tum antiquorum, tum recentiorum opiniones nos iterum expendere oportuit, ne Scholasticam Theologiam professis vitio verteretur, eorum quos socios, aut magistros habere gloriamur, sensum vel nesciuisse omnino, vel fuisse aspernatos sequi, aut inquirere. Hinc Scholasticos penè contemnens VVendrochius plurimum remisit de diligentiore indagatione, aut interpretatione veterum, aut modernorum Theologorum, quorum magno numero nomina recensentur.

Præterea cum vnus D. Augustinus sit illi omnium instar, in eo vno interpretando totus est; nec minus hâc etiam

parte, quàm superioribus, diuersa ab illius viâ tentanda, nobis & calcanda fuit. Memini ab vno SS. Patrum egregiè dictum, *per immoderantiam plus petendi euacuatam totam summam debiti*, quo genus humanum Protoparentes nostri peccato vendidere, a Christo redimendum, deleto peccati chirographo, hoc maximè nomine, quod is in cuius potestatem deuenissent soli Adæ posteri, vitam ac libertatem hominis insontis, & Dei, nullo sibi titulo obnoxiam depoposcerit, & deprædatus sit. Vereor ne consilium omnino non dissimile, ex immoderantiâ plus petendi, idem consequatur fructus, vt iustam habeant Probabilistæ, quæ iure exiguntur, causam recusandi: & obtendant se à debito tutioris probabilitatis exolui, quod plus iusto in maius auctum sit, non sine magnâ verisimilitudine.

VVendrochius 2. Appendice, & nouis obiectionibus contra Mercorum contendit, quasi dogma fidei ex Augustino ignorantiam quamlibet profundam, cuiuscumque vel minimi apicis ex iure naturali, quæ nullo pulsetur dubio, in peccatum imputandam, si quicquam ex illâ quis moliatur, nedum in prima synderesеos principia, quæ nunquam ex animo deleri possunt, vel in apertas inde conclusiones deductas, quarum summam habet Decalogus; sed etiam in remotissimas illius iuris naturalis fimbrias, quales à Decalogo sepositas, Scriptura de vsuris, de Talione tradit; quibus annumerare licet de actibus humanis, lege diuinâ permissis, & quoad speciem ad bonum, malumque indifferentibus, illorum altero imbuendis, dum ab homine rationis compote eliciuntur. Is ergo VVendrochii sensus, vt ne vel minimum quidem ex iure naturali apicem condonet, quâcumque ignorantiâ laborantibus, vel ab ætate teneriori, vel ab innato stupore, inter hominum & brutorum sortem medio, vel ex Sapientûm qui ista doceant, aut consulantur, inopiâ. Atque hinc grauem litem mouet, nedum Amadæo & Caramueli, aliisque laxioribus, sed etiam Mercoro, quod de isto rigore aliquid visus sit remittere; atque eâ indulgentiâ, bonæ causæ præuaricari. His tamen se præsidiis texit, & muniuit Mercorus, vt non admodùm difficile sit, quæ in illum noua, aut verius eadem aliis verbis, instaurantur argumenta, infringere. Sed antequam ad hoc præcipuum, &

ferè vnicum controuersiæ caput descendam, decurrere placet vtramque Appendicem, & annotare quibus nobiscum conueniat, quibus dissentiat, quæ habeat singularia & erudita, seu diuersa à nostris, seu eadem paucis colligere, in eorum gratiam, quibus vel libri copia deest, vel lectio prohibita religioni esset.

Paragraphvs Primvs.

Vna VVendrochij obseruatio quâ Quæstionis pars præcipua euertitur.

Licet contra VVendrochium sentiam, sine graui allucinatione, à iuris quæstione alteram facti probè institutam fuisse, cum illo tamen conuenio & approbo, quod §. 2. acutè obseruat, disiunctas quæstiones reipsâ, & sensu Theologorum, qui referuntur, de delectu licito minus tutæ, probabilioris tamen opinionis, cum alterâ minus perinde probabili, ac tuta, malè permixtas fuisse; non eâ tantum de causâ, quam ipse vrget, quod primam Quæstionem de opinione minus tutâ probabiliori in medio cum Montaltio reliquerit, nec vitio verterit aduersariis; secundam verò de minus tutæ, minusque probabilis permisso vsu, falsitatis & multorum errorum conuicerit: Sed quia antiqui Theologi omnes ad vnum ante Bartholomæum Medinam, & post istum recentiores plures, maximè ex Thomistis quos refert Author Quæstionis, primâ parte de delectu probabilioris minus tutæ opinionis, concessâ & præmissâ, negauerint idem iuris esse de opinione minus tutâ & probabili: vnde constat, non ex solâ oscitantiâ, sed profundâ calliditate, id fuisse factum, quod sibi vtilissimum fore senserit apud Lectores quæstionis Author. Nam vt ipse VVendrochius obseruat, permiscendo illas quæstiones duas, de quarum alterâ nulla lis erat, hoc assecutus est, vt cum nullum omnino pro illâ quæ propriè inter nos vertitur Quæstione, vtrum scilicet, minus probabilem, ac minus tutam opinionem sequi fas sit, veterum Scholasticorum protulerit, ad eam tamen imperiti vel incauti, transferrent paucula loca quæ ad alteram tantùm, de quâ nulla lis inter nos est, Quæstionem

pertinent : qualia sunt ferè omnia , ex antiquis Theologis & SS. PP. ex Leone, Alberto Magno, D. Thomâ primum à Ioanne Nider Libello cui titulus, *Consolatorium timorata Conscientia*, deinde à D. Antonino, & ex illo à Syluestro relata.

Quamuis enim nostra discussione obseruauerimus, hos tres Dominicanos scripsisse remedia , iis qui anxiâ religione & scrupulis , ac penè superstitione torquentur, non regulas communes ab omnibus excipiendas; & illorum verbis expressis, probauerimus damnasse delectum opinionis minus tutæ , nisi probabilior sit, atque eo sensu quæ ex Leone , Alberto Magno , & D. Thomâ referunt, fuisse interpretatos; non possum tamen dissimulare, magnam lucem horum Dominicanorum testimoniis fuisse allatam, obseruatione subtilissimâ VVendrochii, quâ planè concidunt , & in ipsum Authorem Quæstionis regeruntur, quæcumque assumit argumenta, ex D. Antonini verbis expressis, aut aliorum Patrum & Theologorum, ab illo relatis. Certum enim est D.Antoninum illos laudasse & fuisse interpretatum , iuxta propriam sententiam, quæ omnino damnat delectum opinionis minus tutæ, nisi aduersam probabilitate vincat; & eam fuisse mentem omnium antiquorum Theologorum , & recentiorum Thomistarum , Aluares, Lopes, Gregorii, Ioannis Martines, & Baptistæ fusè probauimus. Hæc tantum recolo, vt VVendrochio acceptam referam hanc obseruationem, quæ totam nostram Disputationem confirmat; atque illo sensu diximus Gregorium Martines docuisse, non licere minus probabilem sequi opinionem, nisi practicè tuta sit. Inde vno quasi impetu validè conuellit testimonia ab Authore Quæstionis pro se congesta, vt meritò dixerit Titulo Paragraphi tertii, ad oculum ostendi locorum à Stephano prolatorum magnam partem inutilem esse.

Subtilissimè etiam expendit locum ex Leone, & demonstrat argumentum inde à P. *Des Champs* & à Cornelio depromptum, peccare materiâ & formâ. Quamuis enim ad bonam mentem optima sit Leonis regula : *In iis qua vel dubia sunt, aut obscura , id sequendum , quod nec praceptis Euangelicis contrarium , nec decretis SS. PP. inuenitur aduersum*; non tamen hæc regula totam legem

implet, nec omnem seruat & continet iustitiam; quia præter apertam dissensionem ab Euangelio, quâ hæresis incurritur, potest in illud peccari, si dubitemus, an quod credimus, aut meditamur agendum, aduersetur legi Dei, & Euangelio. Quare fallax est illa argumentatio, nulla opinio probabilis quamlibet minus tuta, minusque probabilis inuenitur aduersa Scripturæ & SS. Patribus: Ergo licet sequi quamlibet opinionem, etsi minus tutam, & minus probabilem. Ex illo enim subsumpto, & ex loco Leonis affirmatiuè concluditur, quasi ex duabus præmissis negantibus; quod nullâ Dialecticæ lege licet. Eandem responsionem aliis verbis tradiderat subtilis Scotista, à nobis supra cum laude memoratus, eo præcepto Leonis hæresim vitari, non tamen peccatum, si aliquid tentes, quod non certò scias, sed vel dubites, vel probabilius credas, aduersari præceptis Euangelii, aut decretis SS. Patrum.

Eâdem responsione conuellitur argumentum ex testimonio Alberti: quod non extat, nisi apud D. Antoninum, eius sensu interpretandum, vt non patiatur delectum opinionis minus tutæ, nisi aduersam probabilitate vincat. Mirè etiam Paragraph. 7. vexatur Author Quæstionis loco D. Thomæ ex Quodlibeto 8. art.13. quem perperàm ad defensionem minus tutæ, & minus probabilis opinionis delectus accommodatum, inuictis argumentis demonstrat. Placet etiam quod ad finem illius Paragraphi obseruat, & nos obscurius insinuaueramus, in reuerentiam S. Antonini, Ioannis Nider, & Syluestri, eos mentem D. Thomæ non fuisse plenè assecutos: quod etiam nunc tacerem, nisi id VVendrochius publicum fecisset. Eos enim, tres nominati Dominicani, qui probabiliorem opinionem sequuntur, eximunt à dub. tantium numero, & à peccato liberant, modò ne errent in iis, quæ Scripturæ ac Ecclesiæ decretis manifestè repugnant. E contrario verò S. Thomas, etiam in iis, de quibus homines habere se certitudinem arbitrantur, à ratione videlicet, reperiri posse quandam dubitationem sentit, ex dissidio Doctorum ortam; nec veretur illos peccati damnare: sed hîc cauenda est VVendrochij calliditas; addit enim prudenter quidem, *sententiam hanc tantò grauiorem & veriorem habendam quantò D. Thomas S. Antonino, authoritate* (addi possunt

Nider

Nider & Sylueſter) *ingenio, humani aut diuini luminis abundantiâ antecellit.* Quid hîc verò à VVendrochio cauendum? Nempe quod velit D. Thomam peccati damnare eum qui contra legem agit, ex duplici capite: *Ita*, inquit, *ſi permanente illâ dubitatione, ad actum proſiliant, qui ſequuntur probabiliorem, & minus tutam opinionem, quos abſoluit Antoninus; tum ſi eorum opinio à veritate atque à lege æternâ diſſentiat.*

His verbis VVendrochius ſummâ ſubtilitate & arte, ne dicam fraude, aut malâ fide, extruit ſibi præſidium contra Mercorum. D. Thomas eò loci (vt id in anteceſſum dicamus) peccati damnat eum, qui diſſidentibus Doctoribus, non ſolum de iure naturali, ſed etiam de poſitiuo, quod inquirendum ſit huiuſmodi Doctorum Conſultori, ex officio Iudicis; aut Medici corporum, & animorum, aut quocumque alio, ſi minus tutam contra legem, & officium, licet probabiliorem, pro libertate & commodo eligat opinionem; quod exiſtimet non poſſe, non pulſari dubio graui ex diſſidio Doctorum, ſe contra officium agere; ac proinde vel abſtinendum ſibi eſſe ab actu, vel operoſius inquirendam veritatem cuiuſcumque iuris, etiam poſitiui, quod ſua referat ſcire, ad implendum officium, vel ſapientiores de hoc conſulendos. Vnde ſi omne dubium ſemoueatur, quale de iure naturali ſuboriri ſolet, ex ipsâ lege naturæ cordibus noſtris inſcriptâ, vel ex Doctorum diſſidio de iure poſitiuo, contendo illum eò loci à D. Thomâ non damnari: ac proinde præter illius mentem, inſerta à VVendrochio illa verba damnare peccati hoc ſolum nomine, ſemoto omni dubio graui, *ſi quam ſequitur, opinio probabilior, à veritate, atque adeò à lege æternâ diſſentiat.* Quare quidquid ſit de re ipsâ, ex hoc D. Thomæ Articulo euincere non poteſt VVendrochius contra Mercorum, D. Thomam damnare peccati, quidquid fit contra legem, hoc ipſo quod diſſentiat à veritate, & à lege æternâ, niſi ſuppetat dubium ex alterutro capite iam inſinuato ortum. Nihil ergo alienum ab Angelico Præceptore docuimus cum Mercoro, cum duodennem puerum eximimus à peccato, ſi neget homini hoſtem inſecuto ad mortem, ſe quemquam vidiſſe; quia concluſio hæc, nullo caſu etiam ſeruandæ homini vitæ, licere mentiri: hæc, inquam, concluſio longius ſemota eſt à primis ſynderefeos,

& iuris naturalis principiis, quam vt puer duodennis solus possit eam certò inferre : *non posse quâcumque causâ honestari id genus leuissimi mendacii.* Hanc controuersiam fusius prosequemur examine secundæ Appendicis.

Paragraphvs Secvndvs.

Testimonia SS. Patrum egregiè à VVendrochio reuocata ad Regulas ex Mercoro constitutas.

HAc etiam parte non nego VVendrochium de nobis optimè meritum, quod Paragrapho 9 & duobus sequentibus, magnâ eruditione & subtilitate, omnium SS. Patrum, & nominatim D. Augustini sententiam, totamque Ecclesiæ traditionem reuocet ad hæc tria principia, primum ex Ciceronis sensu & verbis, *nefas id agere quod dubites æquum sit, an iniquum.* Huc enim pertinent quæcumque diximus, ad muniendam hanc iuris Pontificii regulam, *in dubiis tutiorem partem eligendam.* Secundum principium, *propriè & strictè dubitare, cui post expensas vtriusque partis rationes, illæ quæ illicitum aliquid probant, æque probabiles videntur, ac quæ probant esse licitum.* Hoc totâ primâ classe argumentorum euicimus, sicut & tertium principium, *Cui duæ opiniones æque probabiles videntur, is vtriusque partis rationes æque probabiles iudicat.* Hæc tria principia (absit verbo inuidia) nec Sinnichius quem omnibus anteponit VVendrochius, nec ipse VVendrochius, Mercoro nostro validius & neruosius confirmauit, vt meritâ laude fraudetur, si quemquam illi hâc parte anteponat. Quod ad me attinet, nihil mihi vendico; quia quæcumque scripsi fere omnia, ipsi & D. Fagnano post D. Thomam refero accepta.

Sed ne videar, ab eâ quam mihi præscribo lege, vel minimum, eodem quo commendo, loco recedere, non inuidebo laudem VVendrochio vindicati nostræ sententiæ Augustini : Locum citauimus libro 1. de Baptismo c. 3. *Si quis dubium, in parte Donati non rectè acciperet Baptismum, quod in Catholicâ rectè accipi certum haberet, grauiter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Exceperat Author Quæstionis ex

Iacobo Granado D. Augustinum agere de sacramento Baptismi, quatenus medium est non ex solo præcepto necessarium ad salutem, sed ex institutione diuinâ, in quo rerum genere tutior pars est eligenda. Sed contra subtiliter respondet VVendrochius quæstionem, de quâ agit D. August. pertinere ad res ex præcepto necessarias. Disputat enim cum iis quibus cum conueniebat, Baptismum validum esse: sed contendebat, ex præcepto illicitum esse, quamlibet validus ab hæreticis susciperetur, quamdiu ab Ecclesiæ Catholicæ ministris conferri poterat: Ergo ad res ex præcepto tantum, non ex efficaciâ medii necessarias, spectabat hæc dubitatio, in eo posita, an sit aliquod præceptum diuinum, quo vetetur accipi Baptismus extra Ecclesiam, licet validè ab hæreticis conferri posset. Quid verò ad illam quæstionem D. August. *In rebus*, inquit, *ad salutem animæ pertinentibus* (etiam ex solo præcepto) *grauiter peccat, qui certis incerta præponit.* Hæc Augustini aurea sententia, vel nusquam, vel vniuersim obtinet, cum de quâcumque legis obseruatione agitur.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

De Casuistis VVendrochij nostrumque iudicium.

VIdetur §. II. acerbior, minusque æquus in Casuistas, quod ex nonnullorum vitiis, de omnibus statuat, & illud scribendi genus in totum damnet, quasi SS. Patribus ignorum & aduersum: eos verò qui id sectantur miris conuitiis è triuio petitis exagitat, *quasi ab Ecclesia segreges, homunciones, & monachulos, communi piorum sensu damnatos.* Quid durius de hæreticis pronunciari posset, aut acerbius hæretici in Catholicos scriberent? Verum semotis conuitiis, quæ pudet retulisse, contra sentio, id librorum genus origine pium, Ecclesiæ vtile, longo tempore à sordibus seruatum immune, nec nisi à 40. circiter annis degenerasse; nec in totum tollendum existimo, sed purgandum & pristino nitori restituendum.

Summarum quas vocant casuum, S. Raymundus iuris Canonici consultissimus primam scripsit: illum plures imitati sunt, cum Ecclesiæ fructu non pœnitendo. Disputationi superiori ex Syluestro, de vsu probabilium

regulas excerpsi, quibus nihil sanctius vnquam scripsit Vvendrochius: nec puto ægre laturum, si Granatensem & Bartholomæum à Martyribus hâc in re sequamur illique anteponamus. Quid verò de hoc librorum genere sentiebant viri sapientissimi, & iuxta sanctissimi? Longe aliud planè, quàm quod Vvendrochius, si omnes Casuistas suâ censura perstringat. Retuli Caietanum impensè laudatum à Granatensi, cuius Summam cum Bartholomæo à Martyribus lectitabat, & quo vrebatur exemplar, in reuerentiam tanti viri adhuc seruatur in Lusitaniâ. Et ne dicat Concionatores, & piorum librorum Scriptores in explicandâ morum doctrinâ aduersari Casuistis, nec minus illis infensos Ecclesiæ Pastores, si ita exerte nullâ exceptione, vt videtur, pronunciet: Nam stant præter infinitos, à me nominati Bartholomæus à Martyribus nostri sæculi absolutum Episcoporum exemplar, Summam Caietani linguâ Hispanâ curauit verti, ac notis illustrari, & suæ diœcesis Confessariis legendam, & sequendam præscripsit: Granatensis Scriptorum exegeticorum facile Princeps suos libros ad Caietani Summam quasi ad regulam exegit. Memini me aliquo loco legisse, impensè laudatum à Granatensi opus Dominici à Soto, de iustitiâ & iure ob singularem eruditionem & pietatem. Quid enim nisi pium laudare poterat, is quem Præfatione ad libros de Amore diuino S. Episcopus Geneuensis *magnum* vocat *pietatis Doctorem*? Quid verò sanctius scribi potuit institutione Sacerdotum Petro à Soto Authore, quem multi plus æquo rigidiorem causantur? Sed quid refert pluribus Casuistas tutari, cum hæc nostra Theologia in Caramuelem, & Amadæum, aliosque laxiores Casuistas, cæterorum vim Apologiæ habeat, & è nostro ordine plures opinione Vvendrochii demonstret seueros esse, & tutos morum exactores? Non recuso cuiusquam iudicium: quidquid superiori & istâ parte scripsi, aut verius ex D. Thoma, eiusque Discipulis collegi, patiar ad incudem & ad lineam cuiusque seuerissimi Censoris reuocari: neque grauissimam pœnam deprecabor, si quidquam offenderit, quod à SS. Patrum disciplina recedat. Non licuit omnium quos refert Amadæus Discipulorum D. Thomæ libros explorare, quorum tamen copiam habui, qui adeò seueram censuram commeruerint, hactenus

reperi neminem: vt agnoscas præposteram esse & iniuriosam, si nostros perstringat, & aliarum familiarum plurimos: neque enim ex vno Tamburino, Scobario de omnibus Societatis Theologis, neque ex vno Diana, aut Caramuele, de omnibus generatim Casuistis, tum recentioribus, tum antiquis statuendum est: quod Vvendrochii principiis euinco. Ille huius Appendicis Paragraph. 2. corruptelam Theologiæ Moralis refert in eos, qui opinionis minus tutæ, minusque probabilis delectum permittunt, & securum pollicentur; nullam verò litem ait se mouisse in eos, qui minus tutam eligi posse docent, dummodò sit probabilior: Atqui antiquiorum nullus, ante Bartholomæum Medinam, asseruit securitatem minus tutæ, minusque probabili, pauci recentiorum damnant, si probabilitate vincat: Ergo cum à priore, non à posteriore opinione eruperit corruptela Casuistarum, pauciores quàm putat Vvendrochius huius erroris rei sunt, & Magistri; vt mitius agendū illi fuerit cum toto genere Casuistarum, nec nonnullorum culpâ, omnes, nullo excepto, illi grauissimas pœnas, & iniustas oportuerit dare, ipsiusmet lege absoluendos.

Non diffitebor tamen veri aliquid habere, quod scribit de quorumdam Casuistarum lectione periculosâ: expertus enim sum, eâ plurimum pietatem minui & intepescere. Et quod ab Alberto magno dictum ferunt, nunquam è camerâ ad colloquium cum secularibus prodiisse, quin minor, id est, remissior, & ad exercitia pietatis ineptior rediret, contingere obseruaui nonnullos Casuistas legentibus. Hinc ab vno & altero Benedictinorum, & Cisterciensium excepi, Caramuelis ex eodem ordine libros, maxime Theologiam Moralem, quâ S. Benedicti Regulam commentatur, à Bibliothecâ communi inter libros prohibitos reponi, & eius lectione interdici suis Fratribus; quod nihil aliud videatur spectasse, quàm sui instituti corruptelam inducere in animos eorum, qui S. Benedicti Regulam vouent, & profitentur.

De S. Ignatio refert Ribadeneira, cum aliquot Erasmi libros legisset, styli & elegantiæ causâ, expertum iis etiam qui titulo pietatem præferunt (qualis est de milite Christiano) feruorem animi sensim languescere, & illius Authoris lectione suis interdixisse. Eadem certè cautela

adhibenda esset legendis quibusdam Casuistis; nam præter quod barbariem potius docent, quàm elegantiam & copiam verborum, qui saltem ex Erasmo fructus capitur; magis quàm impiorum libri minuunt pietatis sensum. Istos enim cautè legimus; at quid timeas tibi ab illis, qui se morum & Christianæ Theologiæ Magistros fore titulis voluminum pollicentur, & incautos decipiunt? Quid inde reportas emolumenti? Deuotionis, si quæ tibi supererat scintilla, excidium. Quâ reuerentiâ, quâ mentis attentione persolues horarium pensum, Missæ sacrificio interreris, vbi iis te officiis Christianæ Religionis perfungi legeris, etiamsi illa peragas mente vagâ, & à Deo ad quodlibet aliud ludicrum distracta? Quo animo excipies maiorum imperia, vbi didiceris te saluo obedientiæ voto, posse rixari totâ vitâ cum Prælatis, eorumque iussa & Censuras nihili facere? Hinc ex Fagnano obseruat Vvendrochius paucis ab hinc annis quosdam Regulares, auditâ opinione quam nonnulli Authores probabilem dicunt, Summum Pontificem non posse Regularibus ad præscriptum Regulæ reformationem indicere, præter consuetudinem, quæ in Religione vigebat, tempore professionis emissæ, ausi sunt debitam mandatis Apostolicis obedientiam negare.

Sed ne videar ostentare periculum, nec ad effugiendum viam aperire; ex Scripturæ præscripto pretiosum à vili separandum censeo, & relictis laxioribus Theologis, tutiores & securiores lectitandos, quales diximus ex antiquis esse omnes, & de recentioribus non paucos, quidquid dicat Vvendrochius; quales sunt præter nostros, quorum testimoniis abusum esse demonstraui Amadæum, Nauarrus ex Canonistis, ex Patribus Societatis præ omnibus Comitolus, Andreas Blanchus, Mangonius, Toletus & Suares; à quo postremo Laurentius à Ponte Clericorum Minorum Scriptor insignis, in caput 8. Matthæi digressione 1. ait se velut oraculum istud monitum excepisse, cum Vallisoleti virum doctissimum cuiusdam perdifficilis quæstionis causâ adiuisset, monuit in scribendo semper veriorem & probabiliorem opinionem eligendam esse, licet consultoribus ore tenus mitior interdum grauibus de causis permitti possit: quod responsum & consilium eâ digressione multis confirmat argumentis, idque secutus

eſt, & impleuit Suarez multò exactius, quàm cæteri Societatis Theologorum. Hactenus de primâ Appendice, ad alterius compendium & examen accedamus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex ſecundâ Appendice altera & tertia Sectio perſtringitur.

QVæ ex eâ Appendice, ſuperiori multo copioſiore habentur, triplicis generis] ſunt, vel noſtris conſentanea, vel diuerſa, vel omnino contraria. Ex duobus primis generibus ea delibabo quæ noſtris aliquam afferre lucem poterunt: poſtremum exactius expendam Sectione ſequenti.

Mercoro, Fagnano, & Sinnichio quos *flagella* vocat *Caſuiſtarum*, id eſt, laxiorum Probabiliſtarum, addere poterat tres ex Societate, Comitolum ſæpius ab ipſo cum laude memoratum, qui poſt Bartholomæum Medinam laxioris probabilitatis artificem, primus, quod ſciam, in illam ſcripſit, *fœdam prolapſionem* vocans: quem item alius eiuſdem inſtituti; ſecutus eſt mutato nomine Philaretus, & vero Andreas Blanchus: paucos hi duo habuere aſſeclas; ideò primi vnam lego tantum editionem factam anno huius ſæculi ſeptimo; licet plures meruerit quàm Diana, quem ante annum huius ſæculi quadrageſimum, licet Comitolo recentiorem editione octauâ memini me legiſſe; ab eo tempore mihi ferè intactum & neglectum: adeò huius ſæculi guſtus corruptus eſt, vt glans magis illi ſapiat, quàm ſuauis & ſanus Comitoli panis. His duobus adiungo ex eadem Societate tertium Belgam Mangonium, quem ſolo nomine datum eſt noſſe, nec aliâ de causâ fortè obſcurum, quàm quod Auguſtinianè de dogmatibus, & ſanctè de moribus ſcripſerit. Author quæſtionis facti Antonium Peres Benedictinum ſuperioribus adiungit, tutioris vbique ſententiæ vindicem. Hos omnes eodem nomine dignos cenſeo, quo Vvendrochius tres tantum donauit.

Paragraphus Primus.

Dominus Fagnanus vindicatur à tribus Vvendrochij obiectionibus.

EX D. Fagnano omnia ferè generatim laudat; nonnulla etiam colligit; tria verò improbat quæ aliis omissis, propugnabo, vt Viro sapientissimo quas suscepi & debeo vindicias persoluam. A primo & postremo eorum quæ carpit, breui me expediam, operosius secundum pertractaturus.

Agnoscit stylo differre à Mercoro, quod ille Scholastico more, hic Canonistarum Probabilistas insectetur. Cæterum addit doctrinâ vtrumque consentire. Quamquam enim Caramuel velit, docuisse ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare, & in eam rem numerum 41. quæstionis illius indicet; tamen nihil tale ibi inuenitur. Cæterum (addit Vvendrochius) hoc dempto, *in quo Casuistica facis virulentum fontem non videtur omnino penetrasse, in cæteris illorum corruptelis explicandis eximius est.* Hæc Vvendrochius.

Ex præiudicatâ sententiâ putat Dominum Fagnanum, perinde mente ac oculis cæcutientem, non penetrasse *fontem virulentum Casuisticæ facis*; quod puerum duodennem ignorantiâ iuris naturalis laborantem excuset à peccato mendacii, si leue aliquod mendacium censeat, ne dum honestum, sed etiam necessarium, hominis à morte eximendi causâ, eo necessitatis articulo, quo nec ad deliberandum tempus suppetat, nec ratio satis adulta possit ex principiis syndereseos agnoscere, nullâ causâ licere mentiri, nec sapientiores adsint quos possit consulere. Vtinam ex hoc virulento fonte, aut ex Calice non manu Dei, sed Casuistarum propinato, & ex hoc in illud inclinante, reliquum fæcis esset exinanitum, nec aliud quàm quod ex illo Mercorus & Fagnanus hærere patiuntur, reliqui superesset: non inde peccatores terræ, sed Iusti innoxiè biberent, & largè potarentur. Hoc obiter dictum sit de primâ obiectione, cui fusius infra respondebo.

Obiicit secundo, & nescire se ait, quo sensu dicatur à Fagnano num. 117. de Speculatiuis, vbi de præiudicio non agitur, licitum esse eligere opiniones nedum probabiles, sed etiam falsas. Iis ex Fagnano relatis verbis, sic vrget Vvendrochius, *ecquid enim aliquando mentiri licet? An vero non mentitur qui eam opinionem quam falsam putat, veram esse affirmet?* Hæc videntur D. Fagnano obiecta, quasi velit posse nos compertæ falsitatis opinioni assentiri, quod à Viri sapientissimi mente alienum est. Id tantum statuit discriminis opiniones inter quæ ad Speculationem & ad mores pertinent; quod istis, si probabiliores & tutiores sint, oporteat adhærere: illarum vero etiam minus probabilium, liber sine noxâ sit delectus. Hoc vero si mendacij accuset Vvendrochius, facile est hanc labem abstergere; & quamvis disputatione 2. hoc discrimen validè confirmatum sit, non abs re erit ex principiis ibi constitutis, paucis hanc accusationem depellere.

Hoc commune habent omnes generatim opiniones, seu ad Theoriam, seu ad Vsum & praxim spectent, quod ex ineuidentiâ desit illis vis ad indubitatum, & necessarium sui assensum, cui proinde asciscendo præter probabilitatis innatæ, & authenticæ pondus, accedat liberæ partis vnius electio, ad quam non sola, quam præferunt veri aut falsi species conferat, sed plura aliunde principia aduocantur, quæ sine mendacio impellunt, ad minus probabiliter veræ delectum, postposita verisimiliore. Nam vt ad subiectam quæstionem propius accedamus, hoc speculatiuæ opiniones inter se pugnantes singulare habent, quod vtraque peccati periculo, neutra falsi formidine careat: vnde fit, non mentiri, illum qui magis verisimilia deserit, quia non est certus se veritatem assecuturum verisimilioris assensu.

Sed inquies aliquo veritatis contemptu, aut neglectu, probabiliori minus probabilem anteponi. Ita nos esse diximus, cum de officio Scholarum Magistri; sed eodem loci monuimus hanc qualemcumque maioris verisimilitudinis noxam sane leuem, quod nullibi certa veritas eluceat, compensari posse maiori commodo: documentum illud sanum & necessarium, exemplis illustrauimus. Si expendamus solâ speculatione Physicâ, quantitatis rationem, probabilius fortè videbitur, esse quid à materiâ indi-

stinctum; sed si aduocemus Theologiam ad explicandas mysterii Eucharistiæ insuperabiles difficultates, tutior quantitatis à materiâ distinctio visa est D. Thomæ: & ideo hanc sententiam delegit minus fortè ex Physicæ principiis, aduersâ opinione probabilem. Docuit D. Fagnanus ex speculatiuis opinionibus, licere minus probabiles eligere, id est, quæ propius videantur à falso abesse. Alio etiam loco monuimus, quod ex fine operis necessarium est, ad delectum opinionum moralium, vt tutioribus etiam minus probabilibus adhæreamus, quòd careant omni periculo peccati; quidni liceat ex fine operantis eundem delectum facere opinionum, quæ ad Theoriam pertinent, vt minus probabili adhæreamus, hoc nomine, quod aptior videatur ad ciendos pietatis affectus, & submouendas contra fidem dubitationes?

Paulò difficilior aut certè intricatior est tertia obiectio. Quamuis fateatur Vvendrochius quæstionem, an ad rectam operationem requiratur certitudo moralis, subtiliter & eruditè suo more tractasse Fagnanum, id tamen improbat, quod multis locis verbum veritatis videatur vsurpare, pro veritate certo cognitâ, vt illo Ecclesiastici loco: *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te*; Et in illo D. Bernardi: *Vt interior oculus vere sit simplex, duo illi esse necessaria arbitror, Charitatem in intentione, & in electione veritatem*: Id vero improbat, quod Fagnanus neget hoc in vllâ opinione probabili reperiri; quia opinio probabilis ex illo indifferens est ad verum & falsum: *Melius*, inquit Vvendrochius dixisset, *multas opiniones probabiles esse veras; at earum veritatem hominibus minus compertam esse.* Et subinde ponit fundamenta pro ignorantiâ inuincibili iuris naturalis: *Opinionem probabilem veritatem habere, si diuinæ legi sit conformis, quod non fuerat à Fagnano negandum*; sed eo peccat qui eam sequitur, etiam cum vera est, & diuinæ legi conformis; quia cum veritas illa lateat, exponit se peccandi periculo, priusquam formidinem ex contrariis rationibus ortam deposuerit, ac sic probabilitatem ad moralem certitudinem perduxerit. Ita Vvendrochius 2. Appendicis Sect. 2. Art. 1. vnde hæc omnia & superiora deprompsimus.

Vereor ne hæc disceptatio verborum sit potius quam rerum, & ne reprehensus sit Fagnanus ex minus compertâ

illius mente, quam paucis explico. Ille nulli opinionum ex genere probabilium veritatem asserit formalem, quâ certo iudicio quid in se sit rei consequamur; quamuis alteri illarum inesse obiectiuam concedat necessario ex contradictoriarum lege, quâ vni propositionum veritatem, alteri falsitatem subesse oporteat; sed cum hoc nos lateat, perinde putat esse, ac si vtraque illatum falsitati obnoxia esset, nec putat tutum esse vi solius probabilitatis, vtriusvis parti adhærere. Itaque incerta veritate speculatiuâ rei, quæ comparari aut sperari nequeat, aliunde certitudinem ad operandum necessariam aduocandam censet: nempe ex conuenientiâ ad legem quæ tutam faciat opinionem, & ab eâ submoueat omne peccati & damnationis periculum.

Quantum capere possum, hæc obiectio Vvendrochii duobus peccat, quia videtur permiscere veritatem obiectiuam cum formali, nec satis distinguere dotes opinionum duas diuersissimas, nempe probabilitatem, seu similitudinem veritatis speculatiuæ, & securitatem, seu immunitatem à peccato, & à salutis periculo: hæc enim distincta esse, & ad quæstionem subiectam, præ oculis eorum distinctionem habendam, quam vnam Fagnanus inspexit; nec satis videtur Vvendrochius attendisse, & manifestius est ex superioribus, quàm vt longiori disputatione sit probandum. Quis enim neget probabilitatem à securitate adeò differre, vt interdum quæ vnâ dote præstat, alterâ decedat, id est, vt securior minus sit probabilis, & probabilior minus tuta? Nec mirum cum à diuersis capitibus repetantur hæ dotes, & alium atque alium finem spectent. Securitas est à lege, cuius interdum ius minus luceat, quàm libertatis; vnde maior probabilitas existit, vi argumentorum verisimilium, quæ ex rei naturâ vel à sapientum testimoniis depromuntur. Neutra opinionum quamdiu intra probabilitatis fines continentur, caret aliquâ falsi formidine: sed hoc differunt, quod opinio pro libertate præter falsi commune, peccati etiam singulare periculum adiunctum habeat; quo aduersa pro lege omnino caret, & hoc nomine est anteponenda probabiliori, vt omnes ex consilio concedunt, nos etiam ex præcepto necessarium contendimus; atque hinc oritur omnimoda certitudo moralis & veritas practica, quam Ecclesia-

ſticus vocat, *Verbum verax*, Bernardus, *in electione veritatem*, quæ nullum peccati aut ſalutis periculum adeat, quamdiu adhæret legi, & ex apperitu recto, fertur in vltimum finem. Si quis verò ſupetſit metus falſi, ne forte aliter ſe res habeat, nihil hunc metum moratur; ac proinde opinionem moralem pro lege, ad iudicium prudens, & ad rectam operationem neceſſarium, nunquam deſerit certitudo & veritas formalis, quam vnam inſpexit Fagnanus, quam veritatem practicam, dicimus à ſpeculatiuâ genere & origine diuerſiſſimam. Speculatiuam enim diximus ſimilem eſſe voluntati diuinæ antecedenti, quod vbique rem attendat nudè, ex propriis principiis, ad opus nondum omnino maturam; veritas verò practica complectatur, quidquid neceſſarium fuerit, vt ad actum progrediamur.

Id verò bifariàm contingit, primum cum pro lege pugnat, licet minus probabilis opinio, vel cum euidens eſt, aduerſam pro libertate opinionem nihil legi repugnare; ex vtroque capite euadit vera opinio probabilis, id eſt, cum probabilitati ſufficitur euidentia, quod raro contingit, vel cum legi adhæremus. Tum enim *prait verbum verax*, vel quia quoad ſpeculationem, & praxim veriſſimè agnoſcit, qui opus meditatur, illud nullâ lege prohiberi; vel quia, licet forte falſum ſit, quod ſibi perſuadet, ex præſcripto legis faciendum eſſe opus; certum tamen eſt, nihil illi repugnare, & ad minus conſuli, ſin præcipiatur. Ergo falſa opinio ſpeculatiuè, practicè vera eſt. Et ex illâ præit *verbum verax*: atque hæc eſt mens profundiſſima ſapientiſſimi ſenis, quam non omnino videtur conſequutus Vvendrochius; cuius reprehenſio hâc noſtrâ interpretatione concidit. Sed cum ſummè ſit neceſſaria ad depellendas obiectiones in Mercorum, eam operoſius tractabo.

Paragraphus Secundus.

Inſinuata veritatis formalis ab obiectiuâ, & practicæ à ſpeculatiuâ diſtinctio fuſius explicatur.

HOc vnum quod titulo pollicemur, videbatur deſiderari in ſuperioribus Diſputationibus, quod hîc annectimus neceſſarium ad ſuperiorem in Fagnanum, & refe-

tendas in Mercorum obiectiones. Ille putat, vt contra legem æternam mendacium in totum prohibentem, peccet v. g. puer duodennis, nec vlla possit excusari ignorantiâ inuincibili, satis esse, si rationis sit compos, & sanæ mentis,& aliquid proferat verbis dissentaneum à suâ cogitatione, siue aliud loquatur, aliud sentiat, quamuis de lege æternâ nihil nouerit, nihil deliberare possit, aut dubitare, seu ex innatâ rationis lege, seu ex sapientum regulis, & credat hunc ab ore dissensum, honestari, imò necessarium esse grauissimis de causis, quæ nihil ad proprium commodum, sed ad officium pertineant. Dum ita statuit & iudicat puer, Vvendrochius quasi dogma fidei credendum vrget, veritatem, seu conuenientiam deesse cum lege æternâ, à quâ recedit & peccat, quisquis, quocumque respectu vnum ore promit, aliud corde premit. Et Fagnanum atque Mercorum grauiter incusat, quod hanc assertionem vel negarint, vel ignorauerint, nec præmiserint veluti fundamentum toti controuersiæ.

Sed hâc censurâ virorum grauissimorum videtur duo hic Scriptor peccare. Primo non satis æternæ legis,& iuris naturalis complexionem, & ambitum explicuit, nec fortè comprehendit; sed istud Articulo sequenti prosequar. Deinde veritatem obiectiuam, à formali, non satis distinxit, vnde vel in grauem errorem impegit, si illam putet ab istâ seiunctam satis esse ad errorem culpabilem, & subinde ad peccatum. Concedam quidem hanc propositionem, non esse cautum lege diuinâ, ne puer duodennis neget, homini districto gladio inimicum insequenti, seruandæ istius vitæ causâ, à se visum; Si libris extet huiusmodi propositio, vel ore proferatur, vel primâ operatione mentis concipiatur, falsam esse obiectiuè: at formaliter & practicè falsam esse à puero conceptam & iudicatam, quod vnum ad errorem, & subinde ad peccatum necesse est: id nego dogma fidei esse, aut vllâ ratione demonstrari. Res manifesta fiet explicatâ veritatis speculatiuæ & practicæ notione, quod paucis exequar.

Vt horum omnium fundamenta tantæ moli astruendæ, & fulciendæ paria ponam, id velim primum obseruari. Veritatem inter & bonitatem hoc primum discrimen, ex communi sapientum sensu esse, plurium quæ inde consequuntur originem: vt veritas sibi mentē quasi sedem vindi-

cet,bonitas insit rebus. Id verò discrimen ab alio repetendum est, quod inter vim cognoscentem & appetentem, post D. Augustinum, & Aristotelem statuunt Philosophi ferè omnes, & Theologi, cognitione res trahi ad facultatem quâ percipiuntur, appetitum verò in illas extra se positas ferri. Hinc veritas, quę vna est dos cognitionis, potentiæ cognoscenti inest, bonitas verò rei, quâ veluti quodam lenocinio ad se pertrahit amantem.

His adde alterum æque compertum: cum veritas mentem quasi propriam sedem occupet, illam afficere oportere, qua à cæteris rerum aut facultatũ generibus differt, eisque præstat, cognitione nempe, non quacumque; illa enim etiam sensibus conuenit, licet veri sint expertes, neque illâ primâ mentis operatione, quam apprehensionem vocant: nam si quæ illi insit cum re apprehensa conformitas, non minus mentem latet, quàm sensus suam, aut si velis imaginem ad prototypi similitudinem exactè informatam. Itaque cùm veritas, quam omnes sitam volunt in cognitionis cum re subiectâ, similitudine & conuenientiâ, sedem in mente constitutam habeat, & illi oporteat inesse, quâ cæteris rebus & facultatibus antecellit, hoc iuris obtinet solo iudicio, quo mens statuit & pronunciat se rei conceptæ omnino conformem esse: Vnde S. Doctor profundissimè veritatem ponit in conuenientiâ rei cum iudicio cognitâ. Hinc prima lux ad nostram controuersiam suboritur & clarescit, cum de veritate quacumque agimus, non id solum attendendum esse, an principiis & rebus vnde haurienda est, consentanea sit operatio, quod diximus sensibus etiam conuenire, imò & statuis, atque imaginibus; sed an hæc conuenientia certo iudicio, quasi quadam mentis ad rem collimatione, & ictu destinato attingatur. Vnde subinde patet male carpi Fagnanum, quod ab opinione probabili, seu indifferenti ad verum & falsum, omnem abroget veritatem naturæ intelligenti singularem & eximiam, quamdiu in æquilibrio manet, quamdiu illam latet sui iudicii, quo veluti sagitta, attingitur veritas, cum re perceptâ conuenientia.

Ad huius rei obscurissimæ lucem iterum obseruari velim, conuenientiam de quâ agimus, in quâ sitam diximus esse veritatem, bifariàm aut trifariàm importari, & eo planè modo, quo tempus significari aiunt Grammatici. Id

verò tripliciter contingit: primum materialiter, vt loquitur Schola, verbo efficaci magis quàm eleganti, & quasi mortuum nominibus consignificatur, vt hoc vocabulo *Cœna* importatur tempus serotinum, quia fieri solet eâ diei parte postrema. Verbo autem *Cœnat* aut *Cœnabat* significatur formaliter & expressius, & quasi viuum; quia ea est supra nomina verborum dos, vt tempus quo res significata peragitur, notetur, idque bifariàm, nempe directâ & exercitâ, vt loquitur Caietanus, vel signatâ, seu reflexâ significatione. Cum dico, quis *Cœnat* aut *Cœnabat* tempus serotinum consignifico, quia tum temporis fieri solet hæc refectio: reflexam & signatam vocat significationem Caietanus, cum addo, nunc horâ post meridiem octauâ vel nonâ cœnatur: & hinc assurgimus ad veritatis rationem. Certum est eam mentis conuenientiâ cum re constare non quâcumque, non materialiter quasi cum re mortuâ, sed cognitâ, & exercitâ, quod soli competit iudicio, cuius vim & sensum sic licet interpretari: *Quod concipio nihil differt à meâ cogitatione.* Nominibus perinde ac verbis, nihil vetat tempus importari, sed longe diuersa est vtrorumque significandi ratio: nominum veluti mortua, verborum exercita est, & expressior: quo exemplo elucere puto veritatis notionem, quæ illi insit tantum operationi mentis, quâ sui cum re collatione directâ aut reflexâ (id enim perinde est) mens statuit, rem ita se habere, sicut ipsa iudicat: & cum ea vis attingendæ conformitatis, singularis sit menti, vt cæteris rebus præster, & vni iudicio vindicetur, vt ab aliis differt operationibus mentis, hinc euidentissimum est, vni iudicio compositione aut diuisione, seu affirmanti & neganti esse asserendam.

Res alio exemplo fortè illustrior fiet: sagittatij tum tantum elucet industria, cum constitutum sibi in quem collimet scopum, certo ictu attingit, à quo vitium fuerit illius artis aberrasse. Si sagittam emittat nullo designato loco, quem petat; experimentum suæ artis non facit: vnde hæc sagittatio omni caret periculo errandi. Ita de intellectu veritatem inquirente statuo: illam tum tantum attingit, vel ab eâ recedit, cum de re aliquâ pronunciat suo iudicio conuenire: & cum ea, vt sic loquar, collatio exercita, veluti quædam collimatio, cæteris operationibus mentis præter iudicium desit, nec illa iudicandi vis insit aliis rebus & fa-

cultatibus, ne quidem sensibus exceptis, omni carent laude veritatis cognitæ & compertæ, & subinde absunt omni periculo, ab illâ errandi. Verum quidem est sensibus, & primâ mentis apprehensione res percipi: sed deest illa vis se secum rebus perceptis conferendi: & perinde se habent (vt eodem exemplo vtar) sicuti sagittarius, qui sagittam iacit nullo loco designato, in quem dirigat: Ergo caret omni laude veritatis consequendæ.

Sed, inquies, contingit conformes esse rebus apprehensis: quid igitur vetat quin veri sint, cum veritas posita sit, in operationis cum re conuenientiâ: Quid ergo deest ad veritatis consecutionem? Id vnum in quo positam contendimus, nempe de conuenientiâ iudicium. Dabo inesse veritatem, eo gradu quo conuenientiam: sed cum hæc materialis, non expressa, vno verbo non cognita sit; vel in totum sensibus veritatem abrogo, aut materialem, quæ præ stupore nullius sit capax falsi, concedo.

Hinc dictum profundissimè à Philosopho, *abstrahentium* id est, nihil iudicantium, ad nihil collimantium, *nullum esse mendacium.* Nihil falsi habet sol bipedalis in tabellâ depictus, neque sensu ex distantia locorum, aut mente eâ mensurâ apprehensus. Verum etiam dabo, sed veritate materiali & mortuâ, quæ nihil habeat laudis de veritate consecutâ, neque ab eâ aberrandi aut falsi periculum. Et in hæc omnia cadit effatum Philosophi: abstrahunt enim huiusmodi imagines, aut sensationes, à vero sole aut apparenti, & isti conueniunt. Damus etiam nunquam decipi, quia abstrahunt, nihil iudicant, veritas illis nescientibus veluti casu inest, ex destinato nunquam.

Hinc D. Augustinus ab omni errore excusat linguam ægri referentem menti, quem gustat cibum, sibi amarum esse, quamuis sit suauissimus; quia refert quod sentit, non quid sit rei: nihil autem verius quàm se amarum cibum experiri. Vnde autem acor ille existat, an à cibo, an à palato ægro, nihil statuit, nec potest: sed menti iudicandum relinquit, quæ assequetur laudem veritatis cognitæ, si amarum gustum, non in cibum referat, sed in linguam ægri: at si secus iudicet, erroris dat pœnas, non lingua quæ suum expressit sensum, nec laudis, nec vituperii particeps futura.

Ex his igitur quasi de puteo Democriti veritatem eruimus

mus, solique asserimus iudicio mentis. Quid verò ista, inquies, longissimè repetita ad disputationem nostram? Hîc in antecessum ponimus fundamenta concertationis cum Apologista, de vsu probabilium, & cum Vvendrochio de ignorantiâ inuincibili; hinc etiam D. Fagnanum à duplici censurâ Vvendrochii vindicamus: eum immeritò carpit, quod veritatem abroget opinionibus in æquilibrio positis, & indifferentibus, quo nihil verius aut eruditius, ad sensum sapientissimi senis. Nulli enim propositioni veritas inesse potest, cui desit iudicium, rem ita se habere, sicuti ipsâ propositione aiente, aut negante, mens iudicat: & quia huiusmodi iudicium deest, quamdiu opiniones paris sunt probabilitatis, hinc illis detrahit omnem veritatem, aut falsitatem formalem.

Sed vt iam monui, si censura Vvendrochii in hoc tantum posita sit λογομαχία & mera vitilitigatio esset nostra controuersia. Sed aliud longe solidius, & altius, & ad subiectam de probabilitate controuersiam propius, inuestigat vir oculatissimus, quod forte non aduertit Vvendrochius. Id vnum spectabat, vt opinionis speculatiuæ & moralis duplex discrimen statueret: idque carpitur dictis duobus postremis: hoc enim vult, opinionis speculatiuæ delectum arbitrarium, nihil mali habere, moralis verò necessarium esse oportere: vnde aliud consequitur maioris momenti in hoc positum, quod assensus speculatiuæ opinionis, non possit non esse formidolosus, moralis verò facile ad certitudinem omnis dubitationis expertem, ex regulis prudentiæ euehi possit, & omnino oporteat.

Si quæras vndenam tot discrimina rerum, intra eosdem probabilitatis fines existant? Respondeo id oriri ex vtriusque generis opinionum fine diuersissimo. Opinio speculatiua id vnum quærit, quid sit rei in seipsa: Et cum hoc peruidere, aut euidenter consequi nequear, atque hinc & inde aliqua species eluceat veri; vtrinque ingruit periculum falsi: Et cum indubitatus fieri, aut haberi non possit assensus, permittitur arbitrarius cuius libuerit opinionis delectus: maximè cum æquale, aut non admodũ dispar fuerit probabilitatis pondus. Licet verò ad prudentiæ munus pertineat, non omnino negligere, quid in se sit rei; vbi tamen compertum fuerit vtrique parti proba-

bilitatem inesse; tum non admodum curat, quid sit rei in se; sed quid opus sit facto: & hoc certò consequi potest. Vnde licet opinioni quoad speculationem aliqua semper subsit formido falsi, eam tamen prudentia ab opinionibus moralibus omnino submouet, aut nihil omnino curat, & ad iudicii practici certitudinem, via facilis est & compendiaria.

Res difficillima, vnde totius vitæ humanæ & Christianæ institutio pendet, exemplis quàm oratione fiet apertior. Demus hominem in sua natalia inquirere diligentissimè, an ab eo patre sit ortus, quem illi communis opinio dedit: post longam indaginem nihil in alterutram partem certi, multa probabilia occurrunt, quæ communi faueant opinioni: Inde quid infert? Conclusionem vnam speculatiuam formidolosam, puto me ex legitimo coniugio natum; practicam alteram & omnino indubitatam, ergo colendus mihi est omni genere officiorum, is à quo ex probabili opinione vitam hausi.

Rem altius promoueamus, à priuato filii in patrem officio, ad omne genus in Deum, & in cæteros homines officiorum. Demus quod contendunt Athei & impii, vtrinque probabiliter tantum disputari, sicut de nostris natalibus diximus, de numinis existentiâ, prouidentiâ, immortalitate animorum, de felicitate aut miseriâ æternâ, de vitiis aut virtutibus, nec quid horum verius certò & euidenter euinci. Concedamus gratis quod re verâ falsum est, vtrinque æquo marte pugnari, nec vlli partium ex ineuidentiâ aliquam falsi formidinem deesse Cum ad hæc accedit prudentia, seu moralis, seu Christiana, abiectâ illâ formidine speculatiuâ, certissimè de omnibus officiis statuit, quibus Deum colamus, felicitatem promereamur, peccata fugiamus: & si horum quidquam negligamus, aut negemus, vel dubitemus implendum, longe magis intestabiles, & impii euadamus, quàm filius, qui iure paterno deiiciat parentes, à quibus probabilius credit se vitam hausisse, quod obtendat, suorum natalium se non potuisse certam & euidentem cognitionem comparare. Ista nos docere voluit D. Fagnanus, duobus quos Vvendrochius carpit Articulis. Iudicium Lectoris esto, an æqua sit reprehensio.

Paragraphus Tertius.

Ex Regulis constitutis dirimitur recens controuersia an subscribendum sit sanctionibus damnantibus Iansenij sensum.

Multa hîc nobis præsidia extruximus contra Aduersatii acerrimi impetus, & eò videor disputationem deduxisse, vt compendio possim dirimere controuersias, à nostro argumento non alienas, & iisdem exemplis ac regulis definire. Feruet tota Gallia contentione grauissimâ, an constitutionibus Pontificiis, & Cleri Gallici sanctionibus, quoad quæstionem facti possint, & debeant ex animo se subiicere omnes, aut ij saltem, quibus defuerit certa & euidens persuasio, rem secùs se habere, sicut fieri potest in rebus Facti. Sensum meum superioribus principiis consentaneum paucis aperio.

Et in primis id apud omnes receptum est; rerum, quæ ad fidem pietatemque Christianam pertinent, duas posse quæstiones institui, nempe Facti & iuris, easque definiendi, vt materiæ ratio patitur, aut requirit vtilitas Ecclesiæ, collatam à Christo Conciliis Oecumenicis, & Summis Pontificibus, non minus plenam, quàm necessariam facultatem: præterea eorum decretis, seu iuris quæstiones diriment, seu facti, parendum esse summâ reuerentiâ: hoc tamen discrimine, quod cum res iuris ad doctrinam spectent, & sint vt plurimum reuelatæ, aut reuelatis necessario iunctæ, vbi declaratæ aut sancitæ sunt, certum à nobis assensum exigant; & ipsa dubitatio, si voluntaria sit, errore aut erroris periculo non careat; res verò facti, cum magis ad sensum pateant, quàm reuelatione diuinâ innotescant, si quid de illis statuatur, reuerentiâ & obsequio sic prosequenda sunt eorum decreta, vt dubitationem omnem non excludant.

Rem obscurissimam hoc exemplo illustrabo. Cùm à Deo rerum omnium auctore, & sub ipso à parentibus originem & vitam hausetimus, adeò arcta inter ipsos est cognatio principii, vt quidam parentes à quibus progeniti sumus, eleganter vocent *Deos nostros aspectabiles*, Deum

verò *patrem inaspectabilem*; ac subinde Theologi vnam virtutem nempe pietatem constituant, quâ vtrumque vitæ nostræ principium, æternum & temporarium colamus; eo tamen discrimine, vt certissima sit origo à Deo, & si quis dubitet se ab illo existere, Atheus omnino sit: à patre verò natiuitas paucis comperta est: neque de illâ dubitatio officium pietatis lædit, aut minuit. Quis neget patri parendum & obsequendum, etiamsi dubites de tuis ex illo natalibus? Eodem animo, eodemque discrimine rerum, Facti aut iuris decreta à summis Pontificibus profecta excipere & distinguere nos oportet. Peccamus semper, contra officium, nisi ea reuereamur, etiamsi factum de quo statuit, sit incertum, & de illo iure sicut interdum de natalibus dubitemus.

Sanè si capitalia, quæ aduersus Pelagianos, nomine totius Ecclesiæ defendit Augustinus dogmata, de Prædestinatione gratuitâ Sanctorum, de gratiâ per se efficaci, his formulis peterentur (quod nefas sit cogitare) iusta esset resiliendi causa. Sed cùm Innocentius X. viuæ vocis oraculo se, salua & illæsa velle hæc Augustini dogmata, & apertius eius successor Sanctissimus litteris ad Louaniensem Academiam testatus sit, inconcussa stare D. Aug. & D. Thomæ dogmata: his in tuto positis, doctrinæ Augustinianæ & Catholicæ capitibus; vanus est timor, ne in Augustinum cusæ & obtentæ sint huiusmodi formulæ, quarum subscriptio vrgetur: & quæ summa est charitas ac sapientia illustrissimi nostri Archiepiscopi, eâ lege exigitur vt fide humanâ sicuti quæstiones Facti solent, excipiantur.

In hoc verò sensus Ianseniani de mente Augustini posita est controuersia, verum ne sit discrimen, quod statuere certò se putat ex Augustino Iansenius, gratiam inter, Angelis, primo homini, & cęteris hominum post lapsum & originale peccatum collatam, vt illa sit tantum auxilium possibilitatis, *sine quo non*, & sufficiens, suspensum, à voluntate creatâ, vt à primâ radice determinandum, ista verò sit auxilium actionis, efficax, *quo* voluntati dominans; ex quâ interpretatione quinque propositiones deduxit: an verò homini stanti ad plures actus & Angelis Sanctis ad perseuerantiam, datum sit auxilium *Quo*, & hominibus lapsis conferantur plura auxilia, ex Christi meritis *sine quibus non*; Iansenius eiusque asseclæ ac defensores, inter

quos non postremum existimo locum tenere Vvendrochium, contendunt 1. verum esse, secùs sentiunt reliqui ferè Catholicorum, & præter totam familiam Dominicanam, & Carmelitarum Excalceatorum, illis adhærent Duacenses, Louanienses, Estius, Syluius, Leonardus, Coquærius, Thomas Anglus, aliique profundissimi Theologi in Augustino versatissimi.

Hi omnes à me enumerati, Iansenio fine conueniunt, sed differunt mediis. Augustini gratiam & prædestinationem, quasi Ecclesiæ Catholicæ sensum defendimus; atque is vnus est omnium nostrum scopus & finis, sed aliam & aliam defensionis rationem inimus: vnde cum de mediis sit dissensio, & discordes tot Theologorum sententiæ ad minus euincant rem esse obscurissimam, & nostræ interpretationi nullum probabilitatis genus, seu ab authoritate Doctorum, seu à rationum momentis deesse: & cum paucis aut forte nullis suppetat euidentia, quis non videat disputationem ad Facti quæstionem, & ad prudentiæ regulas deductam esse? Demus gratis, liberum cuique esse quod libuerit speculatiuè, quid rei in se sit opinari: longè diuersa est & alterius generis quæstio praxeos, quid opus sit facto, iis quibus ineuidens fuerit mens Augustini, quales ad minus sunt, quibus nunquam lectus fuit. Ergo istis prudentiam ad examen aduocandam censeo, cuius certissimam regulam Paragrapho superiori sanciuimus, cum de rebus agitur quarum nostro studio & labore, sperare non possumus certam & euidentem notitiam, iis adhærendum, penès quos est in nos, nedum authoritas, sed etiam imperium summæ sapientiæ opinioni coniunctum, quo nos legitimè vrgent; eòque destituuntur contra sentientes. Quare vt Cypriani verbis vtar, *in re tam iustâ nulla est consultatio*: saltem iis, qui hîc non suo, sed alieno sensu sapiunt. Acutè & verè Augustinus de Deo, *ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis.* Id iuris post Deum nullus mortalium, quàmlibet sanctitate & sapientiâ polleat, à nobis exigere potest, præter Ecclesiæ Pastores nobis à Deo præpositos, à quibus resilire ex opinione eruditionis, & singulari affectu in priuatos homines haud scio, an apud Deum excusari possit.

Accommodatissimum ad rem nostram exemplum suppeditat celebris controuersia D. Thomæ cum Scoto, de sco

publicis tabulis authenticè conuicto criminis, vltimo supplicio puniendi; & vt vim argumenti augeamus, adde reum testibus assentiri, & se grauare homicidio, à quo certus est judex priuatâ cognitione omnino immunem esse. Quamuis ergo reum conuictum, aut fortè confessum neget Scotus posse damnari ad mortem, à judice ipsius innocentiæ conscio, asserit tamen D. Thomas debere damnari, respectu boni publici, ad quod refert, ratam esse & firmam publicarum tabularum fidem, quas non possis illegitimas & falsas, secundum iuris formulas probare.

Eo ad minus statu est causa Iansenii, publico iudicio Ecclesiæ damnati. Esto, se tueantur authoritate Scoti; qui certò putant se nosse interpretationem sensus Iansenii, ab authoris mente alienam: Quid de illis statues, quibus deest huiusmodi sensus legitimi certa & euidens cognitio, quam nequeant suo labore comparare? An non sequenda illis est potius sententia publica Pastorum Ecclesiæ, quàm priuata & singularis aliquot Theologorum? Hic vrget, & rem videtur mihi conficere, exemplum rei insontis homicidii, cuius conuictus sit testimoniis, quæ nequeat eleuare, & tædio vitæ, aut aliis de causis suâ confessione confirmet. Si plures sedeant Iudices in hâc causâ capitis, quorum vni fide dignissimo comperta sit innocentia rei, & subinde falsam nouerit testium accusationem, rei confessione confirmatam, idque apertè aliis Iudicibus testetur, & iudicio ac mortis sententiæ totis viribus intercedat, protestatus se à sanguine hominis iusti innoxium esse; credis-ne an posthabitâ confessione rei, & accusatione actoris, secundum formulas iuris legitimas, possint ex priuatâ vnius judicis fide contestantis innocentiam accusati, & confessi rei, illum alii Iudices absoluere, & insontem pronuntiare? Nullum puto tum fore locum sententiæ Scoti, nisi fortè Iudici, certo falsum esse homicidii crimen; ab aliis verò omnino damnandum.

Idem iuris esse concludo, iis quibus innocentia Iansenii damnati, publico Ecclesiæ iudicio nota esse nequit, nisi priuato aliquot Doctorum testimonio, quibus minus adhærere liceat, postpositâ Ecclesiæ sententiâ, quàm Iudicibus, vnius è suis, contestantis rei innocentiam suffragio, nullâ habitâ ratione causæ legitimæ, iuxta formulas legis peractæ. Hæc placuit paucis superioribus adiungere, quod

inde necessariâ consecutione, sponte magis profluere videantur, quàm deduci aut trahi: nec inutilia puto ad nostram defensionem, vel ad leuamen piorum quos anxia religione mordet hæc subscriptio. Sed si attendantur, quæ diximus, religioni magis illis futurum est, si resiliant, quàm si subscribant. Quod verò ad nos attinet, scio nonnullos inscitiæ, aut ignauiæ imputare, quod eiusmodi formulis subscribamus, aliorumque recusantium constantiam, penè martyrio dignam mirantur: sed quisquis meminerit nos D. Thomæ Discipulos, cuius nedum dogmata tutari conueniat, sed & regulas morum ab ipso præscriptas, necesse sit sequi, & implere, desinet nos incusare inscitiæ & ignauiæ; cùm eo in Ecclesiam obsequio adiuncta sit illius doctrinæ defensio, & obseruatio præceptorum. Quid enim in eo rerum articulo putas facturum, qui velit judicem postpositâ quâcumque notitiâ innocentiæ rei, eum damnare, probato legitimè crimine cuius apud ipsum accusatur.

Paragraphvs Qvartvs.

De D. Sinnichio judicium, eiusque cum VVendrochio dissidium de mente Augustini.

Cvm voluptate legi quas Vvendrochius Sect. 3. congerit laudes in Sinnichium pluribus etiam dignum. Illum longe anteponit aliis duobus, vt loquitur, Casuistarum flagellis: iudicium illud in medio relinquo: id vnum quod sentio dicam, cuiusque illorum laudes adeò diuersi generis esse, vt ex Philosophi regulâ probè nequeat eorum collatio institui. Cum duodecim loci sint Theologiæ vnde argumenta repetuntur, vix ab vllo abstinent eruditissimi Scriptores. Hoc solum differunt, quod Sinnichius crebrior sit, & felicior in SS. Patrum citandis & vrgendis testimoniis: Fagnanus iuris Canonici consultissimus, inde validiora contorqueat argumenta; neuter illorum Mercoro laudem præripit scholasticæ subtilitatis. Hoc etiam differunt, quod apud Sinnichium, de singulis præceptorum, & morum quæstionibus extent luculentissima, de probabilitate generatim non legi alia, quàm quæ

vno articulo primæ disputationis complexus sum, nostris obseruationibus aucta, & quæ hoc Paragrapho adiungam. Reliqui duo, hanc quæstionem de vsu probabilium vniuersim, operosius tractandam sumpserunt: quare horum quilibet dote aliquâ vincit cæteros, aliis decedit. Atque ita ex vero fine cuiusquam inuidiâ credo posse eorum comparationem iniri.

Cæterum lætor Vvendrochio videri Sinnichium, saltem verbis nimium præferre rigorem, & in speciem plus iusto probabilitatum vsum restringere: atque hinc ad minus secundum suæ censuræ nodum iam solutum, si tentet restringere, gladio ipsius resecabo. Quærebat à Mercoro quinam essent illi, qui plus æquo probabilitatum vsum arctarent; contra quos illi suo opusculo agendum fuerat. Respondeo eos esse qui cum Sinnichio sentire, aut loqui videntur, cuius verba & sententiam putauit aliquâ animaduersione, aut verius interpretatione molliri oportere.

Cæterum quæ habet de homine ex probabili opinione, nullius peccati conscio ad sacram synaxim accedente, consentanea sunt iis quæ Stubrokio, illud ipsum exemplum referenti, ad securitatem omnibus generatim opinionibus probabilibus asserendam, respondi Disputatione 2. Sectione 1 ad finem, Regula secunda, neque à tertia nostra differunt quæ huius Sectionis Articulo secundo habet selecta, de his qui vtrinque periculo peccari vrgentur, cum instant duo pręcepta, quæ simul impleri nequeant.

Sed longè grauior est quam Art. 2. versat de mente Augustini cum Sinnichio, dissertatio erudita: an ex S. Doctore opinari in totum vitiosum sit, quod videtur velle Sinnichius; an quod ipse contendit, id liceat, & necessarium sit aliquando. Res apud me omnino dubia est, cuinam duorum charior sit & familiatior Augustinus, nisi fortè quis dicat, Sinnichio, ni fallor, annis maiori, ingenio autem & eruditione pari, detritum Augustinum longiori & frequentiori lectione: & tamen contendit Vvendrochius Augustini mentem, se verius & certius Sinnichio esse consecutum, quod non facile concedam. Ex hâc verò disceptatione duorum nobilissimorum Augustini Discipulorum, hoc commodum ad nostram causam arripio. Cum de Augustini mente à Iansenio eiusque discipulis, cum S. Thoma,

cum Estio, & Thoma Anglo, & cum Ecclesiæ Pastoribus disceptatur, rem ad minus dubiam, aut vtrinque probabilem, & ex prudentiæ regulis in illorum partes, non ægrè deducendos, qui præter sapientiam parem, ius habent imperandi: & quos quidam conscientiæ remorsus prætexunt, si constitutionibus se subiiciant, iustiores & acriores fore, si recusent, cum diffidentibus Doctoribus standum sit pro obsequio & obedientiâ.

Sed ad rem nostram: Vvendrochius regulam statuit, quam censeo moderandam, non esse standum probabilitati pari aut maiori, vt pse videtur permittere, nisi officio & vltimo fini faueat, quia habenda magis ratio securitatis opinionum, quàm probabilitaris; atque hâc interpretatione Vvendrochii regulæ, facile est Sinnichium tutari contra Vvendrochium: putat sui operis numero 364. in totum damnare opinationes, & malè Augustinum in suæ sententiæ patrocinium aduocare lib. de Vtilitate credendi cap. 11. *Tria*, inquit S. Doctor, *sunt veluti finitima sibimet, in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari; quæ si per seipsa considerentur, primum sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.*

Sed excipit Vvendrochius *hæc verba Augustini alium ab interpretatione Sinnichij intellectum habere*, quod opinio & opinari ab Augustino accipiatur alio sensu, à populari & Scholastico remoto, non pro illâ assensione ex probabilibus rationibus ortâ; sed apud Augustinum, Ciceronem & Academicos, eum animi habitum significare, qui fallacibus & probabilibus tantum rationibus, firmum omnino, & formidinis expertem assensum præbet; & sic scire se putat, quod re verâ nesciat: quæ affectio, non opinio apud Scholasticos, sed error dicitur: atque hoc sensu ait Augustinus eodem libro, *opinari duas ob res turpissimum esse, quod & discere non potest, qui sibi iam scire persuasit, si modo illud disci potest; & per seipsa temeritas non bene affecti animi signum est.*

Sed non facile credam Vvendrochium certius mentem Augustini Sinnichio fuisse assecutum, vel illi ignota fuisse loca quæ obiicit. Itaque censeo Augustinum illâ contra Academicos disputatione, non magis recessisse à vulgari significatu opinionis, quàm à virtutis acceptione communi,

cum disputat de Iustitiâ, Castitate, aliisque operibus Infidelium, quorum virtutes damnat vt inflatas, quod scilicet in illis sistant & conquiescant, nec ad Deum referant vt ad finem vltimum. Itaque dico Augustinum damnare opinionem, non mutatâ significatione, sed spectato malo illius vsu. Rem explico distinctione insinuatâ à Vvendrochio Art. 6. contra Caramuelem; vbi duas constituit opinionum probabilium species, relatam vnam, absolutam alteram; opinio verò referri potest, vel ad principium vnde existit, id est, ad mentem expertem euidentiæ veritatis aut falsitatis rei de quâ opinatur: & hoc respectu certum est probabilitatem relatam crescere aut minui, prout rationis testimonia quibus munitur, vni magis, aliis minus probantur & arrident. Sed alio sensu dici potest opinio relata ad terminum quem inspicit, & quò fertur; is verò triplex esse potest iuxta legitimum opinandi vsum: nam opinio, si probè illâ vtamur, vel ad scientiam ducit, vel ad certam & indubitatam fidem, vel denique ad bonam mentem, & ad probitatem. Quid enim est opinio, nisi inchoamentum aliquod euidentis ex demonstratione, vel certæ ex fide cognitionis veri, vel manuductio quædam ad virtutem; cum opinionibus adhæremus quæ officio fauent? Qualem diximus illius esse, qui comparatâ opinione probabili, non tamen omnino certâ, statuit sibi colendum patrem, quem communis & recepta opinio sibi asciuit, qui iniquè à iure paterno deiiceretur, quod omninò non esset certus suorum ex illo natalium.

Nullus ergo dubitare potest, quin Augustinus approbarit opinionem ad hunc triplicem vsum relatam: quid vero censendus est damnasse, cum pluribus locis ait, opinionem vitio non carere? Eam sine dubio inspexit, ab hâc triplici vsu absolutam, quæ impedimento esset ad scientiam, ad fidem, & ad probitatem, qualis inducebatur & defendebatur ab Academicis, qui probabilia tantum consectabantur; vt expressè habet Cicero Academiæ instaurator, verbis aliàs relatis: *Nos qui sequimur probabilia, refellere sine pertinaciâ, & refelli sine iracundiâ possumus.* Itaque ij omnes probabiles opiniones sectabantur, non alio quàm vulgi sensu, & significatu huius nominis communi; & cum Augustinus contra illos agit, immutato significatu abusum insectatur: sic enim adhærebant probabilibus, vt viam

occluderent ad scientiam, quam negabant posse comparari, & ad fidem, quam aspernabantur, quasi vanam & inutilem, ad probitatem & ad bonam mentem; quia ipsimet probabilitati à seipsâ securitatem afferebant, quam vult Caramuel non à lege mendicandam. Ergo probabilitas absoluta ab his tribus hominis bonis, quibus ex pessimo vsu cum adiumento esse deberet, facta est insuperabile impedimentum, meritò damnatur ab Augustino, quasi vitiosa, aut verius omnium vitiorum origo: sed mutato vsu fiet bonorum omnium fons perennis & inexhaustus.

Et ne quis causetur hæc à me gratis conficta, præter Augustini mentem; alio exemplo non dissimili meam interpretationem illustrabo. Certum est damnatas ab Augustino Gentilium virtutes, quas *inflatas* vocat, quod cum institutæ sint & comparatæ, vt media quibus in Deum feramur, tanquam in vltimum finem, eóque suo pondere decurrant, Ethnici virtutum impetum inhibebant, constituto in ipsis summo bono. Et hinc Augustinus damnat quasi inflatas, quod cum aliquo Dei contemptu, in iis sibi felicitatem, & summum bonum Ethnici constituerent: ac proinde, vt loquuntur nostri Theologi, rationem vltimi finis, nedum *negatiuè*, quod licet, sed etiam *positiuè* haberent, excluso quocumque ad Deum respectu. Latum enim discrimen est inter bonum negatiuè aut positiuè vltimum: primo sensu rationem vltimi habet honestas castitatis, naturæ hominis consentanea, quâ brutis præstat, & hanc pudicitiæ cum hominis naturâ conuenientiam Deum inspexisse diximus, cum castitatis præceptum imposuit; nec quidquam mali habere censendus est illius honestatis affectus, etiamsi ex Charitatis imperio, actu in Deum non referatur, quia aptus est referri, nec ex affectu vllum opponitur impedimentum, ne in Deum feratur vt vltimum finem. Hinc Theologi vocant illud genus boni honesti vltimum affectus castitatis finem negatiuè, non positiuè; atque ita à Christiano amari hanc honestatem, omni culpâ carere puto, licet maxima perfectio accederet, si actu in Deum summè dilectum referretur.

At virtutes Ethnici ita prępostere depetibant, vt in illis constituta felicitate, viderentur Deo quasi vale dicere, nec curare bona quæ posset largiri, iis contenti quę sibi darent:

quod meritò summæ superbiæ damnat Augustinus,& einſmodi virtutes inflatas vocat, quod in Dei contemptum quærantur. Quid simile opinionibus Academici affingebant; & cum institutæ sint ad tria bona enumerata consequenda, probabilibus ita adhærebant, vt viam inde occluderent scientiæ, fidei, & probitati.

Sed vt hanc dissertationem in gratiam Sinnichii concludam contra Vvendrochium; eodem sensu & significatu Augustinus damnat opiniones probabiles Academicorum, quo Stoïcorum virtutes, ex eodem ferè capite, nempe ex abusu quod eò non referrent, quò suâ sponte vergebant: Atqui Augustinus contra Stoïcos, aliosque Philosophos, de virtutibus disputauit ex communi huius nominis significatu: Ergo non est censendus, cùm opiniones damnat, illius nominis significationem immutasse. Hæc in antecessum diximus, dum meliora à D. Sinnichio expectamus: neque enim hanc sibi notam patietur inuri, se in Augustino interpretando fuisse deceptum.

Breuior & fortè expeditior interpretatio Augustini est opinionem sensu Caramuelis accipere, quæ nunquam vitio careat, si attendatur sola probabilitatis ratio sumendæ in vitæ regulam; nullo legis respectu, vnde securitatem à peccato & à damnatione habet, quâ caret aduersa opinio pro lege. Nam qui ex probabilibus solum adhæret legi, & vltimo fini, certissimus est se prudenter agere, nec falsi curat, aut moratur periculum: quia si quis subsit error, speculatiuus est; nec quidquam nocet pro fine stanti & agenti, secundum rectum appetitum hominis probi, conformem vltimo fini, quam ipsemet Aristoteles regulam præscribit prudentiæ: & qui sic comparatus est, adeò certus est, se rectè tuto agere, vt *si fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ*: Nec censendus est ex opinione probabili, sed ex certâ persuasione, practicè vera agere. Hoc sensu explico Sinnichium, & in eâ interpretatione conquiesco, dum ipse mentem suam aperuerit: nec censeo ad Augustini sensum inuestigandum, quam Vvendrochius init, viam esse tentandam.

Paragrahvs Qvintvs.

Iudicium VVendrochij de Caramuele, & eius Apologemate breui expenditur.

ABsit vt Caramuelem defendam, quem castigatum gaudeo: vellem id mitius factum, semotis verbis acrioribus, à quibus abstinui, quantum passa est veritatis defensio, ne dignitatem Episcopi omni reuerentiâ prosequendam, etiam cum est penès indigniores, læderem: quoad cætera conuenio cum Vvendrochio. Duo aut tria potissimum castigat in aduersario, nempe nimiam sui laudationem, conuitia in alios, argumenta futilia, quibus periculosa immiscet paradoxa.

Quoad primum & alterum caput, nihil occurrit quod addam, à me & à Vvendrochio dictis, nisi hoc vnum: in Tullio sui Consulatus frequentiorem cum sui laude commemorationem, reprehensam à Plutarcho; qui mirè hoc vitium exagitat, ex innato in illud odio. Auidiores gloriæ qui seipsos prædicant, putat non abesse ab illorum rabie, qui ex fame malesuadâ, suas carnes mandunt & vorant. Cæterum præ Caramuele modestissimus haberi potest Cicero, & dolendum omnino est Theologum in se commendando immoderatius agere Ethnicis, Poëtis & Grammaticis, vanæ gloriæ, vt Hieronymus loquitur, vilissimis mancipiis, quorum vnus se Cymbalum mundi prædicabat. Sed placet audire ex illâ gente alterum amico se laudanti rescribentem: Is est Politanus quem passim Erasmus politissimum vocat, ego modestissimum censeo, & hanc apud me opinionem sibi comparauit verbis quibus Caramuelem, ipsique similes pudore afficiat: *Hoc*, inquit, *non iudicium de me, sed studium potius in me, ac beneficium interpretor: neque ita mihi sum inexploratus, vt tibi amicissimo homini, atque ob id minus integro judici, plus de me credendum statuam, quàm ipse mihi. Nisi me fortè ita ludit illa Poëtarum amabilis insania, vt nunquam congrediar mecum, nunquam de tergo in pectus manticam reuocem. Quod si Poëticem sequitur velut vmbra corpus, cæcus ille amor sui, qui plerosque infatuat; fateor iam nunc*

Piget me, Candidatum Poëtices haberi, tam ingratâ vice, tam tristi & pœnitendâ mercede. Hic locus verbum illud Scripturæ in mentem reuocat : *Erubesce Sidon, ait mare*, id est, ex interpretatione D. Gregorii, viris Deo sacris pudendum, collatione sui cum hominibus sæculi, quod interdum gloriæ sint auidiores, & ad vana maiori æstu ferantur.

Vvendrochius relato Caramuelis encomio, adulationis sanè putentissimæ, quod Apologemati inscriptum est nomine Patrum Carmelitarum excalceatorum Collegii Licyensis, in hos acerbissimè inuehitur; nec dubito, quin meritas pœnas darent, si adeò proiectâ adulatione se fœdassent (& vt cætera omittam grauiora) D. Thomæ addictissimi, perpetuos se discipulos profiterentur, hominis qui communem Magistrum aspernatur. Sed inde non leuis suspicio animum pulsat, hoc elogium perinde commentitium esse, ac illud quod Capucinorum Exprouincialis nomine, suo assuit, & præfixit Opusculo Amadeus. Suspicionem auget stilus, qui Caramuelem sapit, aut verius latrat, vt Lucretii verbo vtar : quare verius reputo, ab ipsomet laudato viro cusum, & Patribus Carmelitis insciis Apologemati adiunctum, quod iam ipse peruideram : & miror Vvendrochium emunctioris naris hominem, id non fuisse subodoratum, & hoc crimen quod certè graue est, coniecisse in viros, vt puto, insontes, quos ex eâ opinione, quod sint Authores eiusmodi elogii *miserrimos Monachos* appellat. Ego beatos reputo, & ab huiusmodi adulationibus remotissimos, sicut ab illarum causis. De lucubrationibus Caramuelis iudicium Vvendrochii liberum, nec in totum sequi velim, nec possum, aut debeo refellere. Id sentio, eruditionem illi non deesse, sed minime recoctam, & ingenio valere, cui non par adsit iudicium, nimiaque sui fiducia quasi popularis auræ securum, nihil timere, aut fortè curare eruditiorum criteria, quibus propè infinitam censurarum materiam suppeditat.

Hæc de Authore Vvendrochius. Ipsum verò opus à capite ad calcem mendosissimum, & in illud spongiam inducendam pronuntiat; quod plura in se receperit, quorum nec præstiterit vel vnum apicem. Promiserat *opus Apodicticum insistens demonstrata Dialectica, & rationibus munitum, quas certò sciret à nullo mortali solui posse* : vnde

sibi legem indixerat *sedatissimo ac vrbanissimo animo, & calamo argumentandi.* Sed adeò propositi immemor, vt semper in ore habeat lutulenta conuitia, & *aduersarios suos cùm mitissimè tractat, hæreticos appellet:* Id mirum, verborum vbique flumen habet, argumentationum vix guttam, vt meritò in illum cadat Sapientis dictum, *ventus, & nubes, & pluuia non sequentes, vir gloriosus & promissa non implens.*

Tria demonstranda susceperat ex regulis, quas Theologiæ Fundamentalis pagina 138. sibi aliisque præscribit. *Primum deesse satis idoneam authoritatem, ad probabilitatem sententiæ D. Fagnani;* pro qua retulerat Augustinum, Chrysostomum, Bernardum, Thomam, Scotum, antiquiores Scholasticos & Canonistas. De his omnibus ne quidem vnum verbum hiscit, tantùm D. Thomæ locum causatur obscurum esse. Ex recentioribus in patronos aduocauerat Facultatem Louaniensem, Episcopos è Belgio duos, & Galliæ plures, quos omnes excipit, Iansenistas esse. Non potuit futilius ad causam respondere, nec melius mereri de Iansenistis, in quos gloriatur se primum omnium bellicum cecinisse, vt quas inflixisse plagas videbatur, sanauerit adiunctо illis tot illustrium defensorum cœtu. Viderit igitur, an quod primum promiserat, absoluerit, se Fagnanum sufficienti authoritate spoliaturum.

Nec magis alterius propositi tenax, aut promissi memor est, se aduersariorum argumentis responsurum, quod nequidem tentauit: quare Vvendrochius quintum Articulum his verbis elegantissimis & iuxta verissimis concludit. *Ingentem rationum authoritatumque numerum congerit Fagnanus: ille omnia dissimulat, & vix vnam aut alteram attingit: vociferatur, clamat, syllogismos texit, de respondendo non cogitat. Quid illo homine facies, qui plenis buccis aduersarium se obtriturum minatur, & illum ne adoritur quidem?*

Fortè superioribus pollicitationibus Lectorum expectationem frustratus, implebit tertiâ demonstrationum, quas *scit solui posse à mortalium nemine.* Eâ verò liberalitate illum habet Vvendrochius, vt si hanc postremam legem, & promissionem obseruet, vltrò priores sit remissurus. Sed ab istâ, quàm à cæteris longius abest; singulas eius argumentationes expendit, ab Articulo sexto ad finem

vſque Sectionis per plures Articulos, quibus noſtris habet conſentanea ſæpius, interdum diuerſa, pauca contraria: ſatis fuerit annotaſſe illius, noſtræque diſputationis loca, quibus eadem Caramuelis paradoxa, quiſque noſtrum impugnat.

Articulo 6. ad incudem reuocat, quæ profert Caramuel Theoremata totius diſputationis fundamenta, vnde ſuas argumentationes depromat Epiſtolâ 2. de probabilitatis authenticæ, & rationabilis notione, quæ omnia Vvendrochius Articulo 6. accuratè expendit, nos verò Epiſtolâ ad Caramuelem, & illius 2. Epiſtolæ examine: nonnulla admiſcet de ignorantiâ inuincibili diſcutienda Sectione ſequenti.

Conuulſis fundamentis à Caramuele ad totam diſputationem iactis, multas detegit allucinationes, quarum primam Art. 7. de probabilitate abſolutâ, & relatâ inſinuauimus, Paragrapho vltimo. Vvendrochius probabilitatem vult quid relatum eſſe ad mentem, cui res probabilis eſt, quæ poſſit alteri magis, aut minus probari, vel omnino improbabilis videri: atque hinc leui brachio deiici machinas argumentationum Caramuelis, ex delectu opinionum variis gradibus probabilium, quas tutò ſequuntur Summi Pontifices, Cardinales, Iudices, &c. Peccare enim ait Caramuelem paralogiſmo, à relatâ probabilitate ad abſolutam: vnde concludit expeditam rationem exſufflandi omnes authoritates Caramuelis in promptu eſſe, vt cum dicitur, circumferuntur deciſiones Cardinalium inter ſe oppoſitæ tantùm ipſis probabiles: Ergo tantùm probabilibus vtuntur ad Eccleſiæ regimen. Eadem eſt argumentatio de Summo Pontifice, ex minus probabili opinione diſpenſationes largiente: Ad hæc Vvendrochius *apage ridiculam conſequentiam*; nunquam ne intelliges, opinionem quæ probabilis tantùm nonnullis Authoribus viſa eſt, certam videri potuiſſe his Pontificibus, & Cardinalibus, qui eâ vſi ſunt? Nos fuſius & operoſius reſpondimus Diſputatione 2. Sect. 5. art. 5. & aliis locis.

Aliam Art. 8. detegit fallaciam, quâ pro eodem ſumitur habere opiniones, & ſequi, ſeu ad vſum reuocare opiniones tantùm probabiles: hoc pertinet ad differentiam opinionum, quarum aſſenſus, quoad ſpeculationem nihil habeat mali, quamuis vſus ſit periculoſiſſimus, vt demonſtratum

monstratum est Disp. 2. prioris partis, & hâc posteriori passim, præcipuè Disputatione 1. de sensu rece itiorum Thomistarum quoad delectum opinionum. Hinc obseruat Vvendrochius, habere opiniones probabiles, omnibus sine exceptione conuenire ex innatâ ignorantiâ: id solum ambigi, an qui aliquid tantum probabiliter licitum putat, etiamsi viæ tutæ copia suppetat, possit illam opinionem probabilem sequi, & ad vsum reuocare, quod nunquam factum nisi legem pro se habeat. Eiusdem ferè generis est tertia allucinatio Articulo 9. refutata, quâ obiectum probabile, vel dubium cum opinione probabili confunditur; cum tamen diuersissima sint, & de obiecto probabili ac summè dubio, possit certus haberi assensus, & vsus ex principiis quasi extrinsecis prudentiæ: vt cum puero morituro Baptismus dubiæ materiæ, quia certa deest, vel ægro remedia probabilia admouentur, quod ex prudentiâ melius sit probabilibus vti, quàm nullis. De quâ allucinatione innumera diximus, & ex professo impugnata est prioris Partis Disp. 1. Sect. 4.

Argumentum Caramuelis ex variis interpretationibus Scripturæ, & gratiis quas Deo agunt Sancti pro beneficiis dubiis, contemnit potius, & meritò Vvendrochius quam soluat. Art. 10. nos exactius respondimus prioris partis Disp. 2. sect. 6. Nihil dici potest eruditius aut prudentius iis quæ respondet Artic. 11. Theophili Raynaudi & Caramuelis argumento è Conceptionis Bullâ pro astruendâ probabilitate repetito: nos breuius & parcius, ne vel minimùm læderemus reuerentiam decretorum, quibus rei huius silentiũ nobis indicitur: sed ea salua, difficultatem exhauriunt, quæ eâdem parte priori habes Disp. 2. sect. 3.

Quos Art. 17. exagitat errores, aut vt loquitur ineptias, de imposito à Casuistis onere Confessariis, sequendi opinionem, quamcumque vel minimùm probabilem, & de exemplo pueri inuincibiliter ignorantis mollitiem esse peccatum mortale; quod item affert ex dissidio Dominicanorum, & Franciscanorum, an vna vel duplex insit malitia furto rei sacræ, vel in Ecclesiâ admisso, responsum est accuratè Epistolæ prioris examine.

Mirum quantum exagitet Art. 14. prodigiosam, vt loquitur, Caramuelis temeritatem, & inscitiam, in Catholica propositione damnandâ D. Fagnani, si Adam non

Ee

peccasset, an Christus incarnandus fuisset. Quod Caramuel obiicit D. Fagnano ex Theologiæ imperitiâ, quasi exorbitantem & implicantem quæstionem, quod ignorarit distinctionem inter Verbum æternum, & Christum: nos contenti examine primæ Epistolæ ad finem, D. Fagnanum in tuto ponere D. Athanasij exemplo, qui Christum dixit incarnatum. Plura addit Vvendrochius ex Scripturâ, SS. Patribus, & Conciliis, quibus hanc loquendi formulam Christum fuisse incarnatum, ita apertè & eruditè probat, vt meritò Articulum concluserit, *singulari Dei iudicio factum, vt in hunc tam crassum errorem, non modò Episcopo, sed quouis indignum Theologo, incideret Caramuel, cum maximè Dialecticâ suâ confisus, Fagnano gloriabundus insultaret, & Theologiæ inscitiam exprobraret.*

Tandem Art. 15. tres graues lapsus notat in Caramuele à nobis obseruatos: Primum de puero post Baptismum erepto à barbaris, & omni scelerum generi innutrito, quem non dubitat, etiamsi atheus vixerit beneficio probabilitatum, salum fore fide Baptismo receptâ, & per totam vitam incorruptâ, de quo portentoso paradoxo vide primæ partis disp. 2. sect 3.

Secundus lapsus Caramuelis à Vvendrochio castigatus, pertinet ad contentionem D. Pauli cum S. Petro, de quâ nos fusius Disputationis 2. Sect. 5. Postremum denique de Petro Clementem sibi in successorem deligente, prætereà quæ diximus disp. 2. sect. 6. eruditè obseruat Vvendrochius, hanc designationem à Caramuele depromptam ex libris Apocriphis, à fictitiâ Epistolâ Clementis, & Pseudo-Damaso, quibus quasi probatis Authoribus vtitur, idque magnæ imputat imperitiæ, eo præcipuè loco, quo in Baronium virgam censoriam Caramuel assumpsit. Hæc pauca de multis, inquit, Caramuelis ineptiis, & dogmatibus, ad specimen decerpsit, quæ volui annotare, vt Lector agnoscat nos pluribus Vvendrochio consentire. Sed non est futura perpetua concordia: Mercorum acrius insectanti respondendum mihi est, ex duplici iure communis instituti, & singularis amicitiæ, quibus adde aliud multo antiquius, ex studio veritatis, quam in Mercoro ait se desiderare Sectionis primæ Art. 3.

SECTIO SECVNDA.

Vindicatio Mercori de attritione, lege, & ignorantiâ iuris naturalis.

Sinnichio & Fagnano leuius censoriâ virgâ percussis, quem illis tertium addiderat Vvendrochius communi & perhonorifico nomine donatum Mercorum paulò acriùs excipit; & quasi medio loco, inter Caramuelem, & duos superiores constituit, minus illis honorificè, minus etiam illo acerbè habitum. Qui nuper prodiit ex eâdem officinâ, vt creditur, & persuadet styli elegantia atque eruditio, liber de perpetuâ Traditione, & fide Eucharistiæ magno applausu exceptus, heterodoxum cui respondet, eâdem humanitate excipit, quâ nostrum Mercorum. & quæ ibi Gallico idiomate, hic Latino perinde eleganti vrbanissimè, scribit *se in aduersario obseruare, multas ingenii & naturæ dotes*, omnia denique illi abundè donat, præter *vnam veritatem, quæ non tam illorum vitio desit, quàm ipsius rei.* Opportunè & fæliciùs quàm credebam, veritatem Mercoro assertúrus, & perinde in Vvendrochio, vt ipse in Mercoro desideratúrus, de veritate dissertationem præmisi, magno nobis adiumento futuram.

Articvlvs Primvs.

Summa obiectionum, & leuiorum depulsio.

Plura, quàm hâc Appendice instauret, argumenta Vvendrochius, obiecerat suâ Epistolâ censoriâ Doctor Parisiensis, quem alium à se videtur innuere Vvendrochius: Ego vnum & eundem puto, nisi quod fortè plures in commune, huiusmodi lucubrationibus, quæ singulis diebus elegantissimæ prodeunt, tacito Authorum nomine incumbant: atque ita partitus inter multos labor locum dat innoxiè familiaribus æquiuocationibus istis, quas tamen innato odio, & summo simplicitatis Christianæ amore

infectantur. Sed vix ipsi suas censuras effugeret,& aliquam falsi notam & suspicionem, nisi possent communia opera, saluo candore, sine veritatis noxâ, cum aliquâ etiam modestiæ laude negare sua esse, id est, ab se vno qui tum loquitur, fuisse lucubrata. In Lælio mirata est antiquitas hoc amicitiæ, & modestiæ exemplum, vt quas domi, & in bello gesserat summâ prudentiâ & fortitudine, res præclarissimas, in amicum Scipionem referri vellet, nullâ aut modicâ in ipsum consiliorum authorem,& laboris socium deriuatâ gloriâ; & quas vterque domi scripserant, comœdiæ Terentii Vernæ primum, deinde Liberti nomine ederentur. Non dissimilem nostro sæculo cum suis familiaribus iniuit Vvendrochius, consiliorum & operum in scribendo societatem. Forte cum Terentiani styli puritatem æmulentur, & scateant salibus, puduisset se modestiâ vinci ab Ethnicis, in quibus nullam agnoscunt veram virtutem, ab omni vitio intactam. Sed tum maximæ eruditionis, & eloquentiæ, consequuntur gloriam, dum videntur fugere: nam sicut *in choro singulorum*, inquit Seneca, *latent, & omnium apparent voces*; ita in hoc concentu litterario, communis industriæ & laboris laus in singulos redundat: nobis verò huiusmodi adiutorio destitutis conuenit, quod de redactis ad inopiam scribit idem Seneca, *omnes miserentur, nemo succurrit.*

Sed ad rem accedamus. Quisquis ille fuerit Parisiensis Doctor, stylo simillimus Vvendrochio, multa quæ in Mercoro reprehenderat, hâc secundâ exercitatione omisit. Acerrimè disputatum fuerat de mente D. Thomæ Quodlibeto 8. Art. 13. an eò loci, his verbis *quæ sunt contra legem Dei, non excusantur à peccato, quamuis non fiant contra conscientiam*, excluderet D. Thomas omnem iuris naturalis ignorantiam, quæ à peccato excuset. Ita esse contendebat Doctor ille argumentis primâ parte sect. 5. relatis & solutis ex Mercoro, ad quæ ne verbum quidem Vvendrochius. Putarem id factum breuitatis studio, & quod, vt præfatur Artic. 7. non *liberet cæteras Mercorianæ responsionis minutias persequi, ne scrupulosior illa diligentia, molestior esset Lectoribus, quàm gratior; præsertim*, inquit, *cùm ille libellus vix Alpes transierit, & propter ipsius materiæ salebras, nec cis Alpes credat valde teri.* Aut forte quas insertas Epistolæ censoriæ, vocabat demonstra-

tiuas argumentationes Art. 3. Lectoribus fore coniecturas verebatur.

Et istud postremum mihi suadet Disputationis series. Sensit Vvendrochius duo demonstrata à Mercoro, primum eo Art. 13. D. Thomam agere generatim de ignorantiâ legis, positiuâ non exclusâ, quam nostrâ interfit scire, de cuius sensu vix desint dubitationes iniectæ animo, vel ex dissidio Doctorum, cum est positiua, vel si sit naturalis, ex solâ synderesi & conscientiâ, quæ non patitur nos dubitare, minime aliis facienda, quæ nobis fieri nolimus: atque inde consequi regulam de vtrâque lege communem: & cum ipse Vvendrochius legis positiuæ ignorantiam admittat, quæ aliquando excuset, sensit vir acurissimus hâc legitimâ interpretatione Mercori, confractas esse suarum demonstrationum machinas, & pro ingenito candore noluit contra Mercori solutiones vitilitigare. Atque hunc meum sensum confirmat aliud apertius argumentum: Responderat Mercorus, se admisisse ignorantiam iuris naturalis de fornicatione malâ, ex hypothesi à D. Thoma constituta 1. 2. quæst. 19. art. 5. & ex illâ disputasse: Id potuit loci citati lectione explorare Vvendrochius: & cum suis oculis non credere minime valeret, necquam præ se fert, probitas & ingenuitas pateretur, de re adeò aperta disceptare, tacere omnino statuit, atque hoc silentio agnouit D. Thomam in eâdem naui cum Mercoro versari, ac proinde suas de illius mente demonstrationes omnino concidisse: aut quo *ex Mercoriano libro grauius se offensum. grauiusque Lectores offendi posse ait*, subinde à S. Doctore mauult profectum scandalum; & ideo ad illius authoritatem quâ se tutum putabat Mercorus, nihil dignatus est respondere; eóque silentio quâlibet tubâ altius & vocalius inclamauit in D. Thomam cadere, hæc quæ in Mercorum scripsit. *Ego verò*, inquit, *nescio vtrum magis mirer hanc tam indignam Christiano sententiam; quocumque tandem modo probabilem religiosa viro videri potuisse*.

Nullum puto fore Lectorem adeò obtusæ naris, quin sentiat tam atroci censurâ in Mercorum. ex hypothesi D. Thomæ disputantem ipsummet S. Doctorem notari, cum nullo verbo Magistrum à discipulo seiungat. Neque silentium de D. Thomæ loco laudato, excusari potest

eadem, quam prætexit de Mercori libello ob ter tantum perstricto causâ, *quod ob incultum & horridum scribendi genus & materiæ salebras, nec vltra . nec cis montes credat valde teri* (quamuis eius notarum editiones quatuor æquet.) Licet enim D. Thomæ libri præ Vvendrochii scriptorum elegantiâ sordescant, possunt tamen paria cum illis facere, seu crebris editionibus, seu nocturnâ & diurnâ lectione, quâ cis & trans montes, & vbique gentium teruntur, & reuoluuntur. Sed obmissis verborum aculeis, quorum vix iustior isto locus occurrat, ex dictis aut potius ex Vvendrochii silentio duplici, de interpretatione Articuli 13. & hypothesi à D.Thoma depromptâ, semouendam iudico à nostrâ disputatione eius Epistolæ partem præcipuam, quâ adeò accuratè & apodicticè Mercori, eius articuli interpretationem à D. Thomæ legitimo sensu, recessisse contendebat: dum enim tacet ad responsiones Mercori à nobis relatas, agnoscit se S. Doctoris mentem assecutum non fuisse: aut quid senserit nihil morari; cum eâdem quâ Mercorum censurâ inuoluat: à quâ vtrumque pro virili conabor vindicare, vbi leuiores obiectiones omnino duas, de Attritione, & de lege non vndequaque bona libertati naturali, depulero. paragr. 1. de lege.

Atque vt ab hac postremâ incipiam, Vvendrochius secundo suæ censuræ nodo, testatus fuerat se ægre ferre, à Mercoro scriptum 3. partis art. 1. legem libertati humanæ quodammodo aduersari, nec vndequaque secundum se bonam, nisi supposita pronitate hominis ad malum, quâ legibus hominem, sicuti furiosum funibus ligari conueniat. Ac proinde legis vtilitatem non esse pensandam, penès bonum libertatis; sed in ordine ad bonum vniuersale: neque satisfacit solutio Mercori se id scripsisse de lege humana positiua, quæ sit immediata regula actionum humanarum, non de lege æterna. Sed instat Vvendrochius se Mercoro mentem suam interpretanti credere, nec tamen sibi hac responsione satisfieri, quod lex illa immediatè directiua actionum humanarum, non aliter à diuina diuersa sit, quam quomodo res obiectiua cognita à formali cognitione; imo nihil aliud sit, quam cognitio legis æternæ in mente coruscantis.

Vt ab hoc nodo exoluerem Mercorum, responderam primæ partis disp. 2. sect. 1. dictum illud à Paulo deprom-

ptum, ac proinde verum esse; aut falsum quod Apostolus multis Epistolis vrget de lege Mosaica, qui perinde ac Mercorus instantiâ nouâ impetatur: Nihil vero profundius, aut eruditius est illâ obseruatione Nam cum debili aut ægræ libertati hominis imponitur legis maxime positiuæ onus, quod non sit ferendo; certum est illius legis vtilitatem non esse metiendam ex solo bono libertatis, cui videtur noxia, cum sit occasio multiplicis lapsus: sed inde multiplex bonum exurgit, illud potissimum quod Paulus notat ex frequenti casu in peccatum, hominem experiri suam infirmitatem, sibi diffidere, se deiicere, curari superbiam, & ægrum hominem cogi, vt ad medicum & fidem redemptoris confugiat. Adde nec Mercorum, nec Apostolum, agere de lege iuuante, sed de iubente tantum. Quo vno verbo excluditur noua obiectio de lege æternâ, quæ vt docet D. Thomas 1.2. quæst. 93. art. 6. hoc præstat humanis & positiuis, quod istæ iubendi vim tantum habeant: & ideò ad hominem rationis compotem dirigun-tur, cui præluceant significatione & cognitione boni agendi, aut vitandi mali; quam vnam gratiam moralem Pelagius agnoscebat, eamque ad legem reuocabat; neque aliud præter legis auxilium à Pelagio admitti, multis contendit Augustinus, quamuis liberalissimus esset cogitationum bonarum: quod alienum est non solum à gratiâ, sed etiam à lege æternâ; quia vt obseruat S. Doctor eiusdem quæstionis art. 6. lex æterna duplex munus obit, causæ Physicæ, & Moralis: primum genus efficientiæ exerit in res omnes creatas, etiam vitæ & rationis expertes, quo imperij genere Christus ventis & mari dominatus est Matth. 8. Ex quo loco Hieronymus Commentario in illum ait: *Nos intelligere, quod omnes creaturæ sentiant Creatorem, non errore Hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*

Sed præter hoc causæ efficientis munus in omnes creaturas exercitum, aliud obit lex æterna, in rationales, præcipiendo quæ implenda sint, aut fugienda. Vtrumque modum addit S. Doctor eodem Articulo in malis imperfectum esse & quodammodo corruptum; quia inclinatio naturalis ad virtutem, vi legis æternæ omnibus hominibus insesta, prauis affectibus imminuta, & lumen rationis

obscuratum est: in bonis autem, inquit, vterque modus perfectior est, quia cognitioni naturali ad bonum,additur fidei & sapientiæ lumen, & inclinatio ad virtutem gratiæ donis roboratur. Atque ita boni quoad vtrumque munus, subduntur legi æternæ, ab illâ hauriunt cognitionis lumen, quo vitam instituunt, & res peragunt suas: ex eodem fonte excipiunt virtutum omnium semina, & dona gratiæ. Sed addit quidquid horum malis desit, non propterea subduci à lege æternâ: nam quidquid agendo ab illâ deficit, patiendo suppletur; & pœnas dant præuaricationis à lege æterna. Hinc Augustinus libro 1. de Libero Arbitrio,ait: *Iustos sub æternâ lege agere existimo*: Et libro de Catechisandis rudibus,dicit: *Deus ex iustâ miseriâ animarum se deserentium, conuenientissimis legibus inferiores partes creaturæ nouit ordinare.* Hoc ipsum fusiùs & elegantissimè prosequitur Bernardus Epistolâ 11. ad Carthusianos: *Hoc quippe ad æternam iustamque legem Dei pertinuit, vt qui à Deo noluit suauiter regi, pœnaliter à seipso regeretur: quique sponte jugum suaue, & onus leue Charitatis abiecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur inuitus. Miro itaque modo æterna lex fugitiuum suum, & posuit sibi contrarium, & retinuit subiectum, dum videlicet, nec iustitia pro meritis legem euasit, nec tamen cum Deo in suâ requie, in suâ gloriâ remansit.* Itaque malus qui noluit in agentium ordine stare, ad ordinem patientium delabitur, nec legis æternæ fines exit; quia cum vniuersalissima sit, & efficacissima, vtrumque ordinem statuit & complectitur.

Si Vvendrochius velit obtinere, quam vrget, comparationem legis æternæ cum quacumque creatâ & positiuâ, necesse est vtramque velit, æque patere & valere, iubere simul & iuuare, seu lucem dare, & vires efficacissimas. Si vero ista munera sejungat (quod omnino necessarium est) boni consulat à Mercoro dictum, sine noxâ legis æternæ, interdum *legem libertati ægra vndequaque bonam non esse*, quòd præceptorum onus imponat,nec illi ferendo vires suppeditet; vtrumque præstat lex æterna,primo tantum munere defungitur lex positiua; atque hinc responsum est toti Articulo 3. vt nihil opus sit minutatim singula expendere.

Paragraphus Primus.

Responsio ad alteram obiectionem de Attritione.

WEndrochius tertij nodi obiectione 14. & totius Epistolæ postremâ, dixerat: *Vidisse quibusdam vehementer displicuisse, quod quodam loco nuperam de Attritione doctrinam, quam suo tempore ipse Suares, nec multum communem, nec valdè antiquam fassus est, sic inualuisse prædicet, ut iam aliam improbabilem habeat, quod inde commissum* ait *quod probabilitatem opinionum, nimis ex authoritate recentium Casuistarum existimet Mercorus.* Ad quæ respondet ipse: *Attritionis obiter meminisse, & permisisse ex lege disputantium, idoneam esse ad peccatorum veniam, adiunctâ absolutione Sacerdotis:* ita vt responsionis à se datæ sensus sit, vel per te, Casuistæ! opinio de Attritione sufficienti, ad remissionem peccatorum, communis est, & jam inualuit post Tridentinum Concilium; & si ita sit, sumus extra Thesim: vel adhuc lis est sub iudice; & tum nego cum solâ Attritione posse quemquam accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc Vvendrochius ait; *Mercorum non obscurè indicare recentiorum se hâc in parte placitis non adhærere. Sed mirum sibi videri,* ait, *cur de doctrinâ constantissimâ, certissimâque, eademque à Iesuitis multum vexatâ, tam ambiguè loqui ipsi libuerit, & iure interrogari potuerit: noster es, an aduersariorum? Cum eo aper.ius contra deceret huic doctrina testimonium prebere, quod aduersariorum factione magis in dies obscuretur.*

Sed malè omnino suspicatur Vuendrochius, Mercorum de Attritione, non ausum præ ignauia proferre quid sentiret. Eius nomine respondeo: nec ab illius mente credo me recessurum. Si Attritionem quamque etiam naturalem, ex solo metu mali temporalis, neget satis idoneam esse ad veniam peccatorum, etiam adiunctam absolutioni Sacerdotis; Illi omninò assentior: & probo quæcumque priorum editionum Notâ 2. ad Epistolam 9. & posteriore editione Notâ 3. ad Epistolam 10. congerit in hunc errorem, qui verè hæresim sapit. Si vero ad absolutionem validam, necessariam putet Contritionem, ex amore Dei super omnia dilecti, nec conferri posse Sacramentum,

veniamque peccatorum, contendat Attritione seu dolore peccatorum, ex virtute Spei Theologicæ, aut infusâ Iustitiâ & Religione, vel quâcumque aliâ virtute Christianâ, à Charitate distinctâ, apertè dissentio; eamque sententiam non credo negaturum Mercorum, certam esse & tutam, vt breui hic & validè, aduersus Vuendrochii suspiciones, aut censuras, probandum suscipio.

Disputationis de Religione exordio videbar alteram inieciſſe non necessariam, de duplici genere virtutum moralium & supernaturalium, & vtriusque illarum generis triplici ordine. Sed eò præuideram nos deducendos, vt nisi præmissa fuisset, de virtutum distinctione disputatio, hic non liceret omnino prætermittere: Nihil enim possumus promouere, nec nosse, de Attritione, de lege æternâ, de iure naturali, & de peccatis ex illius ignorantia dissertaturi, nisi præiret de virtutum notione, & distinctione aperta explanatio: his vero constitutis, maxima lux accedet nostris ad Vvendrochij nouas obiectiones responsionibus.

Id verò non esse Commentum aliquod Scholasticorum, dari virtutes infusas, supra morales studio nostro parabiles, quæ sint veluti gratiæ supellex, ab illa seu à Charitate distinctæ, præter apertum Apostoli testimonium Fidem, & Spem, à Charitate seiungentis, & Triadem cum illa virtutum constituentis, Traditionem esse Ecclesiæ ab ipsis Pelagianis exceptam, luculenter probat Iansenius primi Tomi lib. 5. per multa capita, ab effectis huiusmodi donorum supernaturalium positiuis, negatiuis, absolutis, aut relatiuis.

Distinctioni virtutum tum à Charitate (quæ Iansenio est gratia sanctificans) tum ab inferioris naturæ ordinis habitibus bonis, duo alia fundamenta adiungo perinde certa: primum quamque virtutem cuiuscumque sit generis, aliud nihil esse, quam boni quod inspicit, vnde speciem haurit, affectum efficacem: vnde non solum desiderium ipsius boni absentis, vel de præsente gaudium, sed etiam mali cum hoc bono pugnantis, affectus odij vniuersim & dolor existat, cum nos illo vitiari contingit: inde consequitur Attritio ad quæstionem præmittenda. Commune enim omnibus virtutibus est odium peccati sibi aduersi, vnde dolor & retractatio nascitur, cum ad-

missum fuerit, sed origine, nobilitate, & motiuo differt à Contritione, eadem plane ratione, quâ cęteras virtutes à Charitate distinximus. Nam Contritio est operæpretium Charitatis, seu odium & dolor peccati, ex Deo super omnia ratione sui dilecto, cui id mali genus aduersatur. Attritio est dolor peccati à quacumque virtute, quatenus bonum à se inspectum lædit. Vnde constat Attritionem vniuersim in omne genus virtutum referri posse, quatenus dolet de bono læso, sicut de eodem adepto gaudere solet.

His præmissis concedo primum Vvendrochio, quamcumque Attritionem seu restaurationem violatæ legis diuinæ nostris peccatis, à virtutibus naturâ & studio nostro comparatis elicitam, imparem esse, etiam adiuncto Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, de quibus ex huiusmodi principiis atterimur & dolemus: quia Sacramenta à Christo instituta nihil iuuant, nec quicquam conferunt, nisi accedamus cum apparatu virtutum hominis Christiani, quæ fide regantur, non solo lumine naturali.

Concedo præterea hominem plurium culparum diuersi generis, luxuriæ, simoniæ, detractionis reum, frustra ad Sacramenta Pœnitentiæ accedere, attritum vi vnius virtutis v. g. Castitatis, quæ doleat *membrum Christi*, peccato luxuriæ *factum membrum meretricis*: quia dolor ex illâ turpitudine conceptus, soli Christianæ castitati aduersatur, nec ad odium peccati simoniæ, aut detractionis pertinet; quorum tamen ad veniam attritio necessaria est, ex duplici regulâ certissimâ, nimirum iniuriam fieri Deo expectatione veniæ dimidiatæ, & omnium lethalium, aut nullius conferri remissionem: His adde nullum condonari pecca[illegible], cuius non precesserit detestatio verè Christiana: nec [illegible] enim vlla condonat Deus, nisi nobis displiceant, non quomodocumque, sed ex motiuo supernaturali: nec cum Deo gratiam possumus inire, nisi omnibus peccatis lethalibus deletis, quorum si vel minimum supersit, impedimento est amicitiæ seu reconciliationi cum Deo: Ergo retractatione & displicentia opus est quæ ad omne genus peccatorum pertineat. Et cum attritio ex castitate vnum tantum luxuriæ peccatum detestetur, nec sese ad alia quæ turpitudine huic vitio singulari carent, extendat, non est idonea

& ſufficiens ad remiſſionem peccatorum, etiam adiunctò Sacramento. Ex iiſdem principiis

Deduco & addo tertium aſſertum, quo à Vvendrochio diſſentio; Mercorum tamen aſſenſurum non dubito; hanc retractationem ſeu diſplicentiam intra fines attritionis à contritione diuerſam, elici poſſe dono Timoris, virtute ſpei Theologicæ, & Iuſtitiæ ac Pœnitentiæ, quæ adiunctâ abſolutione, ſatis idonea ſit, ad peccatorum remiſſionem, & reconciliationem cum Deo. Primam aſſerti partem, ex principiis de diſtinctione virtutum demonſtro. Spes ex Apoſtolo diſtincta eſt à Charitate virtus, multoque id euidentius eſt de Pœnitentiâ, quam ſecundâ virtutum claſſe repoſuimus, Spe multò à Charitate remotiorem. Harum verò virtutum, quælibet deteſtatur peccatum, vt à ſuo bono diſſentiens: Pœnitentia quidem (quæ genus eſt Iuſtitiæ, aut verius ex meâ opinione eſt illius ſupplementum) peccatum odit, vt violat iura Dei, aut ſi lædantur, quâ poteſt ſaltem dolendo reſarcit. Spes verò id mali culpæ odit, & ad ſummum bonum, cuius fruendi deſiderio tenemur, ius nobis aufert, & æternæ miſeriæ addicit. Illa attritionum genera iuſta eſſe, nemo niſi hæreticus negare poteſt, cum à nobiliſſimis virtutibus infuſis prodeant. Nec minus apertum eſt, ad contritionis à Charitate elicitæ præſtantiam, & efficaciam non accedere, ac ſubinde ab illâ diſtingui, quod noſtræ aſſertionis primâ parte probandum ſuſceperam, & iam confectum puto.

Dices fortè, Charitatem comparari ad alias virtutes infuſas, ſicut prudentiam ad morales, quarum ſit forma eſſentialis, & eâ ſubmotâ, nullæ ſint virtutes & vitiis accedant: ita ſi abſit Charitas, quæ Spei, aliarumque virtutum a[illegible] referat in Deum, degenerant in vitia, ſicut de Eth[illegible]orum virtutibus ſupra diximus ex Auguſtino, vitia eſſe, quod in illis relatio ad Deum & vltimum finem deſideretur.

Iis puto principiis Vvendrochium niti: ſed re verâ nihil habent ſolidi, & veri, & ſi locus pateretur, poſſem multis refellere. Id ſolum attingo: eâ reſponſione, œconomiam virtutum ab Apoſtolo conſtitutam euerti, & ſuis locis omnes moueri. Falſum enim eſt, perinde à Charitate virtutes omnes infuſas, vt à prudentiâ morales pendere: quia hæc eſt forma eſſentialis moralium, Charitas infuſis

perfectionem addit accidentariam. Quid enim mali habet, si vnaquaque virtutum attendat bonum nobis conueniens, quâ homines sumus, aut quâ Christiani? Quæ conuenientiæ honestas dicitur, & vt supra probauimus est ratio præcepti, à Deo nobis impositi: vt non causetur Iansenius, illud honesti genus esse quoddam honoris dolum, nec posse citra vitium quæri, nisi actu in Deum relatum. Non negabo in Deum referri, sed addam non esse vnum in Deum relationis gradum: neque enim vt rationem virtutis habeat Temperantia, Iustitia, &c. euehenda est ad gradum Charitatis: suo quæque gradu stat, à Deo etiam constituto; & dum Castitas, & Temperantia amat modum temperandi voluptatem, vt conuenientem homini, quâ præstat cæteris animantibus, vel Christiano, quâ Filius Dei est, & vt bonum honestum Dei præcepto firmatum; licet non feratur in Deum super omnia dilectum, non est censenda virtus inflata, neque vltimum finem in eâ honestate ponere. Satis est ad rationem virtutis, si ad illud boni genus feratur per se se vt finem proximum, & finat se ad Deum vt finem vltimum rapi: atque ita castitas, aliæque virtutes morales & infusæ, habent rationem vltimi finis *negatiuè*, *non positiuè*: quia licet non ferantur vltra illud genus boni conuenientis, paratæ sunt & idoneæ, vt in Deum super omnia dilectum promoueantur: & comparatione ad bonum proprium, sortiuntur rationem virtutis, primi & secundi ordinis; relatione ad Deum, accedit à Charitate, perfectio alterius ordinis, & vis merendi vitam æternam.

Castitatis exemplo reliquarum virtutum causam egimus, maximè Spei, quæ licet à Charitate diuersa, illi tamen propior est, & eiusdem ordinis. Attritionem ergo ab illâ elicitam de peccato, vt summum quod quærit bonum nobis aufert, vel à Pœnitentiâ & Iustitiâ profectam, vt iura Dei lædit, credimus supernaturalem esse, & ad omne genus peccatorum extensam; quia nullum lethale est, quod vtriusque bonum non tollat.

Eam verò attritionem diximus secundâ parte assertionis, semotâ quidem absolutione Sacerdotis, inefficacem esse ad remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo: sed ad id fieri idoneam vi Sacramenti, & potestate Sacerdotis, quâ donatus est à Christo, remittendi peccata;

quia aliàs Pœnitentiæ Sacramentum, quo lex gratiæ præstat antiquæ, non esset beneficium, nec medium efficax, quo impedimenta ad salutem semouerentur, sed onus lege antiquâ grauius, quod Iudæi portare non potuerunt. Nam contritione solâ, quâ distinguitur à quâcumque attritione explicatâ, antiqui veniam peccatorum emercabantur, nullo Confessionis pudore redemptam: cui si ex Euangelii lege ad id bonum consequendum, adiungi Confessionis onus oporteret, non video cur leuior lex noua præ antiquâ censeretur. Atque vt illi sua vis constet, neque frustra dicamus Sacerdotibus collatam potestat[illegible] remittendi peccata, commune illud assertum Theologorum *Sacramentum Pœnitentiæ*, & quodlibet aliud mortuorum, *Ex attrito facere contritum*, nostro sensu interpretandum est, pœnitentem, qui sua peccata Confessione subiecerit Clauibus Ecclesiæ, attritum virtute Spei, & Pœnitentiæ, veniam à Deo obtinere, & reconciliationis gratiam.

Atque ex his omnibus duo aut tria corollaria elicimus, ad obscurissimæ controuersiæ lucem: Primum quidem nullum esse Sacramentum Pœnitentiæ ex solâ attritione naturali collatum: Secundum corollarium est, validum fore & efficax, si adsit attritio supernaturalis, quæ ad omne genus peccatorum, eorum etiam quorum obliti sumus se se extendat; qualis est ex Spe profecta. His tertium addimus consectarium: posse dari Sacramentum validum quidem, sed informe, quale contingit cum quis reatu peccati carnis, & linguæ, seu detractionis ligatus, postremi omninò oblitus, primi ex motiuo castitatis Christianæ, quod Baptismo insertus Christo capiti, ab illo fornicatione auulsus, meretrici sese adiunxerit, illum ex animo pœniteat: certum est enim, eam peccati detestationem legitimam esse, Christiano homine dignam, & si illo vno reatu teneretur validum fore Sacramentum; & proficuum; sed cum illa turpitudo singularis sit peccato carnis; nec detractioni subsit; nec illius odium & displicentia ex sua singulari turpitudine, detractionis in animo latens peccatum retractet, hinc Confessio[illegible]er se valida sit informis, & caret speratâ veniâ, quia nec dimidiata datur, nec illius peccati, cuius non præcesserit detestatio verè Christiana. Atque hæc obiter dicta sufficiant, ad nostram & Mercori mentem, aduersus Vvendrochii suspiciones, magis quam

argumentationes, explicandam. Nec hoc siluit Mercorus ex ignauiâ, aut tacito consensu cum Vvendrochio, aliud fortè opinante, sed ne aliena à proposito quæstione iniectâ, longiorem faceret responsionem, quam Vvendrochius conqueritur in librum excreuisse.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De ignorantiâ inuincibili Iuris naturalis.

LEuiores sunt quas hactenùs solui obiectiones duæ præ aliis quas fusius 4. Articulo, & tribus sequentibus prosequitur Vvendrochius. Sed cum totæ sint in vrgendâ ignorantiâ iuris naturalis, & legis æternæ, ex quibus inexplicatis, tantùm vim habeant; antequam me illis soluendis accingam, præmittenda est rei de quâ agimus vera notio. Atque hoc in dissertatione Vvendrochii antiquâ & recenti, de hoc argumento desiderare posset aliquis morosus, quod de iure naturali nullo loco explanatâ illius ratione egerit. Nec dicas ad quæstionem nihil pertinere, exactiorem illius tractationem, cum satis sit recepta apud omnes illius definitio: *Ius naturale esse quamdam legem homini congenitam, ex lege æternâ deriuatam, à quâ si vlla recesserit actio hominis, qui sui compos sit, nullâ illius legis ignorantiâ excusari potest à peccato.* In hoc vno posita controuersia, relictâ discussione longiori iuris naturalis, satis aperta est ad examen, & ad vim argumentorum, quæ hinc & inde reponuntur.

Sed ego contra sentio, necessariam omnino esse huiusmodi legis exactiorem explanationem; ad Vvendrochii causam plurimum referre obscuriùs, ad nostram verò distinctissimè cognosci. Ex eâ enim confusâ notione legis æternæ, duplex sibi commodum captat, duplex nobis creat damnum: auertit à se inuidiam multarum absurditatum, vt eas in nos deriuet: hinc illæ voces ex eo in Mercorum apertè, obliquè in D. Thomam scriptæ. Hæc omnia sibi licere putat, quod legis æternæ defensionem videatur suscepisse, cuius maiestate tutus, solo nomine sit nos obruturus; nec vult animaduertere, aut dissimulat, legis æternæ partes, ad quas se extendat, plures esse, nec omnes pares, vi ligandi, aut perinde certas. Et quamuis

maxima sit huius legis authoritas, ligare tamen non posse nisi eos, ad quos aliquâ promulgatione peruenerit: vt mirum non debeat illi videri, neque adeò *indigna Christiano sententia* disputans, an alicuius minimæ & obscurissimæ nullâ promulgatione notæ partis, ex iure naturali ignorantia excusare possit à peccato.

Paragraphvs Primvs.

Ad quæstionem præmittuntur quatuor de lege naturali & æternâ.

Sed quas ille quærit ad inuidiam nostram, depellendæ sunt tenebræ, & quatuor de lege æterna paucis prælibanda, quæ de qualibet lege inquiri solent. Primum quid sit nominis, aut rei: Deinde quas partes habeat, vel subiectiuas quibus constet, vel obiectiuas quò pertingat: Tertiò, quæ sit cuiuslibet illarum partium amplitudo: Postremo, quâ ratione subditis promulganda sit, vt liget. Hæc verò libentius hîc attingo, non solum quod necessaria sint ad nostram controuersiam; sed quod horum omnium semina iacta sint variis locis, & nullo penè labore, magno fructu colligi possint.

De legis cuiuslibet maximè naturalis, & æternæ ratione egimus huius partis disputatione 1. cum de virtute morali: & eò loci dictum est, ius naturale non esse positum in conuenientiâ rei honestæ, cum naturâ rationali, nec in rei turpis ab illâ dissentione, vt statuit Vasquez: neque vt alii volunt, in propositionibus æternæ veritatis, quibus hæc conuenientia aut dissensio cognoscitur à Deo, & posset percipi à qualibet mente creatâ, si ab æterno existeret: sed constituendum est in Dei imperio iubentis bonum, aut vetantis malum, cuique creaturæ, maximè rationali, proprium virtutis, aut culpæ. Atque ita præter Theologos & SS. Patres ex Philosophis explicat Cicero libro primo de legibus, dum ait; *Sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis fuisse excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum; sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia: ita principem legem illam, & vltimam*

vltimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis

Ratione legis constitutâ, facilis est inquisitio partium In quas diuidatur, non subiectiuas, quia cum vna sit & indiuisibilis, nullas illius generis continet; sed obiectiuas, quas imperio attingat: eas verò explicuimus initio 2. disputationis de Religione. Nam cum maximè spectet naturam intelligentiâ donatam duplici statu, aut instructam natiuis facultatibus, vnde virtutes morales profluūt, & ideò Seneca eas definit *rationem absolutam*; aut naturam attendat euectam ad ordinem gratiæ, vnde consequitur virtutum infusarum apparatus; hinc manifestum est, duas legis æternæ & iuris diuini partes esse, quarum vna hominem rationis lumine, altera ex fide, quâ Christianum, conuenientia sibi quoad vtrumque statum & ordinem prosequi iubet, aut dissentanea vitare.

Hoc secundo capite breui expedito, quemlibet naturæ aut gratiæ ordinem, in tres gradus distinximus Tractatione de pręcepto charitatis, Art. vltimo Parag. 2. Primus Synderéseos principia per se nota complectitur, secundo conclusiones inde apertius deductæ, qualia sunt Decalogi præcepta continentur, tertio reponuntur præcepta difficilioris inquisitionis, quæ non ita necessariò & apertè, ex primis principiis deducuntur, qualia diximus esse præcepta, quibus prohibetur vsura, & fornicatio, de quo adeò grauem litem mouit Vvendrochius, mitius fortè nobiscum, aut verius cum D. Thoma acturus, si attendisset hypothesim ex D. Thoma, deprompta esse, ex infimo & obscurissimo ordine partium legis æternæ objectiuarum.

Hoc tertium caput multa nobis suppeditat, sed longè plura ex quarto depromemus, quibus noui in Mercorum nodi dissoluentur. Tribus itaque capitibus delibatis accuratius expendendum est quartum hactenus intactum, de promulgatione, & quibus mediis, ad legis æternæ notitiam assurgamus, seu officia homini vt ratione ducitur, seu prouecto ad ordinem gratiæ, imponat. D. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. 2. ex Aug. lib. de Lib. arbitr. cap. 6. ait æternæ *legis notionem nobis impressam esse*, eamque bifariàm posse innotescere, vti solem, quem licet in se ipso intueri, vel in aliqua *sui irradiatione*: nam quamlibet

resplendeat, aquilæ oculis in seipso aspectabilis est: quâ ratione votum erat Anaxagoræ solem propius intueri, quamuis eius flammis esset absumendus: vel si id non patitur oculorum debilitas, videri potest emisso à se radio & lumine. Legem æternam 1. genere cognitionis intuitiuæ solus Deus vi natiua comprehendit: Beatis etiam ad visionem essentiæ prouectis, datum est eam in seipsa videre; reliqui extra statum beatificum positi solâ irradiatione attingunt ex rerum creatarum conspectu, quia vt ex Aug. refert, *omnis cognitio veritatis est quædam participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis*: & subinde tres distinguit gradus huius cognitionis à nobis enumeratos, primum quoad principia per se nota syndereseos; alterum quoad conclusiones apertius inde deductas, postremum quoad conclusiones à principiis remotiores, & consecutionis obscurioris.

Promulgationis ergo legis diuinæ vim habent quæcumque media, quæ ad veritatis saltem practicæ & moralis notitiam nos deducunt, eaque sunt nobis accuratè distinguenda, si prius monuero, quod eruditè obseruat Suarez lib. 2. de legibus cap. 3. ad Interpretationem solutionis Argumenti 2. ex 1. art. quæst. 91. plurimum differre leges humanas ab æternâ: licet enim id commune sit omnibus nullam ligandi vim habere, nisi aliquo medio innotescant subditis, quibus sunt imponendæ; hoc tamen distare humanas à diuinâ, quod cum ista æterna sit, & subinde immutabilis, totam rationem legis habet, antequam aliquo signo hominibus manifestetur; quia ex æternitate immutabili sancita est, & nullâ sui mutatione tempore constituto ligat: quod longe abest à legibus nostris, quòd antequam ad subditos perueniant, cum mutari possint, & interdum debeant sui authoris vitio, aut ex ignorantiâ, aut inconstantiâ, antequam edantur, propositi potius legis ferendæ, quam latæ legis authoritatem & rationem habent. Vnde Diuus Thomas eleganter citato Articulo responsione ad 2. ait, legi diuinæ suam vim ex promulgatione constare, antequam nobis innotescat. Nam si verbo aut scripto, lex sanciri debeat & edi; vtrumque legi æternæ competit ante promulgationem temporariam, quia Verbum diuinum cui lex & sapientia attribui solet, æternum est, & eadem æternitate gaudet scriptio libri vitæ

ſed iis ad quos dirigitur, opus eſt temporaria indictione.

His obſeruatis, dico æternam legem quoad vtramque partem obiectiuam, iuris homini congeniti ſecundum natiuas facultates inſtructo, vel ad gratiam promoto, quatuor mediis & ſignis innoteſcere. Vnde iuxta præmiſſam diſtinctionem iuris naturæ, & gratiæ, octo exiſtunt promulgationes, quas paucis explico, vt inde euincamus, rariſſimam quidem eſſe iuris diuini ignorantiam, quæ prætexi poſſit ad excuſanda peccata, non tamen omnino nullam.

Atque vt hanc excuſationem ab impiis extorqueam, legem æternam Lectorum oculis ſubiicio contemplandam, quaſi Oceanum in multos ſinus, primum in mare Mediterraneum, Caſpium, &c. & ſubinde in plures fluuios diuiſum. Ita lex æterna in ius naturæ & gratiæ conſentaneum, quaſi in duos ſinus vaſtiſſimos, & ſubinde in varias vtriuſque iuris partes diffunditur, & ad nos peruenit. Primum quidem generis vtriuſque iuris lex æterna veluti duplici canale, hinc inſtitutione Eccleſiæ, inde mundi aſpectabilis creatione prodit, & fit manifeſta: deinde fide ius gratiæ conſentaneum, & aliud naturæ nobis ratione indicitur, poſtremo vtrumque voce, & ſcripto, quaſi quibuſdam ſignis ad contumaces conuincendos, omnium oculis & auribus ſubiicitur.

Multa & ferè omnia, quæ ad legis æternæ promulgationem pertinent, paucis complexi ſumus, pluribus explicanda. Certum eſt quidquid hactenus diximus ad legem æternam pertinere, cuius etiam nomen variis gradibus ſortiuntur, iuxta regulas nominum, quæ Analoga Dialectici vocant, eaque duplicis generis proportionis & attributionis diſtinguunt: vnde illud legis æternæ nomen competit mediis omnibus, quibus ad illius notitiam, quoad alterutram partem iuuamur. Hinc totius orbis compago, & adminiſtratio ordinatiſſima, hinc innata nobis ratio & ſapientia ſtudio comparata, hinc propenſio ad bonum, & à malo fuga inſerta hominibus, vel exercitatione virtutum confirmata, iuris naturalis rationem habent, & legis æternæ vocabulo paſſim inſigniuntur, quod illius ſint deriuationes, & quædam apographa aut exſcriptiones, quibus manu ducimur ad legis æternæ ſcientiam, & ſunt adiumenta quibus ad eam implendam munimur.

Idem nominis, & iisdem de causis merentur, & passim obtinent apud Authores, Ecclesia, Angelorum & hominum societate constituta, & fides singulis collata, aut charitas in cordibus nostris diffusa, quod ius homini ad gratiæ ordinem promoto conueniens (quæ est altera legis æternæ pars) nos doceant, nec ignorare patiantur, & illud Dei nomine edicant implendum, & vires ad id prębeant efficacissimas.

Promptum esset, quæ diximus pluribus confirmare: è multis pauca attingam selectiora. Non latuit antiquos Philosophos pars illa legis æternæ, quæ ius hominis constituit, quâ illi ratione viuendum est. Arcanum istud consecuti sunt Stoici, vt erudite & eleganter edisserit Lipsius illi sectæ addictissimus, suæ manuductionis lib. 2. per plura capita: hoc enim erat apud illos receptissimum, à Zenone Stoicorum Principe traditum axioma, virtutem aliud nihil esse, quàm *conuenienter viuere*. Breuiori & obscuriori definitioni Zenonis, ad eius mentem apertius explicandam, additum est à discipulis felicitatem esse *vitam conuenientem naturæ*. Huius verò nominis τὸ *natura* triplex est significatum, vt variis nobiliorum Stoicorum testimoniis confirmat Lipsius. *Naturæ* nomine, quam omnes in vitæ regulam, ad consequendam felicitatem constituunt, quidam singularem & cuique propriam, id est, rationem significant, ex quâ interpretatione dictum est à Seneca, *vis tibi omnia subiicere, subiice te rationi; multos reges, si te ratio rexerit.* Alii naturæ nomine, quàm vt legem sequi nos conueniat, vniuersi ordinem interpretantur, cui parere necesse sit, & inde à Seneca dictum, *quàm suaue est cum vniuerso rapi*, cuius nos oporteat, quasi ciues optimos huius amplissimæ ciuitatis, vel vt partes nobilissimas vastissimi corporis, bono consulere, seu tenorem seruare, citra cuiusquam noxam.

Alii denique magis ad Christianam sapientiam accedunt, & naturæ nomine legem æternam intelligunt: atque ad illum sensum identidem repetit Seneca, *Deum sequere*, & illud, *in regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Variant quidem interpretationes huius nominis naturæ; sed reipsâ conueniunt: nam legis æternæ ordo vniuersi, est veluti quædam exscriptio impressa nostris cordibus, rationis lumine, vt qui hanc sequitur, nihil ab ordine vniuersi, neque

à lege æternâ dissentiat. Pluribus ista probare non patitur nostrum institutum, quo breuitatem pollicemur, & præstanda est, ne morosi conquerantur, quæ hîc scripsimus ad ostentationem dicta magis, quàm necessaria esse ad nostram controuersiam, satis est indigitasse locum ex Lipsio, vnde plura depromi possint.

Ad ius gratiæ accedamus, certum est illud apud Deum extare primùm, quasi legem in mente sui Authoris, inde deriuatam in Ecclesiæ hierarchiam, veluti primum illius apographum, inde defluxisse in iustorũ singulos, beneficio fidei, quæ ius illud nos doceat Christiano consentaneum, quasi Pædagogus, & veluti Dei nuntius, eius nomine indicat implendum charitate, quam Apostolus *legis plenitudinem* vocat, quod eius ope, aliarumque virtutum quæ illi datæ sunt in comitatum, quæ fide didicimus, officiis regenerato homine dignis defungamur.

His omnibus documentis & legis æternæ apographis, addendum est 4. quo cætera explicantur, nempe vtriusque Testamenti libri, solis Hebræis & Christianis scripti; quia vt Psaltes Regius canit: *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua* (scripto & voce) *non manifestauit eis.* Multum præstamus Ethnicis, quibus iusto iudicio Deus plura in nos collata beneficia negauit, ea tantum impertitus, quæ ex Stoïcorum Philosophiâ explicata sunt: nos eorum participes sumus, quâ homines; quâ Christiani sumus quatuor singularia addita sunt, nimirum scripturæ documenta, fides & charitas Baptismo collatæ, & ius ciuitatis ac matris nostræ cœlestis Hierusalem, seu Ecclesiæ.

Hoc vnum superest, vt quæ diximus abstrusissima, exemplo familiari illustrentur. Cum ex S. Doctore quæst. 91 art. 1. lex æterna sit ipse *conceptus æternus, secundùm quod ordinatur, ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum;* non potest aptius exemplum ad rem subiectam suppetere, quàm à legislatore humano depromptum. Legis ab illo sancitæ, vnus est & idem reipsâ conceptus, gradu & statu multiplex, primum penès Principem quasi in sui origine extat; inde in nuntios & ministros deriuatur, vt subditis indicant, & in illorum mentes subit vt impleatur: potest verò voce efferri, aut scripto mandari. Idem est legis æternæ progressus, originem habet à Deo, vt à suo authore, inde prodit & deriuatur in homines, & cordibus inscri-

bitur, rationis, gratiæ, & fidei characteribus, illisque traditur implenda viribus naturæ, & aux his illi consentaneis, aut gratuitis ex charitate: extat etiam Scripturæ libris quasi quibusdam signis.

Duplex est tamen legis diuinæ ab humanâ discrimen, ab Authorum diuersâ potestate repetitum; quod cùm Deo omnia subdantur, nec iubere tantum possit, sed etiam iuuare; hinc fit vt lex æterna toti vniuerso, & Ecclesiæ Dei manu inscribatur, & cordibus hominum; viresque det ex charitate ad legem implendam: vtrumque negatum est homini legislatori, qui iubere tantum potest, non iuuare, nec cordibus subditorum leges suas inscribere.

Ne quis ista putet inutilia ad vsum nostræ disputationis, pauca inde colligam ad rem accommodata.

In primis certum est nulli hominum superesse causam excusandi peccata, & legis ignorantiâ: probatum est enim Deum duas veluti scholas instituisse, naturæ vnam, gratiæ alteram; & priore doceri primum genus iuris, hominis naturæ consentaneum, idque veluti duplici codice, mundi aspectabilis ordinatissima administratione, & synderesεos ac rationis lumine; altera verò, instituimur de iure supernaturali, idque ex triplici veluti libro Hierarchiæ Ecclesiasticæ, fidei menti infusæ, & vtroque testamento. Hinc fit homines, qui nihil ex Euangelio audiuêre, quos Theologi vocant *negatiuè Infideles*, si quid peccent contra primum iuris genus, seu contra cultum Dei, aut bonum societatis humanæ, vix posse obtendere excusationem ab ignorantiâ legis diuinæ, exclusâ duabus (vt ita loquar) promulgationibus, mundi, & insertæ sibi rationis & synderesis. Sed quoad alteram iuris supernaturalis partem, puto ad illorum excusationem pertinere, quæ Christus Ioan. 15. dixit ad Iudæorum damnationem, *si non venissem & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, id est, de repulsâ fidei, non solum in Christum, sed in totum ius supernaturale. Et cum fides sit præcipuum ac penè vnicum medium, quo iura gratiæ innotescant, nec ad plures hominum, ac propè infinitos, Christus aut vllus Apostolorum eius nomine accesserit, aut loquutus fuerit; existimo excusationem peccati infidelitatis habere, & subinde omnium quæ ex ignorantiâ iuris supernaturalis oriri possunt: cum excusationem

habeant; quæ defuisset Iudæis, illis erepta Christi prædicatione & miraculis.

Quare censeo quidem peccatum originale contraxisse, positum in donorum supernaturalium iacturâ, nullum verò actuale incurrisse, nisi quatenus in illis vigebat innatum lumen rationis, quo ex orbis conspectu, ex propensione in bonum, assurgere poterant ad notitiam Dei conditoris, & rectoris vniuersi, ad æquitatem seruandam & vitandam iniuriam aliorum ex principiis synderefeos, quæ hoc vno notissimo continentur, ne aliis facerent quæ ab aliis pati nollent. Et si præter originale peccatum, nouis & actualibus illud lumen rationis extinxerunt, imputanda censeo, quæ inde consecuta sunt contra cultum Dei, & societatem humanam, aut sibi ingenitam propensionem: eorumque culpa fuit quidquid contra ius naturale admiserunt, idque ex triplici capite, vel quod legem conscientiæ, se sui officij monentem noluerint audire, nec dubitationes quas interdum ingerebat, de suis flagitiis morati sint: secundo quod neglexerint attendere, & addiscere è iure naturali quod scire suâ referret, & quæ doceret ipsa ratio, aut certè sapientiores, quos adire poterant, si per se sapere non possent, nec hoc illis erat admodum difficile intelligere: 3. denique excusare non potest conscientia, & ratio ad bonum stupida, & cæca, cum præter originale peccatum, alia addiderint, quibus hunc stuporem, eamque cæcitatem sibi adsciuerunt.

His omnibus addo illud iam à me obseruatum, 1. parte pag. 144. aliud esse, an ignorantia iuris naturalis quæcumque imputetur ad culpam, nec quod ex illa admittitur, excuset vnquam, vel an ex eâ ignorantiâ, nullum inde malum & damnum, in pœnam originalis peccati existat, maximè cum excludat media salutis, lege diuinâ constituta, qualis est vera Religio, & Charitas, quæ infidelitate etiam negatiuâ tollitur. Concedimus ignorantiam inuincibilem iuris diuini, nunquam sine damno contingere, cum tollat media ad salutem necessaria; posse tamen aliquando excusare, & inculpatam esse, tum cum agitur de partibus obscurioribus iuris naturalis; nec consequitur, vti potest ex vllâ trium causarum, quibus diximus huiusmodi ignorantiam culpabilem fieri. Atque istâ obseruatione, tres opponimus obices, quibus sistatur colluuies

peccatorum, & scelerum, quæ excusari contendit Vvendrochius, concessâ vel minimâ iuris naturalis inculpatâ ignorantiâ, & reserari latissimam portam ad omne genus impietatum & flagitiorum: sed longe aliud est, quâ datâ portâ, & effractis obicibus, homines in omne genus vitiorum sese dare præcipites, aliud ex aliquâ veluti rimulâ nonnihil effluere, quod minus legi æternæ conueniat, & excusari possit. Primum quisquis nobis obiecerit, sophistam aut calumniatorem potius aget, quàm Theologum, cum tot validissimis claustris hanc malorum colluuiem cohibeamus: alterum verò fatemur, & vltro à nobis conceditur, nec quæ offendicula obiicit Vvendrochius, nos à propositâ sententiâ semouent.

Quæ hactenus diximus, valere tantùm volumus de hominibus, quos *Infideles negatiuè* vocant; quoad cæteros verò, seu hæreticos, seu flagitiosos, quibus nota est Ecclesia, nec fidei & Euangelii negata prædicatio, seu Infidelitate Ethnicorum, & Iudæorum hæresi abiecerint fidem, seu eam semel professi prauis moribus corruperint; pronunciamus nullam excusationem habere, eorum quæ peccauerint contra legem diuinam, nec posse prætexere ignorantiam legis æternæ, ipsis non solum creatione mundi, aut rationis instinctu, vti & gentibus notam, sed tribus aliis promulgationibus, institutione Ecclesiæ, fidei internæ lumine, & Euangelii prædicatione, & libris familiarem: quibus omnibus, veluti certis argumentis & testibus, infideles qui Euangelium repulere, hæretici & flagitiosi Catholici reuincentur quasi ex quacumque ignorantiâ inexcusabiles.

Paragraphus Secundus.

Mercori argumenta confirmantur, & VVendrochij offendiculum remouetur ex principiis constitutis.

Non minus acuta quàm breuis Senecæ sententia est; *Magno nihil magnum*: quia sapiens nihil timet, aut miratur. Quamuis enim ex Epicuri regulâ quam Seneca refert: *sua illi videantur amplissima, aliàs miser esset etiamsi*

toti mundo dominaretur, cætera quæ illi desunt, aut quibus alii abundant, nullo loco habet. Fortè ita comparatus est Vvendrochius, & quæ ex Mercoro refert argumenta, quibus respondet, scrupulos vocat: quæ ipse in illum congerit absurda, offendicula sunt & scandala grauissima, quæ nullam excusationem admittant, etiamsi D. Thomam aduocet in patronum. Nos scrupulos Mercori in offendicula, & Vvendrochii offendicula in scrupulos experiemur, an mutari possint, & iudicium sit penès æquum Lectorem.

Multa ad causam nostram munimenta præmisimus ex lege æternâ; cui aliud adiungam præsidium de ignorantiâ inuincibili validius. Visus est aduersarius satis incertus animi, an iuris positiui perinde ac naturalis, vnquàm à culpa excuset ignoratio. Nec immeritò hæc illum subit & vrget dubitatio: quia reuera si quid eius argumenta à ratione, vel authoritate Patrum valeant, perinde iuris positiui, ac naturalis ignorantiam imparem ad peccati excusationem probant. D. Thomas & alii Theologi ac Patres, si vnum aut alterum excipias, indiscriminatim de vtraque disserunt; Ergo vel nullam iuris vtriusque, vel aliquam etiam naturalis inculpatam ignorantiam admitti oportet. Hoc obseruatum est prudenter à P. Gonet suo de probabilitate Opusculo, atque hâc vnâ obseruatione omnino conuellit argumenta aduersariorum: vt inde agnoscas quæ pro suâ causâ multis præiudiciis debilitata affert Vvendrochius non adeò grauia esse offendicula, nec leues scrupulos, Mercori quibus respondet argumenta. Hoc experiamur exactiore omnium quæ hinc & inde reponuntur examine. Id vnum obseruo, quascumque habent argumentationes aut solutiones, ad duo capita reuocari, quædam à rationibus Theologicis, alia à Patrum Theologorum authoritate repetuntur: rationes, hoc paragrapho, sequenti Patrum & Theologorum testimonia expendam.

Nullibi apud Mercorum legi quæ initio Articuli sexti Vvendrochius illi ascribit: *Facilem & expeditam esse hanc viam fateri, quæ nullam quidem ignorantiam iuris naturalis excusari docet; sed simul asserit omnem iuris naturalis ignorantiam esse vincibilem. Ab hac tamen doctrinâ amplectendâ quibusdam scrupulis retardari.* Fatetur quidem Mercorus se multis de causis abstinuisse ab hac disputatione de igno-

rantiâ inuincibili, & noluisse suam Basim astruere opinioni, quæ illam in totum negat, ne fortè nutatet, aut omnino collaberetur: grauesque illi occurrerunt difficultates, quibus superandis se minimè parem sensit: qualis est illa quam ex ipso retulimus primâ parte pag 305. si hoc sensu dicatur ignorantia inuincibilis iuris naturalis, industriâ præsenti & ordinariâ diligentiâ, imputari ad culpam, quod vincibilis sit luce diuinâ, precibus & emendatione vitæ, vanum fore discrimen appositum inter ignorantiam iuris naturalis & positiui, cum vtraque inuincibilis sit diligentia humana, vincibilis tamen auxilio Dei, precibus & sanctitate vitæ obtinendo, maximè cum versatur circa res, quarũ cognitio necessaria sit ad salutem comparandam, & ad euitandum peccatum: qualia sunt infinita ex Euangelio, quæ ad ius positiuum pertinent, vt Baptismus, aliaque Sacramenta.

Et hinc è scrupulo euadere potest in grauem difficultatem obiectio Mercoti, suâ responsione ad secundum tertii Nodi argumentum: verum quidem est illum eò loci inferre ex aduersarii regulâ, nullam fore facti ignorantiam, quæ excuset, quia non minus paratus est Deus errorem facti quàm iuris tollere, si ad orationem confugiamus. Facile se ab hoc Nodo expedit Vvendrochius Art. 6. constituta differentia inter res facti, quarum tantum meminit Mercotus & res Iuris: *Quia*, inquit, *aliter prorsus de factorum cognitione se res habet, quæ nec homini connaturalis, nec naturæ debita, nec peccato amissa, nec prorsus ad bene viuendum necessaria. Quare nec ita tenentur homines eam à Deo deposcere, nec tam certò impetrant, atque ea, quæ prorsus ad salutem necessaria sunt.*

Esto, scrupulus sit obiectio Mercori, si verba attendamus, quia meminit tantum rerum facti; sed cum Vvendrochius sit acutissimus, sine dubio peruidit, nec debuit dissimulare ad eleuandum Mercori argumentum, ex eius mente obiectionem non solum à rebus facti, sed etiam iuris positiui, vrgere & soluendum esse; cui sic explicatæ nullomodo satisfacit responsio Vvendrochii. Quis enim neget totam Incarnationis & Fidei Christi ac Sacramentorum œconomiam, ad ius positiuum pertinere, cum ea sublata, supersit ius naturæ ad gratiam prouectæ consentaneum? Quis præterea nesciat, posita institutione diuina,

Baptismum, & nomen Christi vnicum esse, quo salui esse possimus? Ergo hæc cognitio iuris positiui, licet *non amissa peccato, prorsus ad bene viuendum est necessaria*. Ac proinde precibus efflagitanda à Deo parato iam nobis conferre, nisi deficiamus à studio orationis ad Deum, vnde contendit Vvendrochius ignorantiam ex illâ negligentiâ consecutam vincibilem esse, licet sit iuris positiui. Cadit ergo distinctio Iansenii de ignorantiâ inuincibili iuris positiui & vincibili iuris naturalis.

Omitto effugium hoc validè præclusum à P. Mercoro 1. Part. Sect. 5. citato. Sed quid opus nostris argumentis, cùm illud præsidium euersum sit verbis Christi ex Ioan. 15. relatis, peccatum infidelitatis euasuros Iudæos, nisi Christus suo ad illos accessu, & colloquio fuisset dignatus. Falsa enim & nulla foret excusatio, si negatâ Christi prædicatione, superesset adhuc orationis negligentia, qua fide Christi, & rebus ab illo ad salutem institutis seipsos fraudassent. Hinc agnoscet prudens Lector non temerè Scholasticos ex illo Ioannis loco deduxisse *Infideles negatiuè*, quales fuissent Iudæi, nisi Christus suo piissimo aduentu inexcusabiles effecisset. Adde etiam his omnibus ignorantiam facti interdum eò deducere mali & infortunii, vt ex eâ (quod fieri non repugnat) ineatur cum sorore aut matre connubium: quem errorem qui incurrit, vellet suo sanguine redimere; nec credibile est quod affert Vvendrochius huiusmodi factorum cognitionem non esse à Deo petendam, sicuti iuris, vt hoc discrimine illius vincibilem, factorum verò inuincibilem probet.

Atque ex hoc argumento quamuis innumera suppetant Mercoro, secùs quàm cum Vvendrochio concludendum est; *Illius sententiam non satis sibi constare, & dum inter Casuistarum laxitatem, & Parisiensis Theologi rigorem mediam inire viam tentat, res dissociabiles miscere, eaque vtrisque concedere; quibus datis, in suas partes à quoque non agrè pertrahetur.* Nego victuros Casuistas omnia inuincibiliter & inculpabiliter ignorari posse, ipsamque Dei vnitatem, imo & existentiam: nam tria objecimus impiis claustra, totidem sunt limites quibus à Caramuele, aliisque Casuistis secernimur. Caramuel eodem Articulo citatus *naturalem* vocat *ignorantiam*, quam hîc & nunc homo superare non potest, nihil moratus negligentiam addiscendi

res iuris, nec dubia grauia, quæ ingerit synderesis, etiam sceleratissimis, nec peccata quibus illam oppresserunt: Denique confusâ & permixtâ perperàm probabilitate speculatiuâ cum practicâ, quamcumque cognitionem Dei, nisi abeat in euidentem, censet permitti cuique de existentiâ & prouidentia Dei sentire quod libuerit: tantâ intercapedine à se remotos, non video quâ vi possit nos ad suas partes pertrahere.

Nec puto dicturum Theologum Parisiensem, nihil prorsus eorũ quæ ad legem naturalem pertinent inuincibiliter ignorari; *Nec inermis & nudus aduersus vtrosque mansurus est Mercorus.* Tribus præsidiis inuictis contra Casuistas causam nostram muniuimus, totidem illi extruimus contra Theologum à quo differt: primo quod nolit, nec putet necessarium, legitimum probabilitatis vsum astruere huic opinioni de ignorantiâ quacumque iuris naturalis culpabili; secundo dissentit, quod neget hunc esse sensum SS. Patrum; ab illo differt tertio, quod ignorantiam huiusmodi iuris nolit fieri culpabilem ex solo peccato originali. Id tamen videtur insinuare Vvendrochius: huiusmodi enim iuris naturalis, ideo nullam aut raram Augustinus & alii Patres dari ignorantiam docent, quia cum sit congenitum, deleri nequeat in totum per peccatum, & sit perpetua quasi scaturigo grauium dubiorum quæ hominem præter officium agentem vellicent & torqueant: ea enim referunt huiusmodi dubia, vt nequeat homo ignorare sibi prohibitum aliis inferre mala quæ pati nolit, sicut habet Augustinus à Vvendrochio relatus enarratione in Psalmum 57. Nam si ignorantiæ vincibilis ratio repetatur à solo originali peccato, nulli erunt Infideles negatiuè; quod puto concessurum Vvendrochio; sed contra stat argumentum supra ex Christi verbis Ioan. 15. deprompτum. Deinde si referatur in culpabilem ignorantiam iuris naturalis, quidquid ex illâ proficiscitur, quod orta sit à peccato originali; quidni cum hæreticis, actus omnes indeliberati puerorum & phreneticorum cogitationes, & operationes, legi naturali aduersæ, imputabuntur ad peccatum, cum hi omnes contra ius naturale impetus nascantur ex amissâ iustitiâ originali peccato primi hominis? Nam si ex eo capite vellet aduersarius quamcumque ignorantiam iuris homini congeniti, & illo peccato deleti,

vincibilem fieri, non video quin pari iure hæretici defendant, quoscumque actus indeliberatos vera esse peccata, quia sunt dissonantia à lege æternâ, ex eodem argumento Vvendrochii, vt videre est apud Bellarminum lib. 5. de statu peccati, responsionibus ad argumenta Kemnitii. Atque his satisfactum est argumentis Art. 4.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Alia duo offendicula Mercoro obiecta semouentur.

EX iisdem principiis facile est depellere obiurgationes Vvendrochii Articulo 7. Primùm obiicit Mercoro more Academicorum de ignorantiâ inuincibili, modo in vnam, modo in alteram partem inclinasse. Sed Mercori conueniret prudentiam potius laudare quàm aliquod vitium leuitatis & inconstantiæ improperare. Eius disputandi methodum alio loco defendimus, nec quidquam noui afferr' Aduersarius, quod non sit occupatum. Illum acerbè excipit quod ex S. Doctore hypothesim admiserit de fornicatione ex ignorantia inuincibili licitâ reputatâ & contra Discipulum ac Magistrum censuris potius agit quàm argumentis. Illas nihil moror, istas mallem, quæ tamen in tota eius disceptatione desidero, nisi argumentationem voces ipsam Thesim in probationem assumptam. *Duo*, inquit, *ad rectam operationem requiruntur, nempe vt veritati, id est, legi æternæ & conscientiæ consentiat.* Hoc secundum admitto, primum est nostra controuersia, non tua probatio. Et ne gratis credas me ita respondere; id vnum à te velim, an connubio cum matre ex ignorantiâ facti inito, insit veritas, seu cum lege æternâ consensio? Imo horrendus illi est incestus: & tamen Vvendrochii regulis, ignorantia facti inuincibilis, culpâ vacat: cuius erroris velit à Deo petendam non esse curationem, nec Deum paratum illam conferre. Fateatur igitur non ita *indignam Christiano & homine religioso sententiam*, aliquid ex ignorantiâ iuris inuincibili, remotius à principiis syndereseos, contra minimam legis æternæ partem excusari; cum ex ignorantiâ facti, horrendum incestus peccatum contra prima synderesеos principia suis regulis purget, & defendat quasi innoxium.

Aliud subiungo exemplum Lothi filiarum, quarum cum patre expetitum etiam incestum, hac ratione inculpatum volunt quidam, quod absumptâ flammis Pentapoli, crederent totum genus humanum, simili incendio periisse, & reparandum etiam cum parente congressu. Putat-ne quid simile defuturum ad honestandam soluti cum soluta copulam? Conueniebat igitur studio & zelo legis æternæ non abripi adeò acri, vt nullam rationum quæ facile occurrere poterant, vim admitteret. Neque enim quod assumit, ipse probat, forte confisus id se iam euicisse argumento ex Articulo 4. vel ab Estio fuisse confirmatum. Sed nihil horum potuit necessariam, imo nec iustam facere, rigidam adeò in D. Thomam, & Mercorum censuram.

Quod enim ipse ait, *Nullam prætendi posse ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, quod nulli deest affulgens & circumfusa diuina lux; nisi eius radiis obicem ponat.* Omitto quod iam dictum est, si ea ratio obtineat, sensu quo proponitur, nullam fore ignorantiam, etiam rerum facti, quæ per se adiunctam habeant grauissimam turpitudinem, qualis est incestus, vel rerum iuris positiui quæ conferant ad salutem, cuius generis est Baptismus & fides in Christum. Non immeritò hærebat Vvendrochius, an rerum postremi generis sibi admittenda esset aliqua ignorantia iuris positiui, cùm illam si quid eius argumenta probent, perinde ac iuris naturalis excludant: quia potest, imo necesse est ad salutem curari lumine diuino, si precibus expetatur, nec vllus obex adsit. Quare argumentum illud excipio responsione, non minus ipsi, quàm nobis necessariâ, lucem affulgere, nec vlli deesse homini, pro cuiusque captu & statu disparem, quæ progessu augeatur, si primi illius radii cum fructu excipiantur. Neque enim Infidelibus negatiuè adest, nisi remotissimè lux, ad fidem & ad obscuriores iuris naturalis partes aperiendas: vt non sit illis imputanda ad culpam harum rerum ignorantia. Quid igitur mali habet carere posse citra culpam abstrusissimæ rei cognitione, qualis est de mendacio leui, nullâ grauissimâ causâ honestando, cum citra nouum peccatum, Infidelibus negatiuè desit lux ad fidem proxima quæ culpabilem illius repulsam efficiat?

Quâ verò ratione, & quâ regulâ statui possit ignorantia inuincibilis iuris naturalis, diximus 1. Parte quartâ classe Argumentorum pag. 297.

Nec validiora visa sunt Mercoro, ad rem propositam conficiendam, argumenta Estii, quæ refellit responsione ad quartam resolutionem. In hoc enim tota vis posita est: cum duo per se connexa sunt, vtrumque eligere censendus est, qui illorum alterum accipit voluntariè: & cum mendacium pertineat ad genus mali moralis, illud eligere reputandus est, qui mendacium quâcumque causâ honestatum protulerit.

Falsam demonstrat Mercorus primam propositionem; neque enim censendus est vtrumque eligere vno accepto, qui illorum connexionem inculpabiliter & inuincibiliter ignorat: ita si quis cicutam puero demonstret, potest inculpabiliter ignorare, esse speciem herbæ venenosæ, quam si gustet & moriatur, immunis erit à reatu mortis voluntariæ. Adde aliud quod ad rem spectat, testatum Mercorum, sibi difficilimam videri distinctionem Aduersariorum, actum erroris ex ignorantiâ posse voluntarium esse *voluntate facti*, non *voluntate peccati*. At ille instat responsione ad 2. obiectionem, peccatum errantis fore omnino inuoluntarium, sicut manifestum est exemplis, quæ affert Vvendrochius, actuum ex ignorantiâ facti, aut iuris positiui. Hæc verò responsio non adeò leuis erat, vt videri oporteret scrupulum & omnino taceri.

Hæc responsio Mercori inuicta euadet, si attendas quæ de veritate diximus, eam in conuenientia cognitionis cum re positam, vti falsitatem in dissensione ab illâ, exercitâ, & iudicio affirmatâ aut negatâ, siue in extremorum propositionis connexione aut repugnantiâ cognita. Quis verò eam inesse dicat operationibus mentis, quæ ab hâc connexione perinde abstrahant, vti cicutæ à veneno, cum quis scit speciem herbæ esse, nec venenosam neget aut astruat, & ne quidem per somnium id cogitet? Atqui ita se habet ex Mercoro, qui mendacium aliquo temporis articulo honestum, & officii causâ omnino necessarium putat. Nec valet mali rationem illi inesse: neque enim id magis cogitat, quàm cicutam esse venenosam, qui tantum nouit herbæ speciem habere, siue sana sit, siue noxia. Hunc scrupulum ab acutissimo viro perspectum, contra vnicum suæ sententiæ ex Estio, saltem à ratione argumentum, ex animo Mercori, quod graue illi erat offendiculum, auelli omnino oportebat: & id fortasse tentasset, nisi sensisset in-

superabile, nec se Lectori satisfacturum. Possim illum augere ex Caluinistarum errore, qui, vt obseruat P. Gonet, ex eodem Vvendrochii fundamento, damnant Scholasticos, quod vllam iuris naturalis ignorantiam admittant, quæ etiam ab actibus indeliberatis peccati noxam excludat, qui tamen abstrahunt à connexione actus cum peccato. Ea igitur abstractio rerum per se connexarum, nempè mendacii & peccati, locum habet sicuti in actibus indeliberatis, ita etiam ex proposito elicitis, si illam connexionem, non magis attingant quam indeliberati.

Quod ad secundum offendiculum pertinet, de Titio qui aditâ decies domo mulieris, quinquies peccauerit, posse eò redire munitum precibus, auertendo malo quod timet, si vrgeat aliquod graue negotium ex officio, aut ad commodum temporale peragendum: responsionem Mercori non defendo in totum, nisi hâc restrictione, vt maior sit spes de custodiâ innocentiæ, quam formido peccati: idque tunc continget si frequentatâ decies domo mulieris, semel aut iterum lapsus sit; redire illi permitto cum maximâ cautelâ & firmo proposito, ac precibus validè munitum. Tunc enim valet ponderatio Mercori ex Caietano in præceptum Christi, de oculo eruendo & abscindendo pede, si scandalo sit futurum; Christum non dixisse linguam abscindi oportere, aut pedes, vel oculos effodiendos, ne careamus parte corporis omninò necessariâ ad vitam communem, ad cuius vicem supplendam nulla supersit: vt moneret ponderanda esse, hinc & inde salutis pericula, & ad vitam necessaria adiumenta. Suam interpretationem & sententiam confirmat, exemplo Religiosi & Curati, quorum primus expertus, ex cœlibatu se procliuem ad carnis lapsum, non debet, imo nec potest à statu cœlibatus recedere, sicut nec Parochus beneficium deserere, si quando ex mulierum confessione, delectationem veneream senserit etiam cum consensu, sed tentanda sunt orationum & ieiuniorum remedia. Sic explicata & munita opinio Mercori, nostrâque restrictione castigata, offendiculi notam non meretur: nec tacenda erant Vvendrochio præsidia, quibus illam propugnabat; vel certè non erat adeò acri reprehensione digna.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Quid de ignorantia inuincibili iuris naturalis sentiendum sit ex authoritate Patrum ac Theologorum.

NOn mirum est argumentum Mercori à Hieronymi authoritate, visum leue & scrupulum, cuius vires minuit, prudens an nesciens, ad vnius Hieronymi authoritatem restrictione, cum tamen latissime pateat. Potest verò hac forma, & vi maiore proponi : quotquot affert Doctor Parisiensis, Patres, & Theologi promiscuè agunt de iuris naturalis & positiui ignorantiâ in peccatum imputandâ : Atqui certum est, eos admittere aliquam iuris positiui ignorantiam inculpatam : male igitur ex iisdem SS. PP. locis & verbis Vvendrochius elicit, nullam iuris naturalis ignoratiam inuincibilem iuxta illorum mentem admitti debere; licet iuris positiui etiam cum res ad salutem necessarias præscribit, concedi possit. Hæc enim communia SS. PP. ad vtrumque genus ignorantiæ verba, vel nullius probant dari, vel vtriusque aliqua sui parte inculpatam euincunt.

Nec verisimilis est responsio Vvendrochii Articuli 6. Hieronymum quem vnum refert è multis à Mercoro citatis, cum par sit aliorum ratio, ab Augustino correctum, quasi nimia seueritate, Hieronymus omnem vtriusque iuris ignorantiam damnet generatim, & indiscriminatim. Quam enim defendit, sententia ex mente Augustini, nullam iuris naturalis post communem in Adamo lapsum ignorantiam, carere culpâ ; profundissimum est ex peccato originali vulnus, ignotum etiam Augustino, cum scripsit lib. de Lib. Arb. quorum 3. cap. 12. aliquam inculpatam his verbis admittit : *Non enim, quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc anima deputatur in peccatum; sed quod scire non studuit, & quod dignum facultati comparanda, ad rectè faciendum, operam non dedit.* A quibus duobus vitiis, longe abest exemplum Mercori, pe puero duodenni, mendacium leue ad seruandam hominis vitam licitum, imo & necessarium reputante. Neque

enim eâ tenerâ ætate, potest illi vitio verti, quod parti satis abstrusæ iuris naturalis non studuerit. Neque in illum cadit verbum illud Augustini, *Non enim scriptum non erat, sed legere nolebat*, *mendacium nullâ causâ honestari* posse, & fieri licitum, & necessarium; nec erat illi in promptu, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Imo ex illo principio iudicare poterat, quia ipse vellet leui mendacio sibi ab aliis vitam seruari. Ergo omni specie veri caret interpretatio Hieronymi, aliorumque subinde Patrum, & Theologorum, ne excepto quidem Augustino. Sed verius est omnes vtriusque iuris passim ignorantiam damnare, & raram docere dari, non omnino nullam.

His adde vnum, quo prætexitur Hieronymi ab Augustino, emendatio omni verisimilitudine carere. Vellem saltem mihi ostendi, quo loco apud Augustinum extet, sicut illa de Pauli cum Petro concertatione, & de abrogatione legalium. Si dicas, id à te gratis peti; hanc exceptionem altera iustior postulatio refellit: à te iure exigam, vbinam Augustinus, hunc compertum errorem de aliquâ ignorantiâ inculpatâ iuris naturalis, cui ad minus fauet probabilissimè, loco quem refert Mercorus, retractauerit; sicuti illum de initio fidei à nobis, quo cum Pelagianis, ante controuersias de Gratiâ & Prædestinatione conueniebat: neque enim minus grauem de hâc inculpatâ ignorantiâ culpam agnoscis, cum inde putes tibi necessarium & licitum, acerrimè insectari Mercorum, nec parcere D Thomæ Nec potuit si tum deceptus fuit Augustinus, id libro retractionum obmisisse: & nisi monstres à S. Doctore, nedum in Hieronymo tacitè, sed etiam in seipso apertè correctum, vel leue putauit, aut verius nullum, vt inde constet acerbius Mercorum, & D. Thomam fuisse exceptos.

Hâc nostrâ responsione infringuntur quæcumque obiicit Vvendrochius suâ Epistolâ, & ad illam Appendice: quæ fusius & exactius dissoluit P. Goner, qui legi poterit. Eius dictis ad explicandam mentem profundissimam D. Augustini, qui vnus in speciem fauere videtur aduersariis, addo quod iam annotauimus 1. par. pag. 148. iuris diuini etiam positiui, cum præscribit res ad salutem ex præcepto, aut ex efficaciâ medii necessarias, non dari ignorantiam quę culpâ careat, aut strictè ex communi Philosophorum, & Theologorum mente, aut latè sumptâ culpâ, id est, damno ad

salutem: quod actibus qui inde fiunt, vel excludantur media ad salutem, vel supponantur exclusa, vel certè ipsismet actibus suppleri nequeant.

Huic Responsioni fauet D. Augustinus iisimet locis, vnde Iansenius suam putat se depromere opinionem Lib. de Gratiâ Christi cap. 3. dum ait: *Illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire volunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, vt simpliciter igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audiuit omnino quod crederet, sed fortassis vt mitius ardeat.* Notandum D. Augustinum dixisse, *qui tanquam simpliciter nesciunt*, quasi significet, se non agere de ignorantiâ simpliciter inuincibili, cuius curandæ nulla, nequidem prima subierit cogitatio; & ideo addit, *fortassis vt mitius ardeat*: quibus constat non agere de ignorantiâ omnino inuincibili, frustra enim adiecisset verbum *fortassis*. Quod si ex illâ nascerentur actus à lege æternâ dissentiens lib 3. de lib. arb. cap. 19. ait, peccatum dici Metaphoricè, sicut verbum dicitur lingua, quia illâ profertur: eodem sensu ait huiusmodi actus dici peccata, quia de peccato liberæ voluntatis Adami, originem ducunt. Adde etiam mereri illud nomen peccati, iuxta nostram interpretationem: quod sine nouo peccato excludant, aut non suppleant media ad salutem necessaria; sed peccato originali supponant, illis naturam hominis fuisse spoliatam. Atque hinc excluditur hæresis Pelagianorum, quia vt D. Augustinus de Dono Perseu. cap. 11. tradit, *Pelagiani dicunt ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia non supplicia esse naturæ.*

Hæc omnia confirmare licet profundissimâ Thomæ Angli interpretatione, cuiusdam loci Augustini à superioribus non omnino dissimilis. cum ait: *Si Adamus caruisset adiutorio sine quo non, suâ culpâ non fuisset lapsus:* his verbis nominatus Author ait *sibi apparere, non rei, sed vocum proprietatem quæri à S. Doctore.*

Huius Authoris mentem, perinde obscuri ac eruditi, fusius alibi prosecuturus, ad rem nostram accommodo; & quantum capio, is est eius sensus; peccatum bifariàm sumi: primum vulgari significatu, vt est actio libera suo Authori noxia, & Deo iniuria; secundo latius, vt est actionis vitium, à suo principio completo deficientis: vnde

malum existit, commiseratione, verius quàm vituperio dignum. Sicut, inquit, cæcitas siue à natiuitate, siue à casu contingat, siue ex propriâ specie, siue ex communi ratione generis, qualis talpæ inest, quatenus genere animantium, cuius visus est proprietas, continetur, idem, inquam, cæcitatis est malum; sed dolendum est quid magis perdenti visum, quàm si eo semper caruerit. Sic etiamsi labruscas seminauisset vinitor propheticus, non minus mali recepisset, quam ex vite plantatâ habuit; sed non tantum doluisset, neque id exprobrare potuisset vineæ suæ. Ita, etiam non attentâ libertate, si naturæ humanæ primâ sui origine, negata fuissent præsidia ad bene agendum concessa primo homini, quibus post lapsum caret; ille status à nostro differret, sicut nudi, & sine vestibus hominis nati à nudato, id est, quibus tegebatur, indumentis spoliato. Hoc discrimen latè sumpto vocabulo, culpa dicitur ab Augustino, Theologico magis, & Christiano, quàm Philosophico sensu. Atque ita interpretatur quæcumque, ex Adæ actuali peccato, vel nostro originali, consequuntur necessariò mala, ab Augustino culpam dici, quâ idem S. Doctor ait, cariturum Adamum, nisi habuisset adiutorium *sine quo non*, id est, gratiam habitualem, ex huius Theologi sententia eodem opusculo. Vnde concludit, aliam prorsus quæstionem agitare Augustinum, qui de culpâ Theologicè & dignè tanto Patre loquitur: aliam modernos, qui eum incusant, quasi rationem culpæ tolleret sublatâ integritate naturæ in Adamo. *Hi enim*, inquit, *neque per somnium prospexerunt in eam rationem peccati, quam Augustinus tollit, quam agnoscere ad oculos pertinebat aquilinos.* Hoc itaque pro manifesto constitutum sit; toto cœlo errare aduersarios Augustini, dum imponunt ei, quod tollat eam rationem peccati, quam ipsi astruunt, si Adamus sine iustitiâ originali creatus fuisset.

Absit vt in totum probem hunc Theologum, cuius decretis Romanis scio opera prohibita esse: sed ad causam nostram arripio culpæ strictius, & latius sumptæ, seu Christianæ & Philosophicæ distinctionem, ad dissoluenda Vvendrochii argumenta accommodatissimam: nam cum aduersarius vrgeat post Iansenium, Augustinum culpæ imputare, quidquid ex peccato originali, & ex ignorantia inde consecuta quamlibet inuincibili, mali & damni

inde existit, culpam eâ acceptione, quâ locum Augustini interpretatur Thomas Anglus, contendimus à S. Doctore vsurpari. Idque multo verius, & omnino necessarium est, si attendamus ignorantiam post peccatum congenitam, non solum consequi actus malos deliberatos, qui præceptis diuinis directè & apertè repugnent; sed etiam plures indeliberatos, qui ex ignorantiâ merè inuincibili, media ad salutem comparata nobis prorsus ignota, vel tollunt, vel iam sublata nequeunt aliunde suppleri. Si hęc distinctio duplicis culpæ stet, exhausta est vis omnium Vvendrochii argumentorum, quibus id tantum euinci potest, quæ ex ignorantiâ inuincibili consequitur, iacturam aut priuationem rerum quæ ad salutem ex efficaciâ medii requiruntur, habere rationem culpæ Christianæ, seu latius sumptæ. Et si hanc ipse distinctionem commentitiam dicat, aderit Thomas Anglus, nihilo minus Vvendrochio, & Iansenio eruditus, & in Augustino versatus, qui suas nostrasque partes validè propugnabit.

SECTIO TERTIA.

Animaduersiones in Apologiam Casuistarum, & in quasdam Propositiones ex illâ, & ex Amadæo damnatas.

EVASIMVS tandem ex difficillimo certamine, quo magis pro salute quàm pro gloriâ pugnandum fuit contra acerrimum aduersarium, qui vix ipse conquiescere possit, vel alios patiatur. Minus plena aleæ futura est pugna cum Casuistarum Apologista: & iam actum agerem, si huius Authoris dicta omnia expendenda susciperem, quia vix alia habet quàm ex Caramuele, Tamburino, & Amadæo refutata: hâc Sect. vlt. breuissimè tria præstabo non omnino inutilia: Primo expendam Prolegomena eius; deinde quæ habet cum aliis communia paucis indicabo, & singularia maximè ex vsu probabilitatis refellam: Postremo damnatas ex ipso, ex Amadęo, & ex aliis Propositiones ad duo capita, ad ius naturæ & gratiæ reuocabo.

Articvlvs Primvs.

Apologia Casuistarum, & quæ supersunt Pontificia Censura confirmantur.

PRæter breue examen Apologiæ Casuistarum quinque Propositiones, quæ supersunt ex damnatis ab Alexandro VII. refellam.

Paragraphvs Primvs.

Animaduersiones in Prolegomena, & in totum Opus Apologistæ.

ILlud imprimis non possum satis mirari, quod pag. 3. scribit, Moralem, quam propugnat Theologiam, partim deptomptam ex D. Thomæ 1. 2. qui teste Petro Aurelio, totam Aristotelis Ethicam exscripsit. Addit etiam ex Aristotele, quas defendit decerptas esse assertiones. Nihil hoc Prolegomeno ab omni specie veri alienum magis, nec vt puto; ita ex animo scripsit, sed vt fucum faciat Lectoribus: Quâ enim fide obtendit initio operis magna horum Authorum nomina sibi fauere, quæ toto progressu tacet? Neque Casuistis, quorum defensionem suscepit, crebrior est, aut sincerior vsus in citandis nedum Philosophis, sed etiam SS. Patribus, & Conciliis ex quibus fontibus haustam gloriatur, quam defendit Ethicam Christianam, quorum testimonia in eius Apologia omnino desiderantur.

Quod attinet ad Moralem Theologiam D. Thomæ ex Aristotelis Ethica exscriptam, cui se cum suis ait adhærere, bene est, quod restrictionem apponat, ex parte, non in totum se illam sequi. At quæ tandem est hæc pars, quam ex aliis selegit? Omnium sane minima, ac penè nulla: nihil enim commune habet cum S. Doctore, si vsurpatas ab omnibus Catholicis voces excipias, & quæ citra hæresim negare non liceat: quoad cætera vel aperrè S. Doctorem deserit, vel eius sententias interpolat & corrumpit.

Quod ex Petro Aurelio refert (an ex bona fide explorare non licuit, quia locum non citat) totam Aristotelis Ethicam excerpsisse D. Thomam 1. 2. mera calumnia est: nec longe abest ab altera, quæ Secundam Secundæ à Belloacensi, mutuo aut verius furto, in Summam Theologicam transtulisse quidam criminantur. Hæc Summæ pars præ magnitudine in duas diuisa, non plagium est, sed genuinum opus, quod veluti apis argumentosa, ex omnibus qui de moribus scripserunt auctoribus, mira subtilitate & industria confecit: nec quisquam dicet ex Aristotele, & Belloacensi sumptam, nisi inuidus & ignarus: cum ex isto nihil, ex Aristotelis verò Ethica vix millesimam partem deprompserit, sed multo plura ex SS. Patribus, aut suo marte inuenerit, quibus omnibus Ethicam Christianam illustrauit & locupletauit.

Superioribus addam, non immeritò S. Doctorem post SS. Patrum scripta de hoc argumento vsum Ethica Aristotelis, quia si SS. Patres excipias, nullus mortalium illo de moribus verius & exactius scripsit: & ridiculi planè sunt qui Epicurum, aliosque Philosophos Aristoteli æquant aut anteponunt. Hoc in illo stupendum, quod de omnibus ferè disciplinis, de Rhetorica, Poetice, de Politicis, & Moralibus (vt Philosophica omittam) ita accuratè & feliciter scripserit, ac si vni tantum arti, totâ vitâ vacasset. Artis Rhetorices, multo exactius leges constituit, quàm Cicero & Demosthenes impleuerint. Quæ de Carmine heroico edisserit, nec Homero, nec Virgilio assequi concessum est. Dramatici verò operis, seu Scænæ & Theatri decorum inuenit, ad quod nec Menander Comicorum, nec Sophocles, & Seneca Tragicorum Principes accessere. Quis verò Principum, aut Legislatorum, in administranda Republica, huius viri quam docet in Politicis sapientiam æquauit vnquam? Nec tractatio de moribus, aliis dignitate superior decedit ingenii præstantia.

Cui vnquam hominum, si Sanctos seponas, quæ de virtutibus & vitiis præscribit, moribus contingit exprimere? Atque hinc validè depellitur gloriatio Apologistæ, se Aristotelis Ethicam docere, cum qua nihil commune habeat. Quam enim tradit, adeò laxa est, ex illius præscripto vt possint Ethnici viuere, nec id puto recusaturos: ex Aristotelis verò regulis vix possint vitam suam instituere Chri-

stiani, nisi efficacissimum adsit à gratia & fide auxilium: toto igitur cœlo, & toto genere, ab Aristotelis morali distat, quam Apologista propugnat.

Et ne per plura discurram, cùm latissimè pateat hæc comparatio, duo tantum argumenta attingo, vnum à silentio, quod vix toto suo opere munierit se Philosophi suffragio, non taciturus sine dubio, si vel minimùm eius laxitatibus fauisset. Adde aliud longè grauius: Aristoteles omnium quas de moribus regulas assumit summam hac vna complexus est, quâ docet vbique consulendum, & præ oculis habendum, appetitum rectum hominis in vltimum finem bene affecti. Ab hac quasi aspectabili regula longissimè abest Apologista: diuersissimam propugnat, nempè arbitrarium probabilitatis vsum, ad cuiusque commodum & affectum, nullo respectu boni & recti, asserta cuilibet opinioni probabili à seipsa securitate ab omni erroris & peccati periculo.

Periculosissima sunt quæ respondet ad 4. & 5. obiectionem, de cognitione mali necessaria ad peccandum. Nos id explicauimus. 1. Part. examine 1. Caramuelis Epistolæ: vix vlli iuris naturalis peccato deesse notitiam, ad minus parem illi, quæ seruo etiam stolidissimo adest temporis per socordiam amissi: neque enim ignorare potest, diem hora esse productiorem, ac proinde, huius quàm illius iacturâ, grauius in dominum peccari. Nihil etiam distinguit Apologia Facti & Iuris ignorantiam, cùm tamen vna ferè semper, altera vix vnquam excuset, ex triplici discrimine inter hæc duo constituto, Responsione ad 1. Argument. Vvendrochii, qui locus omnino consulendus est, hac Disputatione & Sect. 2. art. 2. quia nodum hunc difficillimum dissoluit.

His duobus euersis fundamentis, de ignorantiâ iuris, & securâ quacumque probabilitate opinionum, totum quod illis astruit ædificium planè concidit, & nominatim quæ respondit 8. & 9. obiect. de proximis occasionibus ad Casum non deserendis, nec de pede abscindendo, aut eruendo oculo, etiam si scandalo sint contra Christi præceptum. Atque in hunc Apologistæ locum cadit Censura Pontificia in proposit. 41. Et quamuis Censura Parisiensis edita in Apologiam benignior sit, & plura dissimulet, non tamen putarunt illius Authores, se posse saluâ conscientiâ

ab illius responsionis damnatione supersedere, quod velit absolui seruum, apud hæreticos commorantem, pluries ex illorum contubernio lapsum, etiam si nolit illos deserere, alicuius lucri temporalis respectu: *Hæc propositio*, illis, *falsa est, & scandalosa, inducens in manifestum salutis, & fidei periculum.* Nec melior est superiore responsio ad 11. obiectionem, qua affirmat libidine exhaustos, etiamsi ad lupanar accedant, vt scortatione defatigati immunes sint à præcepto ieiunii, in illud non peccare: de quo nos plura examine Epistolæ 2. Caramuelis. Solutionem 12. obiect. non expendo, quâ de eleemosynâ agit, de quâ nos pauca occasione cuiusdam argumenti Caramuelis in D. Fagnanum. De Simonia Responsione ad 13 obiect. laxiora docet, iis; quæ Censura 22. Pontificis configit.

Quamuis indulgentiores sint in hominem hi Magistri, putarunt tamen sib in peccatum fore vertendum, si quæ docet Responsione ad 18. obiect. & duas proximè sequentes de vindictâ, de alienæ mortis desiderio, de furis cum re ablatâ, aut inimici post inflictam alapam fugientis cæde prætermitterent. Quare Censura 4. damnant hæc omnia *tanquam falsa, scandalosa, Charitati & Iustitiæ aduersa, quæ viam aperiant vindictæ, & crudelitati.* Nos ita esse multis probauimus Disput. de Iustitia & Iure. Duo tantum obseruo Apologistam Responsione ad 19. obiect. excusare desiderium alienæ mortis duobus principiis Vasques apertè falsis, nempe rei illicitæ desiderium inefficax, vix esse turpe, nisi in opus deducatur, nec speciem sumere à re quam sibi optat, quæ opinio singularissima est Vasquesio, & ab aliis Theologis aliena, vt latè probant Salmant. Disp. 1. de Peccatis.

Aliud etiam obseruo admiratione dignum: has de homicidio verè sanguinolentas Propositiones nomine omnium Theologorum Apologistam venditare, quasi illis generatim assentiãt, cum tamen contra stare D. Thomam & Scotum, eorumque Scholas florentissimas, loco de Iustitia demonstratum sit: forte Apologista, non est eos dignatus nomine Theologorum, quod ab homicidio ita abhorreant, vt ius, nulli priuato concedant id eligendi vt medium ad propriam incolumitatem, sed pati tantum debere doceant, quasi adiunctum præter mentem, non bonorum aut honoris, sed vitæ armis appetitæ defensioni.

Eâdem Reſponſione Salonium Aragonium Theologos, ex Auguſtinianis Dominicanos facit; non ſciens vt puto, ſed imprudens.

De vſuris latiſſimè & laxiſſimè agit Reſponſione ad 24. obiect. per 20. paginas, ſed improbo labore, omnium bonorum & Paſtorum Eccleſiæ Gallicanæ indignationem, & Cenſuras Sacræ Facultatis Pariſienſis emercatus eſt: quibus *tanquam falſa, ſcandaloſa, & manifeſtè vſuraria*, damnatur Propoſitio, quæ lucrum ex mutuo, ab vſuræ vitio excuſat, iiſdem argumentis quibus Amadæus inducit Philipum à Cruce S. Baſilii Monachum à Patre ſuo degenerem, pro vſura pugnantem Articulo de vſuris: Maluit Apologiſta ab hæreticis Molinæo & Salmaſio laudatis, quàm ex Patribus & Theologis ſuam doctrinam haurire.

Reſponſione ad 26. obiect. præiuit Amadæo, furtum honeſtanti, ex neceſſitate non ſolum extremâ, ſed etiam graui. Vnde incurrit in 14. damnationem & Cenſuram. Multo iuſtiorem meretur reſponſione ad 28. dum futili ratione, probat bona ab homine grauato ære alieno, data Titio ad fraudandos creditores, ſaluâ conſcientiâ poſſe ſeruari, ad obiect. 31. quamlibet atrocem calumniam eleuat & in peccatum veniale vertit, cùm inſtituta eſt aduerſus eos qui de nobis obloquuntur: ſatis dictum eſt ex Banne & Delugo, ad hanc opinionem penè horribilem confutandam. Ad obiectionem 38. vix peccati venialis accuſat eos qui vnius voluptatis causâ cibo & potu ſeſe ingurgitant ad vomitum vſque. Ad obiectionem 39. æquiuocationes defendit, de quibus ex profeſſo primæ partis Diſput. 1. ad finem, contra prius paradoxum de ingurgitantibus ſe vino, multa depromi poſſunt è noſtris obſeruationibus, de Iure naturali & Gratiâ: ab vtroque abhorrent maximè huiuſmodi helluationes, quarum ſit gratia ingluuiei & & ventri deditis. Ad obiectionem 43. eleuat præceptum audiendi Sacrum, cum Amadæo: ad 44. multa etiam habet de Sacramento Pœnitentiæ, quibus aſſentitur Amadæi aſſertionibus iam damnatis & refutatis. Hæc ad ſubiectam noſtram controuerſiam ſufficiet perſtrinxiſſe ex Apologiſta, exactius in Caramuele, Tamburino, Amadæo, quibus conſentit expugnata.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quæ de probabilitatum vsu habet singularia refelluntur.

PRæter communes assertiones & argumentationes confutatas, vnam propositionem seligo Apologistæ propriam, & duo, quibus illam probat, argumenta: responsione ad quintam obiectionem contendit quaslibet opiniones probabiles, non solùm securas esse, (quod plures Probabilistarum asserunt) sed ex æquo tutas: ita vt eâ dote nulla aliam vincat: hac assertione videtur studio probabilitatum superare Caramuelem Probabilistarum Principem, cui satis fuit quamcumque probabilitatem donare *veritatis virtualis* nomine, quo sensu imaginem Prototypi appellatione, aliqua analogia, & metaphora insignimus. Sed Apologista liberalior contendit non solùm nomine tenus, probabilitatem cum veritate conuenire, sed etiam præcipuo illius iure gaudere.

Hæc summa dos est veritatis, vt quascumque afficiat propositiones, pares & æque veras faciat: Nam cum posita sit in conuenientia, & adæquatione conceptus aut propositionis cum re, de qua aliquid negat, aut affirmat, omnino indiuisibilem esse oportet, omnis excessus & partitionis, aut inæqualitatis impatientem. Ita Apologista opiniones probabiles, quamlibet materia & genere dispares, seu pro commodo pugnent, seu rationum momentis, atque Authorum celebritate, aut numero varient, nihil moratus hæc discrimina, quibus inæqualis probabilitatis euadunt. omnes æquè tutas, & à peccato remotas esse pronuntiat.

Cur ita statuat causam ignoro; nisi fortè velit probabilitatem a seipsâ securitatem habere, neque à lege, multò minus ab excessu maioris probabilitatis, esse emendicandam. Hæc principia demonstrauimus falsissima esse, & à probabilitate per se ad verum & falsum, ad bonum malumque indifferenti, peccatorum & errorum pericula impendere, nec auerti posse, nisi ascita immunitate à fine vltimo, & à lege. Atque hinc constat Ethicam Apologistæ,

in totum differre à Peripateticâ & Thomisticâ, cui suam individuam esse gloriabatur. Sed quæ conuentio esse potest, cùm Aristoteles opinionum certitudinem, non à probabilitate ipsâ, seu directâ, seu reflexâ, sed ab vltimo fine, & à recto in illum hominis sapientis affectu repetat? Quis verò hanc D. Thomæ, aut potius euangelio calumniam importari patiatur; minus vltimo fini, & officiis ex illâ metiendis, quàm Philosophorum Ethicam fauere?

Hæc de assertione sufficiant: quibus verò illam argumentis munit? Duobus præter communia, quæ nullibi hactenus nisi apud ipsum legi. Aduocatis, inquit, licitum est probabiles quascumque causas agere apud Iudices: Ergo idem iuris asserendum est Iudicibus, & cuilibet hominum, vt probabilia sectentur, securi ab omni metu peccati. Aliud addit argumentum, à diuersis, & sibi subordinatis Iudicum subselliis, cuius vim non capio, adeò est à subiectâ Thesi, vel ab omni similitudine veri alienum. Varia sunt tribunalia summa, media, & infima; ab his postremis appellare licet ad alia secundi ordinis, & ab istis ad suprema: Ergo ex illâ subordinatione tribunalium, & ex appellatione ad altiora, tuta est, & vbique regnat probabilitas. Quæ consecutio? Quis hæc legitima argumenta dicat, vel non potius humanæ mentis deliria?

His assertis non solum à nobis, qui certa præcipimus sectanda esse, sed etiam à suis recedit: Nam vt supra retulimus ex Suare, aliisque ferè omnibus Societatis Theologis, si vnum Tamburinum excipias, Iudicibus præscribunt, standum pro sententiâ quæ legi faueat, & negant licitum esse arbitrarium iudicandi vsum, quem aduocatis permittunt, disceptandi de rebus dubiis, & defendendi causas, dummodò apertæ falsitatis non sint compertæ. Ea verò in Aduocatos indulgentiâ meritò excluduntur Iudices, quia diuersissima est horum munerum institutio. Aduocati est in vtramque partem disputare, Iudicis verò litem dirimere, & rem ad viuum secare. Ille rationes dubitandi ingerit, iste semotâ dubitatione, firmam statuit sententiam. Aduocati veritatem inquirunt, quam Iudices assequantur oportet. Apertum est discrimen ab aliis dotibus, ad hæc duo munera necessariis. Iudicibus opus est maturo iudicio, Aduocatis acri ingenio: vnde fit Aduocatorum optimos Iudices esse ineptos.

Quæ diximus supra de veritate, rem merè illustrant. in iudicio mentis ad rem collimantis positam diximus, quæ longè absit à sensibus: quia illorum operæpretium non est, quid sit rei determinatè iudicare, sed bonâ fide referre, quid ex illâ percipiant; vt inde mens statuat, quid de illâ sentiendum, aut quid facto opus sit. Aduocati sensuum vices, Iudices mentis obeunt munus: hinc fit periculosius à vero aberrare; quia Aduocatorum est veritatem inquirere, Iudicis definire. Hinc existit notatum discrimen præclarissimos Patronos mediocres esse Iudices, & horum optimos nullos esse aduocatos. Quia istis licet Academicos agere, & per multa discurrere: Iudices verò conuenit Areopagitas imitari, & vni veritati attendere, cui prolato iudicio non superest locus, qualem Aduocati relinquunt, quia multa explorant, nihil decernunt.

Longè ineptius aut inutilius est aliud argumentum à subordinatione tribunalium, & appellatione ab infimis ad maiora. Vix dici potest, quot & quanta peccet Apologista hoc exemplo: eo namque non solum à vero & à communi sensu, sed etiam à seipso dissentit. Credit errare inferiora subsellia, si ex minus probabilibus pronuntient, & hoc nomine ab altioribus esse corrigenda: *Ex ore tuo te iudico.* Ergo falsum & periculosum est, quod responsione ad 7. obiectionem, totius vitæ humanæ posuisti fundamentum, qualescumque opiniones, etiam minus probabiles, esse æque tutas. Si ita sit, quo iure inferiora subsellia opinionem probabilem secuta, nec minus aduersâ tutam, emendabuntur ab altioribus? Nonne iustam expostulandi causam habent, suam rescindi sententiam, nihilo minus tutam, eâ ipsâ quâ retractatur? Iustum vtrinque bellum accendis inter subordinata subsellia, vt infima meritò contendant, quamcumqne tulerint sententiam inter probabilitatis fines, non posse retractari: aliunde verò supremis Iudicibus ius comparas & asseris, reuocandi instissimam & securissimam (quâ nulla securior esse possit) inferiorum tribunalium sententiam.

Quid facies isto homine, qui omnia susdeque miscet? Quæ ordinarissima esse oportebat subsellia, vult similia inferno: *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Ipsemet in hanc voraginem delapsus, apertâ à seipso dissensione implicatur. Si ex te errent inferiores Iudices, &

nihil errando peccent, minus probabilia sequuti, quid iuris habent maiores judices, hanc sententiam corrigendi? quia, inquies, errarunt iudicio ex minus probabili opinione, licet non peccauerint. Sed quâ ratione à peccato eximis errorem iudicii publici, corrigendum ab altiori subsellio? Vel enim irrepsit ex ignorantiâ? Ecquis inculpatam dicet in judice., quem oporteat quæ sui sunt muneris ad vnguem scire? Alias si ex ignorantiâ erret, peccatum est graui pœnâ dignum. Vel sponte sciens & prudens, in hunc errorem delapsus est, minus probabilia sequutus. Ergo error est, sequi minus probabilia, cui emendando, si ex inscitia existar, constituta sint tribunalia maiora. Si verò spontaneus sit, maiore pœnâ dignus est. Si verò non peccauit, dum ex minus probabili pronuntiauit, sed iure suo vsus est, cur corrigitur? cur damnatur? Et si nolis hac correctione errare, nec peccare tribunalia maiora, iustũ vtrinque bellum accendis, vt meritò inferiora causentur, se iniustè corrigi, dum saluâ Iustitiâ, iure suo vtuntur; suprema verò, non solum hoc emendationis in inferiora tribunalia sibi vindicabunt; sed cum intra probabilitatis fines arbitraria sint iudicia, obtendent sibi licere, inferiorum judicum probabilissimam, & tutissimam sententiam, minus probabili retractare. Deum immortalem! quò res humanas deducit probabilitatum licentia.

Iterum Apologistam conuenio. Non minus licet Confessario in opiniones pœnitentis singulares, quàm supremorum judici supra inferiorum decreta. Nescio an Apologista comparationem sit concessurus, sed indubitatam puto. Quis enim neget, multò longius infra Confessarii authoritatem stare pœnitentem, quàm minores judices infra maiores? Atqui ex te mortalis peccati reus est Confessarius, nisi opinionem pœnitentis probet, licet minus probabilem & tutam: Quâ ergo ratione absolues iudicem maiorem, qui rescindat minoris sententiam, seu æquè, seu minus, seu magis probabilem? Quo iure, licet erret judex, nulla ignorantia quæ excuset, vis non peccare? Quis ista capiat? Infinita his similia absurda, possem ex paradoxo aduersarii deducere, sed ipsius pudori, & molestiæ parco Lectorum, quibus ista absurda, etiam minus peritis, adeò sunt obuia, vt otiosi sit hominis ea prosequi & vrgere.

Hoc solum moneo Apologistam, Responsione ad 7. objectionem, hausisse quidqnid mali & periculi habet probabilitas, his tribus assertis, primùm, liberum esse cuilibet sequi opinionem, etiamsi sit minus probabilis, etiam vnius Doctoris suffragio, aliis reclamantibus, minus tutam.

Huc reuocanda est ex propositionibus damnatis 27. Mira elucet sapientissimi Pontificis cautela & prudentia in damnandis assertionibus de opinione probabili: nam cum duplex sit probabilitatis genus, externa vna à Doctorum suffragiis, quæ authentica dicitur; interna altera, à vi argumentorum ex rei principiis, quæ rationabilis appellatur, & in vtraque stabilienda, vt fauet libertati, contra legem grauissimè errauerint nonnulli; ne tamen vtrâque in totum damnatâ, viderentur perstringi multi grauissimi Theologi; ea tantum selegit, quibus authenticam probabilitatem seiunctam à rationabili eò promouent, vt ausi sint dicere: *Si liber sit alicuius iunioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem.* Mirum est ab huius propositionis examine, quæ sit reliquarum cardo, abstinuisse Nicolaum *Dubois*, vel quod perinde est, remisisse Lectorem ad primam sui operis partem, in qua nihil ferè distinctè statuit de probabilitatis ratione: quæ si ad mentem Recentiorum stet, corruant necesse est in reliquas 44. propositiones latæ Censuræ; quia si probabilitas quæcumque securitatem ferat, seu immunitatem à peccato, quamdiu nihil conuincens pro aduersa parte suppetit: nec illud desit damnatis propositionibus, iure suo potientur, & securitatem dabunt, iis qui suas res ex illis peragent & vitam instituent.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Confirmatur Censura Pontificia in quatuor Propositiones lata.

EXamen Propositionum effugerunt insinuatæ, prima ordine 26. quæ ita habet: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Iudex pecuniam accipere*

pro ferenda sententiâ in fauorem vnius præ alio. Et 18. *Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* 41. est multò aliis improbabilior, cuius Author Ioannes Sancius non dubitauit asserere, *Concubinarium non esse obligandum ad eiiciendam Concubinam, si nimis sit vtilis ad illum oblectandum, & si ea deficiente nimis ægre ageret vitam, & difficile alia famula inueniretur.* Postremâ denique asserebatur *libros prohibitos, donec expurgentur, posse retineri, vsque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.* Harum propositionum examen à facilioribus incipiam, ordine secundam multi Theologi & Iurisconsulti propugnant hoc potissimum argumento à Laicæ potestatis origine repetito; quam cum in plebis sibi Principem eligentis arbitrio, vel in Comitiis generalibus status reponant; inde inferunt, leges à Principe latas & promulgatas, non censeri habere vim legis, nisi consensu subditorum acceptentur & confirmentur: ita Diana, Montesino, Azorius, & alii. Sed contra sentiunt celebriores Theologi, tum de legibus Ciuilibus, tum de Ecclesiasticis: de Diuinis nullus superest dubitandi locus; cum dominium Dei nullomodo à subditis pendeat, quos ipse sibi fecit populum, & regnum, non conuersim nos ipsum in Regem, sicut nec in Deum elegimus. Idem obtinet de legibus Ecclesiasticis, quæ cum sanciantur potestate à Christo receptâ, vt validæ sint, non exigunt consensum populorum: & licet id minus apertè cadat in leges Ciuiles; probabilius tamen est ad illas non requiri populorum assensum; iis exceptis, quæ feruntur in Republicâ liberâ, quas sic definit Iustinianus, *Lex est quod populus Romanus Senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule constituebat.* Consentit definitio Isidori his verbis: *Instituta Lex est populi constitutio, quâ maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.*

A propositione 41. omnes abhorrent: cuius causâ damnatus est in Congregatione indicis anno 1646. die 18. Decembris, Tomus selectarum Disputationum Ioannis Sancii, qui id docebat, à simili exemplo, non minus Concubinarium posse retinere pellicem ad familiæ & vitæ suæ commoda vtilem, quàm Mercatorem properantem ad nundinas, die festo Missam prætermittere, cui interesse non possit citra graue lucri damnum. Sed contra vrgent

Christi

Christi verba Matthæi 5. *Si oculus tuus scandalisat te, erue eum, & proiice abs te*: Et male instituitur comparatio Mercatoris properantis ad nundinas, & Sacrum omittentis, ne grande illi lucrum pereat; cum Concubinario pellicem retinente, quæ sit certa & proxima occasio lapsus: Nam prætermissis aliis differentiis, ea maximè hîc vrget, quod minus præcepta positiua Ecclesiæ quàm naturalia & diuina ligent: Ad depulsionem autem pellicis Concubinarius tenetur hoc postremo genere præceptorum; Mercatori verò incumbit audire Sacrum ex præcepto Ecclesiæ, quod non ligat, si obseruari nequeat citra graue incommodum salutis, aut bonorum fortunæ. Accuratius expendenda est propositio 16. ad cuius explanationem præmitto, litigantem posse aliquod conferre munus judici, vel ex solâ amicitiâ, nullo ad causam ab ipso dirimendam respectu, vel eo animo, vt prouocet donis ad seruandum iustâ sententiâ ius sibi certò comparatum, vel tertio muneribus eius corruptelam molitur, & iniquam sententiam vult emercari; quartò denique iure litigantium dubio, & velut in æqua lance posito largitionibus nititur ad suam partem inflectere. Si munera conferantur vnius amicitiæ causâ, certum est iure naturali non esse mala, nec restitutioni obnoxia: iure tamen positiuo vetantur l. 18. §. de Off. Præsidis, his verbis: *Plebiscito continetur, vt ne quis Præsidum munus vel donum caperet, nisi esculentum, poculentum, quod intra dies proximos prodigatur.* Si tamen aduersæ parti innotescant huiusmodi dona ex amicitiâ, suspectum illi faciunt judicem, & dant ius appellandi; quia ex Canonibus *periculosum est coram Iudice alteri parti amico litigare.*

Si munera conferantur, vt sententiam æquam litigans obtineat à judice, sic decernitur in l. 2. §. de condict. ob turpem causam: *Sed si dedi, vt secundum me in bonâ causâ Iudex pronunciaret, est quidem relatum, condictioni locum esse: sed hic quoque crimen contrahit: Iudicem enim corrumpere videtur, & non ita pridem Imperator noster constituit litem eum perdere.* Hæc postrema verba censet Nicolaus Dubois num. 519. à compilatoribus digestorum sub Iustiniano fuisse adiecta, nec tempore Pauli & Vlpiani fuisse adeò graui pœnâ castigatam largitionem huius generis, cui quod inest vitium, minus est à dante quàm ab acci-

Hh

piente: quia illi licet offerre judici pecuniam causâ redimendæ iniquæ sententiæ. Sed maximè tum peccatur à judice, cui incumbit ferre sententiam in illius gratiam, qui potior sit iure: & nisi leges obstarent, danti competeret repetitio, etiam si cutâ sententiâ iustâ: sed id vetat iam relata lex, cui plures accedunt: tamen si constaret judicem, nisi pecunia sibi numeretur, minatum fuisse iniquam sententiam, (quod leges vocant *concussionem*) competit danti repetitio, tum ciuili, tum naturali lege, quia ratio generatim rerum vi extortarum concedit repetitionem.

Apertum est ex superioribus, quid sentiendum sit tertiâ hypothesi, cùm largitio fit, iniustæ sententiæ obtinendæ causâ. Certum est vtrumque peccare, & magis accipienti quàm danti illud vitio verti: sed cùm ambo iniquè agant, danti legibus aufertur ius repetendi quod contulit. Cuius verò generis sit illud delictum, an contra positiuum, aut naturale ius; id rectè monet Nicolaus *Lubois* æstimandum, ex iure, in quo actio, vel exceptio illius fundatur, contra quem iniustè pronunciatur. Sicut cùm ius positiuum cauet, ne sententia, etiam iniusta rescindatur, à quâ non fuerit appellatum, vel quæ transierit in rem judicatam; quisquis pecuniâ emercatur prætermisso eiusmodi ordine sententiam, impingit in ius positiuum, quo vno nititur exceptio aduersæ partis, peccaturus in æquitatem naturalem, si illâ aduersarius muniretur.

Resolutio huius tertiæ difficultatis dirimit quartam, cùm vtrinque paris est probabilitatis ius litigantium: quidquid enim Diana, & alii, quos primâ parte retulimus, sentiant penès judicem esse libertatem pretio æstimabilem, fauendi cui partium voluerit; ac proinde nihil peccaturum contra ius naturale, si quid emungat ab eo, cui rem controuersam asserit; certum tamen est ex multis capitibus eum admittere grauem notam; quia licet gratis demus quod assumunt; certum est ipso judicis officio astringi obligatione partibus acquisitâ, quæ subinde inepta emptioni statuitur l. 45. §. de reg. iur. Præterea fateor eumdem Authorem, quamuis addictum Theologis aliud sentientibus, non concedere locum illi libertati emendæ: Nam præter quod leges, SS. Patres, & Canones seuerè prohibent, ne quid accipiat judex pro ferendâ sententiâ iustâ; etiam in causâ probabili vtrinque non video,

inquit, num 535. ea data hypothesi paris probabilitatis locum dari sententiæ pro amico, quæ sit pretio æstimabilis. Nam si actio sit recuperatoria, seu interdictum adipiscendæ possessionis cap. 65. de reg. iur. in 6. decernitur, *vt in pari causâ potior sit conditio possidentis*: Si verò actio sit personalis, seu capitis pro reo pronunciandum statuitur c. 11. de reg. in 6. his verbis: *Cum obscura sunt partium iura, potius fauendum est reo, quàm actori.* Censentur autem obscura, cùm par vtrimque est probabilitas; quia tum nihil occurrit, quod persuadeat pro vno potius quàm pro altero esse pronunciandum, vti decernit lex 47. §. de obligat. & action. cum ait: *Multum interesse, si quæras, vtrum aliquis obligetur, aut aliquis liberetur; vbi de obligando agitur, propensiores esse debemus, si habemus obligationem ad negandum: vbi de liberando, ex diuerso, vt facilior sit ad liberationem:* Nam cùm nihil occurrit, quod pro obligatione, seu actore fortius vrgeat, tum statuit lex 1. 5. §. de reg. *fauorabiles sunt rei partes, magis quàm actoris.*

Solum dubium esse posset interdicto retinendæ possessionis (cùm scilicet vterque contendit se possidere, vterque est actor & reus) tum enim, cùm nec de iustiori, nec de antiquiori alterutrius possessione constat, prohibent iura allegata iudicari pro amico, pecuniâ acceptâ; sed potius partes ad concordiam esse deducendas: vel si non dissentiant diuisione rei litem dirimendam esse; vel consulendos peritos; vel assumendos assessores, vt ex pluralitate suffragiorum decernatur. Denique tutius est iudicem à seipso, proprio motu, quàm ab extrinseco, pecuniâ acceptâ se determinare: quia sic obtentam sententiam rescindit l. 7 Cod. *quando prouocare non est necesse*, & subinde executioni iure mandari nequit.

De restitutione faciendâ, seu iusta, seu iniusta obtineatur sententia, nihil decernit Censura Pontificia. Quid tamen sentiendum sit, facile deduci potest ex iuribus allegatis: Et in primis certum est, si iudex pro iniustâ sententiâ ferendâ quidquam acceperit; ab eo qui causæ diffisus conatus est illum corrumpere muneribus; non sunt illi restituenda: Nec hoc voluit suâ Censurâ Archiepiscopus Senonensis, sicut illi imponit Nicolaus *Dubois*, vt eum carpendi occasionem arripiat: Neque ignorabat id prohibere legem 3. §. de condict. ob turpem causam his verbis:

Vbi dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, vt male iudicetur. Sed censuit sapientissimus Episcopus non posse munus retineri à iudice: quandoquidem si conuincatur donis corruptus male iudicasse, statuitur in casu Nouell. 8. cap. 7. *Hoc quod accepit extorqueri, & triplum pœna, atque officio priuari, & qui dedit mulctari amissione litis* l. 1. Cod. de pœnâ judicis qui male iudicauit: nisi vltrò, & antequam eum detulerit aduersarius, crimen confessus sit, *tunc enim quoad litis amissionem venia conceditur* Nouell. 124. cap. 2. Sed confessio hæc judicem non liberat, quin præter restitutionem ab ipso sponte faciendam, aliis pœnis puniatur. Si autem pro iniustâ sententiâ ferendâ promissum sit munus, non collatum, prohibetur exigere l. 1. & 5. Cod. de condict. ob turpem causam: Si tamen qui promisit, vltrò det, quod reuera dare non tenebatur, lex 8. eximit à restitutione faciendâ danti: Nec propterea, vt censet Nicolaus, potest tutâ conscientiâ retinere; sed largiendum est pauperibus, quo sensu interpretor Sinnichium & Archiepiscopum Senonensem, quos sugillat Nicolaus.

Illi verò qui dedit, ne contra se iniquè iudicetur, in causâ iustâ, repetitionem prohibent leges Ciuiles, quas seruandas esse, cùm nec legi Dei, nec Ecclesiasticæ libertati aduersantur, docet Calixtus 1. Epist ad omnes Galliæ Episcopos cap. 5. his verbis: *Quis dubitat leges humanas rationi & honestati non repugnantes esse amplectendas: præsertim, vbi vel publicæ consulunt vtilitati, vel Ecclesiasticæ dignitatis authoritatem defendunt*: cuius generis sunt leges, quæ etiam in causâ iustâ prohibent quidquam dari; ne hoc prætextu corrumpantur iudices: quia vt dicitur Exod. 23. *Munera excæcant mentes Sapientum, & subuertunt verba Iustorum.* Et ideo l. 7. cit. dicitur *venales sententias, quæ in mercedem à corruptis Iudicibus proferuntur, etiam citra interpositæ prouocationis auxilium, esse infirmas.* Nec dicas hæc iura restringenda esse ad sententiam in causâ iniustâ & improbabili obtinendam: nam cùm indistinctè loquantur, omnem excludunt exceptionem; etiam illius qui iustè litigat, ex eo Iurisconsultorum axiomate: *Legem quæ ob occasionem aut præsumptionem noxæ, factum aliquod damnat, si causam facti non distinguit, etiam non malo consilio facientem constringere.* Ideo Felix 1. Ep. 1. prohibuit

ne in causâ penitus dubiâ, certa ferretur sententia. Et hoc consentit Censuræ nouissimæ Alexandri VII. eos damnantis, qui pro huiusmodi sententiâ quidquam acceperint. Quod etiam Augustinus Epist. 54. his verbis damnat: *Cum iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur; multo sceleratius vtique pecunia sumitur: quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur; ille tamen solet tanquam male sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit; quoniam venale esse non debuit: Qui verò pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse.* Hæc Augustinus; qui licet de iniquâ, & de iustâ tantùm sententiâ agat, alios tamen duos casus dantis ex amicitiâ vel in causâ paris probabilitatis tacitè complexus est, & prohibet quidquam dari judici vllo respectu.

Postrema Censura, quæ vetat *retineri libros prohibitos cum eâ clausulâ, donec expurgentur, vsque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur*, notat Marchantium qui id permittebat, dummodò non legerentur; sed hoc est contra decretum Pontificis, & sacræ indicis Congregationis quæ fenius addit libros à se prohibitos eâ clausulâ, donec expurgentur, retineri non posse ab iis qui illos habent, & His decretis standum pronuncio. Hactenus absolui quod promiseram, Amadæi 125. Propositiones expendi, Summi Pontificis 45 Censuras confirmaui, vnum superest posteremo Articulo prosequendum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Summa Censurarum, quæ ab Alexandro VII. in varias Propositiones, & ab aliis in Casuistarum Apologistam latæ sunt.

NON potuit in vllius quamlibet morosi hominis mentem venire, quod non dubitauit Ioannes Launoius Theologus Parisiensis; mihi, autē verius D. Thomæ singulis ferè duarum Epistolarum, quæ volumen æquent, in me scriptarum paginis, nulla differentia nostram Ethicam à Iudæa & Gentili internosci distare quâcumque adhibitâ diligentiâ. Cùm contra si quid ex nostrâ

scriptione æquam Censuram subire possit, nihil occurrat illi opportunius,ea non solum accurata, sed etiam penè anxia & nimia sollicitudine, has vbique disciplinas distinguendi, illud discrimen præ cæteris locis sic vrgeo ex priore editione Sect 1.tum exordio, tum §.2. 1 art. vt meritò argui possim,eadem ferè pluries intra quatuor aut quinque paginas dixisse; varia tamen verborum formula & ab inexhausto S.Doctoris thesauro diuersa eruditione locupletata.

Paragraphvs Primvs.

Partitio Propositionum, vt Iuri, Naturæ & Gratiæ aduersantur.

Cognationem fidei cum lege diuina & Theologia, & harum cum ratione naturali, initio huius Operis explicui, quantum Præfationis breuitas patiebatur. Fidei pars est lex diuina, & Theologia quædam eius accessio. Fidem definiuimus rationem hominis Christiani, vti ratio est fides hominis. Vtriusque dotis duplex munus est, vnum ad veritatis inquisitionem,seu ad speculationem,alterum ad vsum & opus spectat. Hinc celebris & apud omnes recepta tum fidei, tum rationis in Theoricam, & Moralem diuisio. Hinc vtraque à Patre luminum, vti Moses è Monte ad nos delabitur, duasque tabulas, vnâ manu dogmata cognoscenda, aut credenda; alterâ implenda præcepta, seu iuris naturalis, seu diuini defert. Vnde quod primum præmisimus,elucet legem diuinam fidei, vti rationis synderesim, esse partem: nam quæ praxim spectant ratio & fides aliud nihil sunt quàm legis æternæ indictio,& notitia agendorum. Theologia consequitur veluti quædam fidei accessio, & vtriusque muneris adiumentum: credenda enim & agenda illustrat,& ex fidei articulis nouas elicit conclusiones quæ ad Theoriam aut praxim pertineant. Veri Theologi est (idque cumulatissimè impleuit S.Thomas) omnia harum veritatum genera complecti, & prosequi singula; hoc tamen discrimine, vt Theologiæ operæpretium sit, mysteria supra captum intelligentiæ creatæ posita, & officia supra naturæ vires solo gratiæ auxilio implenda docere: Quæ verò ratione naturali innotescunt, sunt veluti quædam Theologiæ accessio; ad illam spectat

rationem fidei subiicere, & fidem rationi est: adiumento. Id verò qua ratione præstet, iam insinuatum est. Theologia rationis rectrix & domina, & fidei ministra, per illa quatuor veritatum genera decurrit, eaque conciliat mirâ arte & sapientiâ. Si rationi eluxerit quid boni verique, approbat Theologia, & validius Dei testimonio confirmat: si quando aberret à vero, regula verbi Diuini emendat. Si quæ abstrusior ex illo ordine veritas rationem lateat, nec nisi multo studio, longo tempore comparari possit, adest Theologia, & compendio docet, quæ totâ viiâ antiquorum doctissimis inconcessum fuit & ignoratum.

Tria hæc beneficia, quarto augent fides & Theologia omnium maximo: rationem prouehunt ad altioris ordinis veritates soli Deo notas, quarum reuelatione nos dignatus est. Hinc D. Thomas profundissimè probat supra disciplinas studio parabiles, Theologiam; supra legem naturalem, Diuinam; supra rationem, omnino fidem exigi, quatuor nominibus, vt sint quasi robur, correctiorum & supplementum rationis, & veluti machina & vehiculum, quo ad altiora promoueatur. Confirmat enim quæ nota sunt rationi, & si quæ dubia sint, submouet; si erret, corrigit, & supplet, ac breui docet, quæ non posset magno impendio comparare. Nec satis est fidei, ac Theologiæ, tria hæc beneficia contulisse, vltimo omnium præstantissimo, à sorte naturæ ad altiorem gratiæ, & ad consortium diuinitatis transferr. Ad quid ista, inquies, longè repetita? Nempe vt inde constet censurarum Authores vtroque Theologiæ munere egregie defunctos. Primo Censurarum ordine, veritates morales primi ordinis naturæ corruptas à Doctoribus, cupiditatem hominum, magis quàm rectam rationem secutos, vindicant ab erroribus; & illis pondus addunt diuinæ authoritatis. Hæc Theologiæ accessio est, & munus infimum, & quasi aduentitium: summa & præcipua dos eius sunt mysteria credenda, & officia à Christiano quâ fide viuit, & ad filiorum Dei adoptionem assumptus est implenda: cuius generis sunt quæ sapientissimus Pontifex quæ supersunt censuris, acerrimè vindicat, contra laxitates nuperas grauiori damnatione dignas.

Ex Amadæi propositionibus ad ius naturale pertinent quæ de ebrietate, contumeliâ, homicidio, duello, de vsurâ, de furto, de mendacio, & de impuritate laxiores propagan-

rur:ad eandem classem referendæ sunt ex damnatis à Summo Pontifice 2. de duello 24. & 25. & 40. de speciebus luxuriæ, 42. de vsura: has omnes demonstratum est non minus rationi naturali quàm principiis Theologiæ aduersari, & à Philosophis lumen naturale secutis fuisse improbatas. Reliquæ omnes, seu ex damnatis à Pontifice, seu reiectis ex Amadæo iuri Ecclesiastico, & supernaturali gratiæ aduersantur, sicut multis toto opere probatum est, vt inde nouo argumento agnoscas Lector, quàm temerè scripserit Launoius nostram Ethicam nihil à Gentili differre; cum ipsismet vitiis, aut peccatis quæ improbant, aut quibus offenduntur, infinito interuallo distent: ab harum propositionũ discrimine, accuratius superioribus editionibus explicato, ista abstinendum censui, ne cum nauseâ Lectoris pluries vrgeam; quod in nobis ait morosissimus hominum desiderari.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Conclusio vindiciarum D. Thomæ à dotibus ipsius Ethicæ.

SEneca non minus Authorum seuerus, quàm motum Censor, in Ouidio illud carpit, quod *nesciat desinere*. Illud qualecumque vitii videbor incurrere, cum de D. Thoma eiusque Ethica pluries te conuenerim, erudite Lector, & huius argumenti finem visus iam fecisse, nondum inuenerim. Si hoc excusem à materiâ inexhaustâ, ex quâ semper noua occurrant scribenda, ineptus essem, quasi à me posset expleri & absolui: nec aduerterem de rebus optimis, parcè & sobriè agendum, magisque illarum ex breuitale desiderium, quàm ab vbertate & copiâ satietatem lectoribus relinqui oportere. Sed iustior erit excusatio, ab importunitate & morositate D. Thomæ æmulorum, quem cum insectandi, nec finem faciant, nec habeant modum, vix patiuntur nos ista adhibere, ad ipsius defensionem: neque enim conuenit insectatores nunquam à carpendo S. Doctore cessare, & nos ad ipsius defensionem languescere.

Plures eius Ethicam, obliquè quidam, alii apertè lacessunt: Amadæus priorem iniuit rationem traducendi S. Doctoris, cùm ea quæ docet de moribus pessima, gloriatur eius principiis consentire. Alii plus æquo volunt addictum

Aristoteli, nedum Platone postposito, sed etiam SS. Patribus penè neglectis, & ex illo potius quàm ex Euangelio regulas vitæ exscripsisse, & Peripateticum magis sapere quàm Christianum. Quidam contendunt rigidiora, alii molliora docuisse, de officiis vitæ humanæ & Christianæ: de dogmatibus verò periculosa, quæ ad hæresim vergant & trahant discipulos. Denique quid non sugillant? A capite ad calcem emendandum, & quamlibet aliam ab ea quam iniuit, methodum sibi gratiorem, & omnibus vtiliorem fore contendunt: verissimè dictum est, à nescio quo, ad emendationem, vel ad gloriam opus esse, aut acri aduersario, aut fido amico, qui vel vitia notent & emendent, vel conuitia refellant & purgent. Nihil horum defuisse Angelico Doctori, agnoscet, quisquis attenderit eius disputandi methodum, aut variam in Scholis fortunam, vt de Aristotele, extat eo titulo & argumento liber. Quamuis extranei deessent qui impeterent S. Doctorem, aut qui tutarentur amici, ipse sibi satis ad gloriã consuluit, eã quã suos libros digessit ratione, vt quæstioni præmittat argumenta, quæ sibi videntur validissimè conclusionem stabiliendam impetere, quorum solutione sibi vindicias paret. Sed vt de Bellarmino referunt, solemne esse hæreticis eius argumenta arripere, solutionibus omissis: eodem aduersarii S. Doctorem loco habent: argumenta quæ occupauit, in illum intorquent, responsiones verò magis tacent, quàm infringant. Neque illi defuerunt aduersarii acerrimi, ex antiquis Scotus, Durandus, Aureolus, ex recentibus Molina, aliique plurimi. Nec caret vindicibus ex antiquis Capreolo, Caietano, Ferrariensi, extraneorum Ægidio Romano. Has rerum vices mirari licet, diuisi sunt Theologi sicut Poetarum Dij:

Iupiter in Troiam, pro Troiâ stabat Apollo.

Sic ex antiquis, & recentibus, plurimi pro D. Thom. aut in illum militant & decertant acerrimè, & dubiũ relinquunt, vnde plus illi gloriæ, an ex aduersariorum insectatione, an ex amicorum & discipulorum accesserit vindiciis. De dogmaticâ parte, hoc breui spero me demonstraturum. Nunc Ethicam illustrabo duobus verbis, collatione diuersa & contraria obtendentium. Amadæus sibi consentientem passim inducit S. Doctorem: quo successu, istis disputationibus puto compertum: nihil dici posse aut cogitari magis

à veritate alienum, huius Scriptoris consilio: quidquid falsi docet (qualia sunt infinita & ferè omnia) capitaliter Angelici Magistri principiis aduersantur: quæcumque periculosa ipsius nomine munit, regulis ab illo assertis euertuntur. Atque id *pessimo generi inimicorum* nempe *laudantibus*, & obliquè impetentibus debemus; vt diligentius in illius principia inquisitum sit, eoque examine exploratum, nihil sanius, nihil ad societatem humanam, aut ad vitam Christianam salubrius & præstantius, præscribi potuisse eius Ethicâ. Atque hanc de primo insectantium genere, gloriam consecutus est, obscuriorem sine dubio futuram, nisi captatis ex illo suffragiis, ad acriorem eius mentis indagationem, nos coegissent.

At inquies, Aristotelicus magis videtur, quàm Euangelicus morum præceptor, & si aliqua fides Apologistæ sit, totam ferè suam ethicam videtur à Philosopho exscripsisse *bona verba*. Quæ ad hanc calumniam ex secundo æmulorũ genere, aperte aduersantiũ depromptam, valide depellendam, necessaria erant præsidia, ipsâ Præfatione ad totum Opus, & hâc vltima Sectione apparata sunt; Fides, Theologia, & lex diuina, naturam inter & Deum mediæ sunt, & iis dotibus & gradibus, veluti scalâ Iacobi, ex imo ad summum, è summo descendere licet ad imum: naturam instruunt, & ad Deum aut ad eius consortium, ad gratiam, D. Thomâ duce & interprete, deducunt & prouehunt. Si quid veri ad Theoriam, vel ad mores notum & compertum habet ratio, confirmat S. Doctor, ex fidei & legis diuinæ regulis, ac Theologiæ principiis. Sed cùm vt plurimum dubia sit, aut falsa, aut debilis, & omnino impotens, ad fidei mysteria dignoscenda, aut obeunda gratiæ munera, quibus salutem comparamus, & vitam æternam promeremur; S. Doctor dubia & errores semouet, debilitatem subleuat Dei verbo, & ad altiorem gratiæ ordinem ducit & attollit; vt iis omnibus officiis rationi naturali collatis Thomisticam Ethicam plane dixeris: *Saburram dubitantis rationis, falsæ & errantis remedium, obscuratæ lucem, debilis robur; & rotam ac machinam, quâ velutique Architectonicâ, ad sublimiorem sortem, & ad filiorum Dei adoptionem promouentur.* Quis post ista certissima Ethicam S. Doctoris dixerit totam ex Philosopho depromptam, & Hellenismum sapere magis quàm Christianismum?

Cur verò ex antiquis sibi delegerit Aristotelem, causam alias insinuauimus, quod ille à rebus fidei, sententiis, cæteris omnibus, & à Scholæ Methodo, cui se S. Doctor addixit, visus sit propius abfuisse. Is est communis omnium sapientum sensus, ne Epicuro quidem excepto, virtutem vnicum aut certè præcipuum hominis frugi bonum, fortunæ & corporis commodis, quibus vulgi errore felicitas affingitur, longe anteponendam. Hactenus antiqui omnes secum, & Euangelio consentiunt: sed de virtute diuersa statuunt. Epicurus contendit ad voluptatem referendam esse, quasi eius mancipium, nec iucundam, quia honesta, sed honestam potius quia iucunda: ita ex voluptate, quæ virtutis est accessio, dominam facit cui inseruiat. Stoici contra contendunt, virtutem non esse gradum ad voluptatem, nec ad quid altius, sed summum & fastigium, atque vno honesto, omne bonum circumscribi oportere. Sed his nedum vulgi, verum etiam sapientum erroribus depulsis, Plato & Aristoteles virtutem gradum esse contendunt, ad felicitatem in sapientiâ, id est, contemplatione Dei ex effectis, & dilectione constituunt: quo nihil verius, si ratio consulatur, & intra naturæ fines gradum sistamus.

Quid igitur mirum D. Thomam Aristoteli adhæsisse, eo vsque inoffenso pede progresso, cuius Ethicam Euangelicæ veritati propiorem, ad obsequium fidei promptum erat aduocare, & adiuncto gratiæ auxilio & lumine, naturam hominis instaurare, & ad filiorum Dei sortem transferre? Dum S. Doctorem vbique Aristoteli consentientem, id est, fidei cum ratione, gratiæ cum naturam concordiam ineuntem lego, videor mihi videre instauratum miraculum Elisæi ad vitam reuocantis puerum, ad mortui corpus, dum suum aptat, & os ori, oculos oculis, manibus ac pedibus componit. Ita S. Doctor, naturæ languentis morbos, & gentilis Ethicæ defectus, aut si quæ vitia inerant curaturus, finem vltimum quæ est prima Ethices cura, fini, virtutibus studio comparatis, infusas, honestati ex conuenientiâ naturæ ad bonos actus, aut dissensione à malis repetitâ ex rationali naturâ, vt præstat cæteris animantibus, honestatem Christianam, id est conuenientiam cum operationibus regenerato, & Filio Dei adoptiuo consentaneis, legem legi, vbique è regione opponit, & ex harum partium liga-

mine & cognatione, Ethicam informat Christianam. Hinc viderint Apologista & Launoius, an ex Aristotele Ethicam exscripserit S. Doctor? An inde deprompsit finem vltimum positum in visione Dei, quam ipse probat, supra omnis naturæ creatæ captum, vires, & vota positam? An à Philosopho didicit genus virtutum infusarum? An aliquo eius Ethicæ loco occurrerunt, quæ de lege gratiæ, de merito vitæ æternæ, de gratiæ ratione in consortio diuinitatis constituta nos docuit? Verum quidem est eadem methodo instituisse Ethicam, quæsito primùm fine vltimo, ex quo omnia vitæ Christianæ officia metiremur. Sed cùm toto genere differat Christiani finis vltimus, à fine quem suæ Ethicæ Philosophus statuit, necesse est discrimen ex finibus, in omnes Ethicæ partes, in legem quâ ducimur in finem, in virtutes quæ eò nos ferunt, in operationes, quibus comparandus est, omnino deriuari.

Sed dices hæc ignota SS. Patribus, quibus præ Platone, Aristoteles fere displicuit: iam monui, Aristotelem à Magistro, verbis quàm re magis differre; horum Philosophiæ Principum, Picus phœnix ingeniorum, de quacumque re etiam naturali concordiam parabat; sed immatura mors iuuenem ætate florenti præripuit, & posteris tantum opus inuidit. Certum est ad minus, nihil differre quoad finem vltimum hominis, & præsidiis virtutum ad felicitatem consequendam paratis; methodo tantū variant: oratoriam sectatus est Plato, didascalicam Aristoteles. Pari discrimine, quod Dialecticam inter & Rhetoricam ij ponunt qui illam manu contractâ, istam exporrectâ significant, quasi Theologiam positiuam, à Scholasticâ distinguimus. Cùm igitur SS. Patres positiuam Theologiam excoluerint, S. Doctor Scholasticam adornarit, nihil mirum si SS. Patribus Plato placuerit magis, Aristotelem secutus sit Doctor, & rationem fidei, naturam gratiæ subiecerit: vno verbo Ethicam Peripateticam Christianam effecerit. Iis omnibus puto D. Thomam quoad Theologiam Moralem, ab aduersariorum insectationibus & calumniis esse in tuto positum.

APPENDIX
DE REGIMINE ECCLESIÆ, & de verborum injuriis ex D. Thomæ ſententiâ ad Ludouicum Maræſium: Et eius occaſione ad Ioannem Launoium.

NON dubito, quin probi & pij omnes vicem meam doleant; quod litterariis concertationibus cum Catholicis Theologis, ab eâ felicitate exciderim, quæ mihi per plures annos cum Heterodoxis diſputanti contigerat. Nemo neſcit, quas inuehat corruptelas hæreſis eorum animis, quos inuaſit; quàm longe, ſibi obnoxios, ab omni æquitatis & pacis ſtudio abducat, eos etiam qui ad has bonæ mentis dotes naturâ comparati videbantur. Cum hoc igitur hominum genere, quorum bonam indolem corruperat, & prauam remedii fecerat impatientem Inſtitutio à Caluino ſcripta, & ab incunabulis ſuſcepta, per decennium, Monſpelii, Nemauſi, Caſtris, apud Montem Albanum, & in aliis locis hâc labe infectis, verbo, ſcripto, priuatis colloquiis, & concionibus, congreſſus ſum, & quàm potui acerrimè illorum errores confutaui: Nec vnquam à concertationibus ad conuitia ventum eſt: *Cum his qui oderant pacem, pacificè vixi*; denique hoc certamen non modo longum & arduum, ſed etiam fere pacificum certaui. At ea cum Catholico, & Theologo, cum Launoio, qui his titulis gloriatur, diſputantem felicitas me deſeruit, & contentio vtrinque (vt interpretari

iubet Charitas) veritatis ſtudio inchoata eò conuitiorum & contumeliarum deducta eſt, quò nunquam hæretici prouexiſſent; & quarum, illos ſaltem quibuſcum egi, puduiſſet; quia ſemotâ de dogmatibus diſſenſione, humanitatis & vrbanitatis mecum officiis contendebant; & vix vnquam nobis verbum aſperius excidit, quod viris grauibus non conueniret; ſeu ad iſta eos meo exemplo promouiſſem, ſeu ab illis hanc didiciſſem humanitatem.

Iam præſentio Launoium totam ſcandali culpam, & tantæ immutationis cauſam in me deriuaturum; quia vbique, *quaſi hominem vultus, ſtyli, animi, & manus inclementis me deformat; aliquid etiam inauſpicati & truculenti mihi affingit.* Si iis qui nec meos mores, nec me de facie nouerunt, fidem omninò non faciat, aliquam forte ingeret dubitationem: At quibus notus & exploratus ſum, iſta vel ridebunt, vel ſtupebunt, & mirabuntur à Theologo Catholico conficta; cùm nequidem per ſomnium quid ſimile ab hæreticis miniſtris audiuerim, aut paſſus ſim. Cauſabitur etiam me iuſtas & commeritas pœnas dare, & in meum ac totius familiæ noſtræ caput hæc probra aſciuiſſe, quod primus nullâ iniuriâ læſus, ſibique ignotus, ad certamen proceſſerim; quaſi neſciar, propriâ famâ & vitâ D. Thomam nobis longe chariorem eſſe, & niſi præſumat quod Seneca parentibus in filios tribuit, *ius iniuriæ* in omnes, & citra cuiuſquam offenſionem grauare, Angelicum Præceptorem potuiſſe erroris, nedum facti, ſed etiam iuris, aſſertâ Petro eiuſque ſucceſſoribus in totam Eccleſiam poteſtate, quam ipſe hæreſibus accenſet; putat ne huiuſmodi accuſationes nos poſſe æquis auribus ferre, quaſi ad nos nihil pertinerent?

Sed demus ita habere quæcumque mihi improperat male ominoſi vultus, peruicacis & temerarii hominis vitia; quî fieri potuit, ſi ſim adeò impotentis animi, vt diſputarim cum peruicaciſſimis & rixoſiſſimis hominum, ab illis didicerim, aut eos docuerim modeſtiam, grauitatem, nec inter acerrimas & diuturnas concertationes, deſierimus nos amare & venerari? Si ſuperſtes eſſet qui ab vno aut altero anno poſtremus deſiit viuere ex Charontinenſibus prædicantibus, teſtari poſſet me nihil confingere, & ſe mirari iſtam commutationem, quod noſtræ cum ipſomet, & aliis Collegis, ac Comminiſtris concer-

tationes, veram ac Theologo dignam modestiam & grauitatem præferrent, quæ modò desideratur in scriptis & disputationibus cum homine Catholico susceptis. Præteritæ & pacisi æ cum Ecclesiæ hostibus, quâ licuit per veritatis defensionem, & odium errorum, argumento sunt aliunde quam à me natam esse hanc stupendam rerum conuersionem, quæ deformari nequeat melius ad viuum, quàm illis Theophili Raynaudi verbis: *Nos lacessiri à Launoio criminationibus adeò aculeatis, vt nihil horribilius; adeò asperis, vt nihil atrocius; adeò ab omni veritate alienis, vt nihil ad calumniæ prodigalitatem desit.*

Verum nec immanitas tot contumeliarum in me, nostramque familiam congestarum, nec oppottunitas maxima in Authoris caput hæc probra detorquendi, immutare poterant propositum abstinendi à disputationibus cum hominum rixosissimo, qui nec modum haberet, nec finem faceret conuitiorum: Sed meo consilio nonnulli intercedebant, quod duabus Epistolis, & maxime postremâ, omnia humanitatis & æquitatis iura essent violata, grauissima nostræ scholæ & familiæ importata damna; quæ cum meis scriptis videar asciuisse, nisi ipsemet validè depellam, officio me defuturum, & mihi tot mala ad damnationem imputanda monebant. Ego contra, iis qui me ad scribendum vrgebant, instituti mei rationes reponebam; nimirum nedum vanas & inutiles, sed etiam noxias fore has concertationes, quibus mala inualescerent magis quàm curarentur: Addebam conuitia esse contemnenda potius quàm accuratè confutanda; quòd suo grauius Authori noceant, quàm iis in quos debacchatur. Deinde huius hominis scriptiones, si contumelias excipiamus, aliud nihil habere quàm effugia & sophismata, seu ludificationes, quibus decliner aduersariorum, aut quas obiicit difficultates, fallaciis fucet: & hæc duo vitia scriptionum per se grauia aliis maioribus cumulare. Denique ex horum exactâ confutatione nihil boni expectare possis, cuius causâ scribendi sunt omnino libri, aliàs ad infamiam apud homines, & apud Deum ad æternam damnationem imputandi; nisi nos ea doceant quæ iuuet & intersit scire, nisi ad bonam mentem Lectores stimulent & promoueant. Quam verò eruditionem speres à libris qui tantùm scateant ludificationibus, vbi diffi-

cultates arduæ prætermittantur omnino, & commentitiæ fallaciis vrgeantur? Quid præterea à conuitiis nisi odia disceptantium & omnium scandala existent? Hic vnus, seu editionis, seu refutationis operum Launoii futurus est exitus & fructus.

Nec dicas vlciscendas & in Authorum dedecus depellendas esse iniurias: nam vt omittam vltionis cupiditatem graui culpâ non carere; commiseratione potiùs quàm vindicta auctores iniuriæ prosequendos censeo, ex illo non solum Christianæ, sed etiam Ethnicæ Philosophiæ principio: *Neminem lædi nisi à seipso*, & qui iniuriam infert, grauiùs sibi nocere, quàm illis in quos sæuit. Rem ita se habere non dubitabit vllus, qui postremam Launoii relegerit Epistolam, his tribus partibus, effugiis, sophismatibus,& contumeliis compactam,quibus de inexhaustâ conuitiandi cupiditate sibi Author applaudit, & effugiis quasi legitimis responsionibus gloriatur. Fallacias loco demonstrationum reponit, nec sentit quæ sibi tot contumeliis inflixit vulnera, miserandus potiùs quàm confutandus.

Sed quas obtendebam causas, vt nouæ responsionis onus detrectarem, in me amici regerebant; nec posse me hunc laborem subterfugere contendebant, seu nostri, seu Lectorum, siue ipsiusmet Scriptoris rationem haberem: Pluribus imponi aiebant Launoii discipulis, qui Magistrum velut intrepidum & inuictum veritatis vindicem vbique prædicant: Deinde paucis nota esse tria,quæ annotaui, eius scriptionum vitia, ac proinde magni fore compendii, & necessarii omnino operis, si breui, quos nectit incautis,dissoluantur; & è quibus elabi nititur,stringantur nodis. Præterea magis ipsi,quàm Lectoribus profuturum, si pestiferam conuitiorum vim, quam in alios exerit, demonstretur in ipsum priùs & grauiùs grassari; Si denique tot sordes, quibus nos conspurcat, abstergantur.

Sed rursus obnitebar, hunc laborem frustra à me susceptum iri, nobis quidem & Lectoribus superfluum, & ipsi, cuius curationem suadebant, nedum inutilem, sed etiam noxium fore: eo loco esse Launoium apud omnes, vt effræni maledicendi licentiâ prorsus sibi fidem abrogarit, ipsum verò deploratum remediis quamlibet efficacibus in peius ruere. Superioribus scriptis satis cautum esse

aliis,

aliis, eorumque curatum malum: quod verò ipsum vrget auctorem, cum sit prorsus insanabile, nonnisi silentio & contemptu posse aliquantulum residere aut minui, responsionibus exasperandum.

In hâc sententiâ, primi propositi tenax, omninò conquieuissem, nisi ex Launoii amicis aut discipulis vnus, concione ad solemnem omnium Academiæ Parisiensis Ordinum supplicationem, habitâ, aduersum me grauiter expostulasset, quasi contra veritatis Catholicæ defensoris intrepidi, sinceri, & modesti (quas eâ oratione delineauit) partes peccassem, & Launoium (quem præfatione ad Lectorem *virum in paucis veritatis amantissimum* perhonorificè appellat), subiecisset omnibus imitandum, quasi absolutum exemplar Theologi, quod informabat. Seu amici, seu discipuli affectum hic Theologus Orator testatum voluerit, non improbo: eius etiam nomini Launoius, quâdam grati animi significatione, quam in me stylo ferreo exarauit Epistolam, consectauit; cum hâc ad calcem commendatione concionis, eâ sic tenuisse omnium oculos, atque animos, *vt postquam per tres horas dicentem audiuissent, per semi horam dixisse tantùm affirmarent.* Ipsi Oratori me plurimum debere fateor, quod in nostram Familiam eodem loco singularem præferat affectum; mihi etiam priuatim meæ Ethices primæ partis suffragio contestatum. Sed non potest ferre me 4. parte manuductionis pag. 139 Ecclesiæ hæresum & sæculorum victricis, perennitatem pluribus vinculis Petro, eiusque successoribus à Christo illigatam, indiuiduam fecisse cum illorum fidei incorruptâ confessione: & si feruidi Theologi ac vehementis Oratoris ardor, par in Launoii sensa studium, sapientissimorum Patrum animis iniecisset, de me actum erat: sed aliter visum est grauissimis viris: quorum humanitati & æquitati debeo, ne in Galliâ, vti nec Romæ vllam hactenus notam incurrerim: Et ne tanti beneficii ac voti reus memoriam ingrato videar animo seruare; non potui committere, quin ad Scholæ & Familiæ nostræ defensionem, & ad referendas nostris iudicibus gratias, aliquot ad huius Operis finem obseruationes adiungerem, quibus non tam Launoii nouis criminationibus, quàm Domini Ludouici Maræsii Doctoris Parisiensis expostulationibus satisfaciam.

Videbantur quidem satis eleuari silentio totius Academiæ, in grauem, sine dubio, contra me censuram exarsuræ, si cuius me grauabat Orator, vel suspectum culpæ & temeritatis habuisset. Sed cum illius iudicio & æquitati chariorem salute debeam à censuris immunitatem, non tam meæ innocentiæ tuandæ, quàm eius sapientiæ comprobandæ causâ constitutum silentium abrumpam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Duo scriptionis Launoianæ vitia aperiuntur.

MOrosissimos hominum Caluinistas Ministros, in me toto decennio humanos, ac conuitiorum parcos, ac penè nescios expertus, vix capere, nec satis mirari possum, adeò copiosum esse & prodigum contumeliarum Scriptorem Theologum & Catholicum: Neque enim videtur de moribus cuiusque posse certiùs statui, quàm ex eâ, cui se deuouit, & ex cuius regulâ viuit, Religione ac Fide. Nihil autem tetrius aut capitalius aduersum est Christianæ Religioni, linguæ vitiis, non quibuscumque, sed præ cæteris maximè exectabilibus, qualia sunt contumeliæ & maledicta. Horum nullam passus est ille Scriptor speciem in suo Opere desiderari: nam si Iacobus nos moneat eius, *qui linguam suam non refrenat*, *vanam esse Religionem*: qualis futura est illius, qui à nullo abstinet, quamlibet atroci opprobrio; & quod peius est, cum ista euomuerit, se nihil mali credat admisisse, adeò à conscientiæ morsibus alienus, vt sentiat sicut stomachum ægri, sic istâ maledictorum vomitatione suum animum releuari? Vereor ne his paucissimis verbis videar aduersarii statum habitumque, magis quàm vellem, ad viuum descripsisse. Sed vnde tanta conuitiorum copia, adeóque exæstuans cupiditas, vt cum desit etiam materia, eadem millies opportunè & importunè repetat, nec fastidium aliorum timeat, aut ipse vllam defatigationem patiatur, & ex labore vires reparet?

Lectorum animis pessimam ingenerare posset cogitationem illa inexplebilis opprobriorum fames, quasi qui illâ laborat, totus in maligno positus sit, & veluti odio, rancore, crudelitate, ac vindictæ studio compactus. Nonnulli

eò referunt, quæ in nos largissimâ profunditur tot maledictorum illuuiem: Verùm censeo illos prorsus falli, meque arbitror debere aduersarium ab hâc deterrimâ accusatione vindicare: licet enim suis scriptis passim quasi *monstrum horrendum, informe, ingens, manus, styli, vultus, & animi inclementis* me oculis Lectorum subiiciat; cogor tamen, vt gratiam pro tot probris reddam; præter recensitas innatæ crudelitatis, iræ, odii inueterati apud me commentitias causas, tres totidem minus noxias & veriores aperire, à naturæ scilicet indole, leui potiùs quàm malignâ, à præconcepta aliorum de se opinione; & à statu quo res suas deductas videt.

In primis sic naturâ & studio comparatus est Launoius, vt conuitiari perinde illi pronum sit & facile ac respirare, aut sputare. Prodiuitatem ad obloquendum de his qui sibi non assentiuntur, intendit & auget certa, nec omnino falsa persuasio, quæ à se scribuntur de suis æmulis, vix vllam fidem facere, aut repetire, ac subinde minus noxia esse, necnon venialibus peccatis accensenda: quæcumque euulgat immania & falsa: & nec cuiquam, nisi ipsi noceant, sat fuerit addidisse, *ista dicuntur Launoio Authore & Iudice*. His accedit postrema omnium, meo iudicio solidissima, cuius originem quærimus, fluxus conuitiorum causa, nimirum metus mali quod imminet, & ingenioso artificio auertendi cautela.

Hâc obseruatione puto me non solùm iudicium Lectoris, sed etiam Launoii beneuolentiam demeriturum; quia à deterrimorum vitiorum suspicione, odii, & vindictæ, aduersarium leuabo commutatione leuioris doli, quo non dubito gloriaturum. Quæcumque igitur importat flagitiorum & scommatum plaustra, in vnam refero vulpis, animantium astutissimæ, quam sibi fore putat decoram æmulationem.

Narrant historiæ naturalis Scriptores, vulpem insequentibus canibus appetitam & dentibus mox lacerandam; vt certam mortem effugiat, ex concitâ tum cursu, tum metu impendentis mali, aluo, quidquid potest fœcum & lotii putentissimi ascitum & collectum in caudam diffundere, & inde canes aspergere, eorum naribus intolerando fœtore obrruso, à se longius abigendos: vt quos velocitate cursus superare, aut viribus æquare non potest, astu vincat, & ab

illorum sese morsibus eripiat. Nihil hic opus interprete, sentiebat se aduersarius, hinc inde à Patre Nicolai Theologiæ celeberrimo Professore, à Patre Bernardo Guiardo eiusdem Facultatis Theologo Exprouinciali, acerrime appeti. Quid facto opus fuit, dum adeò graue periculum impenderet? ad vulpis artes confugit: & velut lolio, contumeliarum illuuie conatur aduersarios ab insectando arcere & deterrere. Illustrius huius doli exemplum & recentius quod à tribus mensibus contigit, subiiciam: in obsidione Cretensi, quæ totius Europæ ad se oculos conuertit, & expectationem orbis distinet, cum Turcæ sentirent se frustra tormentis & machinis bellicis, ac frequentissimis per murorum ruinam impressionibus, vrbis expugnationem tentasse; ad dolos conuersi, densissimo & teterrimo fumo ingesto, obsessos nihilo fœliciori euentu aggressi sunt: Ita cùm aduersarius se argumentis & viribus imparem sentiat, his, quos honoris causâ appellaui, fortissimis Athletis, tetriorem Turcico, contumeliarum millies repetitarum Tartareum fumum iniecit. Sed frustra sunt perinde hæ fraudes ac cæteri conatus. Itaque liberandum censeo aduersarium à turpioribus odii, vindictæ, & malignantis animi suspicionibus, vt eò confugisse armorum ad maledicta & scelera persuadeam, non tam maledicendi animo & infamiæ nostræ cupiditate, quàm metu propriæ & inscitiæ occultandæ causâ. Non puto, si sapiat, ab iis nostris piis cogitationibus & ex charitate profectis dissensurum: Cùm minuam quod subit ex propriis libris dedecus & ferè tollam quod inde in alios scandalum deriuatur & redundat: Quis non videat ad id primum quas aperui causas conducere; minus suo auctori probrosas, & minus etiam aliis noxias fore scriptiones, si demonstrem ex metu potius proprii dedecoris, quàm ex alieni libidine, & ex leuitate animi magis, quàm ex inueterato odio: denique ex inscitiâ, non ex meditatâ malitiâ fuisse profectas? Nec tam voluisse destinato consilio aliorum perniciem & æternam infamiam moliri, quam vel ex inconstantiâ animi, vel ex metu cadente in constantem virum, velut inopem consilii nesciuisse, aut non potuisse aliud agere, quam opprobriis fatigare eos, à quibus suæ famæ inter eruditos præuidebat excidium impendere.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Decas effugiorum Launoij de primatu Petri, & octo mendaciorum de eodem argumento, quæ nobis impinguntur, depulsio.

NE quis credat, quæ præmisi de consiliis aduersarii, & ad eius excusationem faciunt, gratis conficta, velim attendat Lector, illum nullo loco, saltem eorum libellorum quos expendendos suscepi, & qui in me scripti sunt, quid de primatu Petri, & de genuinâ interpretatione illorum verborum, *tibi dabo claues regni Cœlorum*, sentiat aperuisse; & quamlibet enixus sim, non potuisse eò adigere, vt suam mentem exertè proferret: quamuis à legitimo Catholicorum sensu abhorreat, Petro principatum in totam Ecclesiam fuisse collatum, etiam in ipsos Apostolos; vt acutè argumentatur Bernardus lib. 2. de consideratione cap. 8. quia ex ouibus Christi erant, quarum nullâ distinctâ, ac subinde nullâ exceptâ, omnes Petri curæ & potestati permittebantur; non tamen Origenis sensum moralem secutus est, quo vult Christum Ecclesiam astruxisse Fidei, aut Confessioni, quam Petrus primus omnium edidit suæ Diuinitatis: Nec cum aliis de Petro, quasi totius Ecclesiæ typo ad sensum metaphoricum & anagogicum se referre satis testatus est; quia cùm alicubi obiecissem, promissionis verba, quæ vnum Petrum ex patris, & ex proprio nomine, tum antiquo, tum nouo designatum spectant, illum resoluere metaphoricis interpretationibus: hoc inter mendacia sibi obiecta accenset, sicut pleraque alia quæ his similia accedunt; & nobiscum cum Bellarmino consentit, ad huius loci litteræ sensum non pertinere.

His ergo omnibus, quas nostrâ exercitatione accuratius expendo pag 410 interpretationibus reiectis, nouam inducit: ne Petrus, eiusque successores quidquam in aliorum partes iuris habeant, aut sibi vsurpare possint; censet vnum Petrum, eo loco exhiberi, quasi Apostolorum, & Episcoporum, vel etiam minimi Curati exemplar, ad quos omnes eodem iure, pro suâ sorte aut ditione, quæ

contigerit ex præscripto Ecclesiæ, aut ex Canonibus Conciliorum, dictum sit; *tibi dabo claues regni Cælorum, pasce oues meas*. Non est tamen ausus ita apertè pronuntiare, ne videretur Curatos perinde Episcopis, vti Episcopos summis Pontificibus exæquare:& omnibus pro numero ouium & amplitudine, quæ singulorum curæ creduntur, promissam & collatam Petro potestatem, summâ liberalitate impertiri, & Ecclesiæ regimen à Monarchiæ supremo gradu, ad infimum Democratiæ, aut saltem Aristocratiæ gradum deiicere, & Curatos in Concilia judices sessuros inducere, Romanumque Pontificem in ordinem cogere, ac iubere contentum esse portione ac ditione à Conciliis constitutâ, etiamsi Canonem 6. Concilii Nicæni ad mentem Ruffini, lib. 10. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. interpretemur, primatui Alexandrino vastissimas Ægypti, Libyæ, & Pentapolis regiones traditas esse, & Romani Pontificis Petri successoris ad suburbanarum Ecclesiarum angustias totam quâ pollet, potestatem esse redactam, quæ non magis ad Alexandrini, Constantinopolitani, & Hierosolymitani fines, quàm istorum in suburbanas Ecclesias Romano Pontifici creditas protendatur: Nec quidquam Petro, eiusque successoribus promissum aut collatum, quod intra metas huius interpretationis non contineatur; atque ita cuilibet Curato intra suam Parochiam, aut Episcopo intra suam Diœcesim, aut denique Patriarchæ intra suam ditionem, eiusdem iuris & plenitudinis potestatem contingere, quæ Petro promissa sit aut collata intra fines suæ portionis coercendam, vltra quos si progrediatur, non minus peccet, quàm si Curatus aut Episcopus vltra ditionem præscriptam sua pomœnia extendat.

Hanc esse Launoii mentem, si quis dubitet, aut ipse reclamet, inuicta suppeditat argumenta, quibus id euincamus, & hîc præsto sunt; id docent effugia quibus nostra argumenta eludit,& octo mendaciorum quæ sibi falsò impacta criminatur, depulsio.

Quæcumque hîc pollicemur, occupata, & ferè impleta sunt Apol. lib. 1. Sect. 2. art. 4. & exercitatione adiectâ ad calcem libri 5. Sed ne Launoii exemplum sequar, qui millies eadem repetit, nullo apice mutato, & seipsum perpetuò exscribit, Lectoris fastidium nouâ formâ leuem, & dispendium temporis aliquâ enitar eruditione redimere; Launoii ad nostra argumenta responsiones, seu for-

mam, seu rem, de quâ agitur, spectemus, in tripartitam recidunt diuisionem. De tribus potissimùm disputatum est: primùm de amplitudine potestatis Pontificiæ, quò maximè spectant, quæ aduersario obiecimus exercitationis pag. 430. & de sensu horum verborum, *tibi dabo claues*. Et pag. 420. de Traditione apud antiquos receptâ huius potestatis in omnes orbis diuisim acceptas Ecclesias, & lib. 1. pag. 154. de Romani Concilii, causâ Symmachi Papæ habiti, decretis. Deinde aliquid attigimus de appellationum iure ad sedem Apostolicam, in causâ Marcionis pag. 138. & Chrysostomi pag. 165. Ad harum quatuor quæstionum explanationem confirmata est pag. 425. distinctio summi Pontificis vt priuati Doctoris, & communis Ecclesiæ Principis. Plura sparsim aliis locis infra annotandis disputata sunt, de immunitate summorum Pontificum à legum humanarum seu Ecclesiasticarum potestate cogente, quarum tamen directioni ita subiiciantur, vt pro Ecclesiæ vtilitate illas immutare possint.

Nunc expendendum suscipio quâ ratione Launoius hæc exceperit argumenta: certè nihilo melius suas instituit responsiones, quàm Seneca vitam à mortalium plurimis peragi conqueritur, quibus totam perire ait, seu nihil agentibus per socordiam, vel aliud agentibus ex inconstantiâ animi, aut malè agentibus ex improbitate: vt his paucissimis verbis videar multo verius Launoii scriptionem delineasse, quæ tota decurritur, vel nihil agendo, quia innumeras difficultates tacet, implicatas fugit, & silentio se tutum fore putat, vel si respondeat, quidlibet aliud agit, & saltat extra chorum: vel si difficultatem agnoscat, nodum implicat, magis quàm dissoluat responsionibus, silentio aut digressione peioribus.

Hinc facile causas intelligo, quam concipit iræ implacabilis aduersus auctores qui sibi respondent; quæ etiam exardescat in Bibliopolas, qui illorum libros edant aut vendant: Nam præter quod vellet omnia præla suis lucubrationibus insudare: & cùm communem typici præli vsuram aduersariis eripere nequeat, tum suâ, tum amicorum operâ molitur, libri si venales sint, ne vendibiles fiant. His artibus nostram Ethicam quasi Turcicam & Iudaicam deformabat. Sed quid promouit? nempe vt à triennio in lucem data pro numero annorum, tres illius recenseantur

editiones. Id concoquere non potest, quæ vellet occulta esse suorum librorum vitia, innotescere: Nec dubitat quin primum omnium ea in oculos Lectorum incurrant; similia illis, quæ ex Senecæ tripartitâ diuisione vitam nihil, malè, aut aliud agendo absumunt: & quamuis id effugii genus à silentio perpetuum sit, & ex obiectionibus quas intactas reliquit, facile librum conficere possim, cum hâc inscriptione *Launoii Paralipomenon*: tamen si quid ex illo silentio arripiam argumenti, mihi ad mendacium imputat, nec aliâ refellit ratione, quàm solâ asseueratione, nullâ probatione, quâ me falsi vel minimè suspectum faciat.

Has omnes accusationes poterat à se in meum caput validè intorquere, si satisfecisset exercitationis paginæ 402. insertæ quæstioni, si falsò illi obiiciam Petri primatum negare, quem passim gloriatur se vindicare, cur non docet nos, quo iure illud statuat? quâ amplitudine? quibusque dotibus instruat? Et licet millies, quâcumque datâ occasione, id quæsiuerim, nusquam tamen potui apertam responsionem ad hæc tria capita elicere: nisi ad summum negatiuam, quid non sit, quid non possit, quid non habeat, & nusquam exertè pronunciet, quid reuera sit, aut valeat. Nec mirum, Scriptorem, qui totam vitam transegit vrgendis argumentis negatiuis, nolle nodos dissoluere, aiente aliquâ responsione.: Si quando prematur, nec primo effugio ad silentium locus sit, ita responder vt nihilo melior sit eius disputatio, quàm vita aliud præter institutum, aut male contra rationem agentium. Et ne quis me calumniatorem agere credat, aut ipse criminetur, ad liberandam fidem, effugiorum eius Decadem in tres classes diuisam eruditi Lectoris examini subiicio.

Exercitationis pag. 430. accurate expenderam genuinum sensum promissionis factæ Petro Matth. 16 & apertè euiceram, eâ contineri regimen Monarchicum in totam Ecclesiam Petro, vt Apostolorum & Pastorum Principi œcumenico, illigatam; ac subinde ad eius successores transmittendam: Sed nihil apud Launoium legi, quo vel minimum ea inuicta demonstratio Euangelica eleuetur. Quidni hoc silentium inter effugia primi generis reponam, simile vitio eorum quibus vita perit nihil agendo?

Dices forte quidquid habet virium illud argumentum

labefactari interpretatione Chrysostomi, & aliorum Patrum, qui promissionem illam dandi claues ad Petrum, eiusque successores non arctant, sed ad omnes vniuersim Pastores, vel minimos, & ad Curatos volunt pertinere. Verùm ea interpretatio ad summum inter morales recenseri potest, & à genuinâ & litterali recedere sic demonstro; non minus apertè Christus Petrum vt Principem, eiusque successores sollicitâ & ànxiâ designatione eo loco notat, quam verba Patris æterni Christum, dum ad aquas Iordanis, & ad montem Thabor inclamat: *Hic est Filius meus dilectus in quo bene mihi complacui, ipsum audite.* Atqui illa verba sensû genuino ad litteram designant tantum Christum vti naturalem Patris Filium; & Ecclesiæ Pastoribus nequeunt nisi quodam morali sensu adhiberi & aptari: quem sæpe Augustinus vsurpat, quâdam à corpore naturali Christi ad mysticum, ex regulâ Trichonii, translatione: Ergo interpretatio Chrysostomi, aliorumque, dum omnibus Pastoribus promissas Petro claues tribuunt, eodem loco moralium reponenda est. Consequentia euidens est ex primo argumento; quia non potuit Christus has promissiones strictius illigare Petro, vt Principi Ecclesiæ. Quare immeritò Launoius mendaciorum quæ mihi impingit catalogum hoc vigesimo primo absoluit ex paginâ Exercitationis 461. Quid verò excuset in controuersiâ de primatu Petri, interpretationes Patrum in verba, quibus ipse Christus spondet aut tradit Ecclesiæ regimen ad moralem aut allegoricum sensum institutas, obtorto collo ad litteralem trahere, & pro vnico ac genuino velle nos habere? Hoc non mendaciorum numero reponendum fuit, sed expostulationis non minus iustæ, quam si quis Arrianus verba Christo dicta à Patre quasi Filio naturali, ad adoptiuorum interpretationem, quæ in Pastores Ecclesiæ ad morum institutionem cadere possit, litteræ sensu pertinere contenderet.

Et si adhuc tergiuersetur aduersarius, illum vrgeo eiusdem generis 2. effugio: nisi ex Traditione Ecclesiæ illius loci sensus genuinus ad vnum Petrum, eiusque successores spectaret, immeritò Patres relati Exercitationis pag. 420. Prosper, Leo, & Gregorius Magnus, Hieronymus, aliique, principatum Romani Pontificis in totam Ecclesiam adeò apertè prædicassent, vt nihil habuerit Launoius

bene longâ disputatione, quo illorum testimonia elevaret. Quare illud silentium inter effugia accensendum est; & immeritò mihi mendacium ordine 10. impingit: quòd id obiecerim lib. 1. pag. 102. *Primatum Petri passim verbis tenus astruit, factis procul; imò totis viribus euertit*, quod cùm aliis argumentis, tum ex eius silentio licet agnoscere; Et quamuis reclamet: *Non sileo*, inquit, *sed passim loquor in Epistola ad Thomam Fortinum cap. 17. vbi eum Petri primatum recipio, & profiteor quem Constantiense Concilium & Martinus V. contra Hareticos vindicarunt*. Imo eodem loci euertis, cùm omnem illi negas supra vniuersam Ecclesiam potestatem; An putas ex Concilii & Martini mente, non aliam iure Pontificibus Romanis competere authoritatem, quàm Ecclesiis suburbanis contentam, nec protendi, quâ latè patet, orbis in Ecclesias saltem diuisim acceptas?

Eâdem arte 3. aliud effugii genus tentat contra lib. 1. Apologiæ pag. 154. argumentum, ex Concilio Romano sub Symmacho Papa, contestante, Pontificibus Romanis summam potestatem nulli creatæ obnoxiam competere tribus nominibus, primatu Petri, institutione diuinâ, & Ecclesiæ legibus. Hinc iussit Ennodii pro Symmacho Apologiam inter Synodi acta reponi: & his omnibus nomine torius Ecclesiæ Gallicanæ Episcoporum vnus, ex illis præcipuus auitus, Epistolâ ad Synodum scriptâ, assensus est, vti latè prosequor toto art. 4. paragraph. 10. Quid ad ista Launoius? Nihil dubitat Epist. 9. toti Concilio omnibus Galliæ Episcopis homuncio intercedere, & contestari id perperàm ex inscitiâ Traditionis & Scripturæ constitutum. Sed boni consulet Launoius sibi tot Patres, tot Episcopos anteponi, & hanc eius exceptionem inter effugia recenseri; quæ respondeant vitio illorum, qui partem vitæ transigunt male agendo: nec quidquam eius postremâ Epistolâ legi, quo illud audax responsum excuset.

Ad idem primum genus 4. Tergiuersationum Launoii, reuoco silentium, quod totâ Epistolâ religiosè obseruat contra distinctionem assertam summis Pontificibus priuatæ & publicæ personæ pag 425. & ita validè omni genere argumentorum munitam, vt nihil ausus sit contra mutire: Nec mirum, cùm eandem distinctionem sibi ipse

assumat, ratus fore opportunam multis, quibus grauatur refellendis accusationibus: quales sunt præ cæteris, quas inter mendacia reponit ordine 4. 5. 8. Cum enim sibi conscius esset priuatim, semotis testibus, reuera dixisse nihil Christiani in D. Thoma repperiri, & inter amicos hoc scommate in meam Ethicam lusisse, merito fratri Otomano inscriptam, quod tota Turcica sit, & Alcoranum spiret, hæc dicta priuatim iurat: Neque enim eam laudem captat probi hominis luculento prouerbio decantatam: *Is est* (seu tantæ est æquitatis) *quo cum in tenebris mices*, id est, ludas, seu ioco contendas, nunquam te decepturo. Laudem & famam sinceri hominis minimè ambit Launoius, versuti veteratoris, & vafri magis nomine gloriatur; ideo quæ certò iurare possum priuatim dixisse, paratus est cum anathemate, etiam si opus sit, publicè negare; quia fortè non abhorret à Lysandri consilio, *pueros ossiculis, homines iuramentis esse fallendos*. Quidquid sit, distinctionem priuati & publici hominis ab eo tempore desiit auersari, aut traducere quo sensit sibi necessariam, & datâ occasione statuit illam, depulso anxiæ religionis sensu, nostris accusationibus quasi Clypeum obiicere. Ad magis seria & publica accedamus.

Ius appellationis ad Sedem Apostolicam ex omnibus Christiani orbis partibus, tum Marcionis à Patre damnati Romam ad Pium huius nominis primum, & ab Apostolo Petro decimum Pontificem, tum Chrisostomi à Theophilo, aliisque Theologis iniquè vexati ad Innocentium I. confugientis exemplo pag. 148. & pag. 165. validè muniuimus, quasi inuictum præsidium potestatis Pontificum Romanorum in totam Ecclesiam. Quid ad ista Launoius? Argumentum ab appellatione Marcionis pertinaci silentio excipit: alterum ab appellatione Chrysostomi responsione silentio peiore vno verbo ex Chrysostomi Epistolâ ad Venerium Mediolanensem, & ex Palladio hâc vnâ voculâ nomine Chrysostomi, *scripsimus ista ad Venerium*, se profligasse putat; cum tamen meram esse [illegible]dificationem pluribus sit demonstratum § 11. loco cit. atque postremâ Epistolâ, cùm nihil dignatus sit Launoius addere primæ responsioni confutatæ; hunc de appellationibus locum duplici effugio, ex silentio, & ex præposterâ interpretatione verborum Chrysostomi & Palladii pronuncio corruptum fuisse.

Non agit sinceriori fide postremâ quæstione de alterâ dote pontificiæ dignitatis, qua Canonum directioni subijcitur, & subducitur à vi legum cogente. Innumera sunt quæ circa hoc caput peccauit aduersarius: primùm quidem nihil agendo, seu effugio silentii, cuius conuincitur pag 419. priore Epistolâ obiecerat, *me iuueniliter exultare verbis Diuini & Ecclesiastici iuris leges directione in auctores, & coactione in subditos agere*, quod putabat dictum *in Dei & Christi* dedecus; Ego contra id obiectum esse demonstraui ex inscitiâ Theologiæ, quia putabat legem diuidi in dirigentem & cogentem, quasi genus in duas species; cùm tamen ex regulis Logicæ diuisio sit subiecti in accidentia, & eiusdem legis duo munera inadæquata significet; quorum primum, nempe vim directricem lex increata in Deum, coactricem in solos homines & Angelos exerceat. Miror hoc loco non esse improperatam nobis Aristotelis philosophiam; sed cùm recepta sit ea diuisio apud omnes Theologos, non nostro, sed suo voluit aduersarius pudori parcere, effugio ad silentium quod 7 loco adhibet lib. 1. pag. 141. vbi ex Caietano plura annotauimus subtilissima, potissimùm eam distinctionem quæ passim valet de Sacramentis, iudiciis, & pactis, validè interdum & licitè simul, interdum validè & illicitè peractis; eâque distinctione interpretatur Caietani, Damasi, & Pij primi dicta, negantium se posse res ab aliis judicibus constitutas illis, inconsultis, ad iudicium iterum reuocare; & si id tentarent, facturos quidem ex plenitudine potestatis non iustitiæ. Hæc & similia, quæ illis locis explicantur, sensit Launoius validiora esse, quàm vt leui brachio (sicuti solet semper pugnare) deiicerentur: Ideo cautè ab illis lacessendis abstinuit, ne inscitiam, aut suorum argumentorum infirmitatem nouis experimentis confirmaret. Si vellem fimbrias & philacteria dilatare, possem ex eo vno loco adnotare Decadem integram effugiorum; sat fuerit id septimi tantum numero recenseri.

Postrema quæ ex promissâ Decade supersunt, superioribus longè sunt grauiora, 8. itaque ordine effugium repetitur à comparatione Pontificiæ dignitaris cùm politicæ Exercitationis pag. 419. vrgebam aduersarium ex Caietano, leges Ecclesiasticas & Canones Conciliorum eodem

esse loco in diuinâ Hierarchiâ, quo ciuiles in vita humana & politica: Nec minus legitimâ potestate sacros Pontifices quàm Principes Seculares pollere, ac proinde vel vtrosque iis humanis legibus obnoxios esse, quoad vim dirigentem & cogentem simul, vel vtrosque ab hac saltem postremâ subduci oportere. Quid ad hanc comparationem aduersarius? illegitimam esse contendit, & putat omnino euerti cum Caluino lib. 4 instit. cap 11. §. 9. his Christi verbis Matth. 17. *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Vnde animaduersioni 14. hunc titulum inscribit: *Frater Baro vt suis & curia studiis ac placitis seruiat, Christi Ecclesiam in statum sæcularem transscribit.* Quâ verò de causâ? *Quia Christus*, inquit, *pronunciat, Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic: at Baro scribit eodem gradu summos Pontifices Ecclesiæ, quo Reges regnis suis præesse quasi decreret; Reges gentium dominantur eorum, vos etiam sic.* Et deinde exclamat: *Quæ in Aristotelico Barone peruersitas? Quæ improbitas? Ecclesiasticum regimen cum politico confundit.* Ad populum phaleras, istis ludificationibus imperitis admirationem, risum doctis, piis commiserationem sui mouet: Nonne legit Bellarmini solutiones duas lib. 5. cap. 10. de Summo Pontifice his verbis; Christum monuisse Apostolos à se, non quasi meros Principes Laicos institui, qui Regum & Dominorum, non Patrum & Pastorum more subditis præsint; & tyrannicum prohibere, non legitimum potestatis vsum? Interpretationem consentaneam esse instituto Christi idem auctor demonstrat proprietate verborum græcorum, quia apud Matth. non dicitur Principes κυριεύουσιν αὐτῶν sed κατακυριεύουσιν id est, violenter dominantur: quod eodem verbo prohibet Petrus 1 Epist. cap. 5. *Non dominantes in Cleris.* Ergo hâc monitione Christi semouetur fastus, violentia, quâ, vt plurimum, solent Principes seculares dominari; at nullo modo legitimæ potestatis vis resoluitur aut imminuitur: Ergo Principibus Sacris non minus solida & integra quàm Laicis constat: Et si istos aut nolit, aut nequeat Launoius iure legum ciuilium coactioni subiicere, immeritò illi obnoxios facit supremos Ecclesiæ Principes, aut saltem his Christi verbis non potest verisimiliori consecutione id conficere, quàm hæretici Ecclesiasticam potestatem hoc loco resoluunt, &

labefactant: nisi aliud proferat discrimen quo has potestates distinguat, nos inconditis eius clamoribus non terremur. Interim hâc responsione demonstrat Launoius, se Christianum & Theologum longissimè abesse à Taciti profani Scriptoris præscripto *inter deforme obsequium & præruptam audaciam* sapientibus medium iter esse tenendum. Quis verò non videat ab hoc laudato temperamento immane distare, & in Summos Pontifices præruptam audaciam spirare: Faxit Deus, ne difformi obsequio Principes Laicos prosequatur: Neque enim suis scriptis medium illud à sapientibus positum hactenus seruare nouit. Si de intimo animi, sensu liceat ex scriptis iudicare; profectò morosis ita dat locum se sugillandi quasi Principes Laicos toti Reipublicæ comparatos nolit partis ad totum rationem inducere: Nec quæ indè consequuntur, officiis subiiciat; sed omnia ad se quasi ad vltimum finem doceat referre. Heu palpatorem periculosissimum! quem ipsimet Principes, quos his pessimis artibus se demereri putat, execrabuntur quasi peiorem quolibet Aulico corruptore Theologum.

Sed longius à vero aberrat animaduersione 8. qua frustra nititur hunc nodum vindice dignum dissoluere, quo sic constringitur pag. 407. vt quamlibet obnitatur, animam priùs sit acturus; quàm indè elabatur. Sic enim vrgeo, non minus aliena aut remota est à legibus Ecclesiasticis & Conciliorum Canonibus inducta, sanctione Leonis X. & Francisci I. ad Sacerdotia Ecclesiastica electionis immutatio, quàm à potestate ordinariâ Episcoporum immunitas Cœnobitis, aut quibusdam Clericis collata, auctoritate Pontificum; ac proinde vel vtraque damnanda est, vel vtraque honestanda: Atqui non improbas (aut id non præ te fers) quasi illicita sit, Pontificiâ authoritate, & Regiâ, Canonicæ electionis immutationem. Ergo ferendæ & probandæ tibi sunt immunitates Monasteriorum & Clericorum; vel damnanda est noua electionum forma. Hic nodus vindice dignus dissoluendus erat Launoio, & ne suis veteratoriis artibus illum dissimulet, sic stringo: Si quid vitii insit immunitatibus Monasteriorum, quæ Pontificia simul ac Regia authoritas subduxit ab Episcopis, quorum Diœcesibus continentur, id non aliunde contrahunt, quàm quod differen-

tiant à legibus Ecclesiasticis, quas nequeant Pontifices saluâ conscientiâ & validè immutare: Atqui antiquæ electionis ad Sacerdotia abrogatio, & noua suffecta, non minus ob antiquis Conciliorum Canonibus recedit, quàm priuilegia Clericorum, vnde illis est aspersa macula indelebilis Romanorum Pontificum auctoritate: Ergo vtraque eamdem subitura est damnationis vel probationis sententiam.

Ab his nodis & salebris, cùm nullum patere exitum sentiret Launoius, argumenti vim silentio, quia loquacitati locus non erat, conatus est resoluere, & intempestiuè interiectâ reuerentiâ in Regem, atque a fucato quasi ex machina numine, vt in extremis posito succurrat, ait, *à Leone X. cum Francisco primo Rege Galliæ concordiam initam de Sacerdotiis, sublatâ Canonicâ electione, conferendis; non tam sibi obiici, quàm Regi nostro Ludouico XIV. qui memorata Regni, & libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta duo, nuper publicâ sancione confirmauit; & in supremarum Curiarum tabulas referri iussit.* Et tandem quasi insultans addit: *Sic Frater suo iudicio prudens & acutus, Regem per latus meum ferit: sed Rex potentissimus pugionem facile retundet; quia plumbeus est: Ego tamen ictum minimè declino, sed me totum inter Regem & Baronem interpono, & interponerem, etiamsi pugio ferreus aut chalybæus foret.* Ita animaduersione 8. pagina 416. & se in tuto positum sub tanti nominis clypeo putat.

Demus ista, si veteratorem & aulicum adulatorem postposito sinceri Theologi munere agere lubebat, suâ laude aut mercede non carere, aut saltem immunitatis spe, quam officio anteponit. Sed quid ad rem? Quid ad nostram Disputationem, cuius in hoc positus est cardo, quid discriminis sit inter has duas Canonum immutationes? Et cùm velit nodum indissolubilem esse potestate Pontificiâ, censet Regiâ expediendum, à quâ instituta est immutatio quam Pontificia fœdasset citra regiæ accessum. Sed vt omittam illud consortii genus multis Monasteriorum priuilegiis, maximè Sancti Maximiani non deesse; hoc à Launoio expectabamus, vt sublato primatu Romano, simile Anglicano apud nos sufficeret; Nisi id enitatur & conficiat, patiatur suam

responsionem acccenseri inter effugia aliud, & male disputantium. Quid tertius, quid Hierarchiæ Ecclesiasticæ perniciosius potuit eâ exceptione adulatoriâ excogitari? Longam per plures paginas de illicitis immunitatibus Monasteriorum & Clericorum texit orationem coacervatione eorum, quæ per plures dies & audientias à duobus disertissimis Aduocatis decantata sunt; his omnino tacitis, quibus ab vno supra ætatem eloquenti & maximæ spei, quam hac actione impleuit, patrono, validè confutata sunt, à quibus referendis supersedere monet me grauiter læsa modestia & æquitas ab aduersario, qui ab aliis pronunciata non potuit hîc colligere, sine suspicione furti alieni boni, aut improperio tacito hæc omnia suo marte inuenta precariò ab eloquentissimis & iuxta doctissimis viris vsurpata, & mutuò fuisse suggesta; quasi non possem nisi eius ope hanc causam perorare: has suspiciones ipsemet auxit, quia cùm illi priuilegia infectarentur, in eminenti loco omnium sese oculis subiecit, hilaritate vultus contestaturus quæ dicerentur à se quasi à promocondo venerandæ antiquitatis suggesta: & cùm æquo animo ac vultu immutato audire non posset suorum inuentorum confutationem, nostro Patrono orante, se omnium oculis subduxit.

Sed quidquid sit, intactum suâ longâ dissertatione nodum reliquit; & post molestissimas ad alia excursiones illum vrgêmus dic *de tribus Capellis*; & edissere quod vnum ad rem facit: affer, quid discriminis sit inter has duas à Canonibus perinde apertas dissensiones: nec aliud præsidii aut effgii superest, nisi vt in Schisma Anglicum delabatur, & Regiam potestatem iuribus augeat in Ecclesiasticas leges Pontificiæ negatis. Nec huic Theologo id insolens quis putet, cum iisdem nuperæ Theologiæ & Aulicæ potius quàm Christianæ regulis, ius congregandi Concilia Regibus confert, & negat Episcopis ac summis Pontificibus. Quis non credat, aut hanc vehementem ab animo suspicionem amouere possit, illum aliquod cum Hæreticis occultum fœdus pepigisse, rem Christianam profligandi, adeò absonâ opinionum licentiâ, vt legum Ecclesiasticarum ex suâ mente inconcessam Pontificiæ, & illicitam immutationem honestet consortio secularis & politicæ authoritatis?

Nec

Nec eo solùm loco cœlum terris miscet; occurrit aliud effugium ordine 9. quod has suspiciones confirmat; eâdem animaduersione & serie verborum, quâ alteram ex nostris obiectionibus excipit, eos qui summi Pontificis supremam in Ecclesiâ potestatem conuellunt, perdendis quoque Regibus ac euertendis sceptris viam munire: hanc, inquam, accusationem omni genere argumentorum, quæ suppeditare potest ars disserendi, nube testium, seu longâ inductione exemplorum, & probatione à causis & ab effectis inuictam effeceram; & cùm aperto marte non posset illam impetere Launoius, variis artibus conatus est eleuare & eludere. Mitto primam exceptionem, aut potius ad Appendicis calcem differo, quâ vnius furiosi parricidæ sacrilegium ab omnibus damnatum, contendit potestati politicæ magis esse noxium Ambasianâ conspiratione Caluinistarum in Regem, & post pacem decies assumptis armis: vt taceam quidquid à trecentis annis Hussitæ in Boemiâ, duce Ziscâ, quidquid Luterani & Anabaptistæ, in Germania, & per totam Europam bellorum & incendiorum in vtramque potestatem sacram & politicam conscíuerunt, quæ nulla illi videntur præ vnius scelere. Sed paululum dilato hoc adeò præpostero iudicio, siler Launoius ad exempla inuictaque argumenta, quibus ea grauissima expostulatio confirmatur. Quid etiam aliud illi superetat effugii, quàm à silentio ad longam illam seriem tot hæreticorum, ex quibus nullum reperire erat exemplum, in potestatem Pontificiam per hæresim rebellium, qui Regiæ pepercerint? Vnde dissimulandum illi fuit luculentissimum quod affert Coëfetæus, præfatione in libros pro sacrâ Monarchiâ Iacobi Scotiæ Sexti, & Angliæ primi Regis, testimonium ac documentum suo Basilico δώρῳ ad filium infœlicissimum, quem frustra periculi, quo oppressus est crudelissimè, monuerat: non aliunde impendentis quàm ab odio hæreticorum à pontificiâ potestate ad Regiam vsque progresso?

Si istud primum à longâ inductione exemplorum nihil moratus est, & solo silentio excepit, aut digressione silentio peiori, argumentum; cur aliud subticuit è re ipsâ natum, ex prauâ Scripturæ interpretatione arreptum, quod elegantissimè & acerrimè prosequitur ipse Coëfetæus? Cùm hæretici Launoio consentiant promissionem

summæ potestatis Ecclesiasticæ tot vinculis seu designationibus nomini Petro vt Principi & Monarchæ sacro, eiusque successoribus illigatæ eodem iure protendi ad minimos Ecclesiæ Ministros, ac subinde Ecclesiasticum regimen Democraticum, sublato Monarchico, institutum à Christo fuisse contendant, & in Ecclesiam inductum. Hunc præ cæteris inferunt eligendum, & conculcatâ Monarchiâ, si Euangelici esse velint, Regnis & Rebuspublicis esse constituendum; Atqui ex eâ interpretatione pollicitationum Christi velut è Monte Vesuuio erupêre, & in capita Regum conflagarunt bellorum incendia, quibus tota Europa vastata est: & ad ista tacet Launoius. Quis credat illum ex animo execrari quæ ex illo principio velut agmine facto prodierunt Regum & Sceptrorum excidia?

Certè vix excusare potest, aut aliquâ arte eleuare decimam & postremam huius ordinis expostulationem, illum capita coronata obiectare furori hæreticorum & rebellium, qui censent se obsequium & sacrificium Deo præstituros, si Reges in ordinem cogant, suisque non minus legibus quàm Summos Pontifices cogenti vi Canonum subiiciant, abdicatione aliisque pœnis etiam capitis castigandos. Nec deerunt illis ex Euangelio, quibus hunc furorem defendant argumenta; si constet subesse promissionibus Christi (quem vnum genuinum obtendit aduersarius) eas passim & indiscriminatim ad quoslibet Ecclesiæ Ministros pertinere, sensum certâ fide Catholicâ tenendum. Et quamuis ipse animaduersione 14. & sequenti totis viribus huic periculosissimæ consecutioni obsistat: adeò tamen impares sunt tanto malo auertendo, quos opponit aggeres, si quæ vrgeo, obtineant Ecclesiam Christi in statum secularem transscribendam esse; vt non immeritò inter effugia reponam, quia ipsamet quæ ex Caietano in caput 20. Matth. aliisque Authoribus præsidia astruit, quam timemus perniciem festinant, potius quàm amoliri possint. Caietanus quidem commentario in locum Matth. hoc ponit discrimen inter Pontifices sacros & *Principes gentium dominantes eorum*, seu, vt interpretatur, *pro eis*: vt isti dominandi potestatem ad suum commodum, quasi ad finem, seu ad ostentandum principatum, referant; nec se ad bonum subditorum, sed verius subditos suæ vtilitati ac voluptati natos, quasi immotam re-

giminis politici constitutam legem, arbitrentur : Sacri verò Pontifices se velut salutis subditorum Ministros credant & gerant. Quid verò inde Launoius deducere possit, nisi apertam tyrannidem, quam, nedum Christiani, sed etiam Philosophi, & ipsemet Aristoteles, quem opportunè & importunè eodem loco traducit, execrantur; ac proinde longe æquior & sanctior sit politica Aristotelis, quàm Launoii, qui nihil dubitat, si locum Caietani ad suum adsciscat patrocinium, iuribus legitimis politicæ potestatis accensere deterrimam omnium corruptelam quâsibi illius compotes persuadeant, omnia ad se, tanquam ad finem esse referenda; quod ipsimet Ethnici abominantur, quasi certam totius generis humani perniciem?

Nec tria quæ ex Innocentio III colligit eâdem animaduersione testimonia, eius fauent consiliis, cùm expressimis verbis summos Pontifices Ecclesiæ iudicio subiiciat hæresis tantùm compertos, & in illâ pertinaces.

Atque hinc conuelluntur quæ animaduersione 14. in me congerit à Ioannis XII. abdicatione, impulsore Othone magno, à Concilio Romano sancita & inflicta hâc potissimùm de causâ (vt expressis verbis contestatur apud Luithprandum Diaconum Ticinensem lib 6. cap. 10.) *Quod veluti Iudas venditione Christi, suis sceleribus etiam citra hæresis crimen, à potestate ligandi & soluendi excidisset*, quod apertam Donatistarum hæresim resipiebat. Si Launoius hunc Auctorem aut Coëfetæum, potius quàm Mornæum, aliosque Scriptores hæreticos consuluisset, forsan abstinuisset ab accusatione, quam mihi impingit num. 5. sub his verbis : animaduersione 15. pag. 519. *Quæ ex me refert prætenta, etiam à quibusdam Episcopis Synodi manifesta Donatistarum hæresi, ad abdicationem ænigma latere quod ipse non intelligit explicandum à Fratre Barone, cùm voluerit gryphos suos apertius dissoluere.* Interim me orat atque obtestatur, *vt scribere in ænigmatibus desistam. Non enim*, inquit, *omnes possunt capere, quò pertineant obscurationes & ænigmata somniorum, quæ vt anus deliria mihi fingo, & mihi quoque deinceps illud εὕρηκα mecum reputanti meos inter Collegas maximè applaudo.*

Obscuri styli vitium mihi animaduersione 7. num. 2. & 3. improperauerat, occasione cuiusdam responsionis ad argumentum quo supinitatem D. Thomæ, testimoniis

Cyrilli aliorum fraude decepti, trahebat in calumniam doctrinæ quæstionis 10. art. 10. & quæst. 11. art. 2. quibus asserit crimen hæreseos idoneum esse & dignum Principibus suâ dignitate abdicandis: Et ego reposueram hæc verba, nullam esse obiectionem, nisi velit Launoius suis censuris ius diuinorum præceptorum asserere, vt qui in vnum peccarit, reus omnium fiat: Hanc responsionem sic excipit *præter vnum Baronem, qui intus sibi canit, nemo id assequetur vnquam: Etenim in oratione meâ nihil est prorsus quod responsionis genus illud postulet, relicto disputationis spatio euagatur longius, atque emota mentis exhalatione sese alienat.* Tertiam eiusdem generis de obscuritate styli arripit ex lib. 1. Apologiæ pag. 134. quod verbis Cyrilli à D. Thoma catena aurea in caput 16. Matth. relatis, *secundum hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione & hæreticâ circumuentione manet immaculata.* Addideram, *digna sunt plane verba Legato summi Pontificis; quas partes in Ephesino Concilio Cyrillum sustinuisse probauimus:* quem locum obscuritatis arguit, cùm tamen sit apertissimus.

Quamuis aduersarius vno loco facilitatem in scribendo mihi concedat, & velit me *disputare expeditè, magis quàm concitatè* (si verbis permittat me Senecæ vti) *vt possis dicere facilitatem esse, non celeritatem*; tamen superiori disputatione aliqua latinitatis vitia contra Grammaticæ regulas obiicit, quæ depello Exercitationis art. 3. 5. primo; posteriore Epistola ex nonnullorum imperitorum opinione, mihi obscuritatem improperat, quam nolim omnino deprecari: sed prorsus iniuriâ ænigmatis arguit loca relata; cùm ita manifestus sit illorum sensus, vt citra arguentis imperitiam nequeat ea nota saltem his locis inuri; & è duobus vnum iam deleuerim nudâ mei sensus interpretatione. Quid enim clarius prætexta à iudicibus Ioannis XII. hæresi Donatistarum; cùm illam expressè obtenderint ad legitimi, licet aliàs impurissimi Pontificis, abdicationem? Nec contra stant quos ex Ordine Prædicatorum illustres refert viros numero sex: Quamuis enim agnoscerent Ioannem XII. Sedem Apostolicam immanibus sceleribus conspurcasse; non tamen dissentiebant à Baronio & ab Auctore perpetuæ de Eucharistia Fidei, damnantibus Ottonem, & Episcopos Concilii Romani zeli præ-

posteri; quem non excusat defensio Launoii numero 4. eiusdem animaduersionis his verbis exarata; *Quis sana mentis crederet, maluisse Christum ad liberandam ab scelerato Pontifice Ecclesiam, Diaboli operâ, quàm Episcoporum Synodo vti? Non alii quàm Barones istud tradituri sunt vnquam, vel inde probaturi Romanum Pontificem Ecclesiæ legibus non subiacere.* Egregiam sane defensionem! Quid si Principem subditos opprimentem operâ diaboli Deus tollat? putat-ne propterea maluisse Deum populos liberare Comitiorum generalium status sententiâ, à quâ ipsos eximit; cùm multò certius sit supremam Ecclesiæ potestatem à nemine iudicari, vnâ exceptâ causâ hæresis? Quid ergo dicturus esset, si interuentu dæmonum pessimum Principem, quos adhibuit interimendo Ioanni XII. de medio tolleret? An locum esse putaret suo criterio? Sed parum curat Launoius, in se validius argumenta detorqueri, quibus impunè apud imperitos sperat lacessitum iri potestatem Pontificiam? Fraude etiam occultat, quod obieceram, Ioannem XII. non ob solos Canones Ecclesiasticos violatos, sed etiam ob iura naturæ pessundata, minus iniquæ sententiæ abdicationis locum dedisse; quod non fuerat tacendum exactius disputanti Theologo; sed hanc laudem non ambit aduersarius, contentus suis fraudibus incautos decepisse.

Non magis æqua est altera accusatio obscuritatis ex animaduersione 7. nec excusari potest citra pudendam Theologo inscitiam, & manifestam fraudem Dialogistæ, omnes disputandi leges ad suum commodum inuertentis. Nam vt omittam eâ responsione satis apertum assumi discrimen diuinorum præceptorum, à scientiarum dogmatibus & principiis, quod cum illa ad vnam charitatem referantur, eius dominio diuinam bonitatem creatis omnibus bonis anteponente, velut indissolubili vinculo indiuidua fiant & vinciantur; nec ex Iacobi regulâ, vnum violari possit, aliis illæsis, quorum peccator reus fiat; at principia scientiarum ab eâ cognatione sint ita exoluta, vt in vnum impingi possit, aliis omnibus saluis: vnde inferebam ex receptâ apud omnes peritos lege, etiamsi D. Thomas peccasset delectu & interpretatione testimoniorum Cyrilli, nullam inde calumniam importari posse in doctrinam ex 2. 2. quia licet ius Pontificiæ dignitatis

contentum verbis Cyrilli stet, nullâ necessitatâ vel etiam probabili consecutione inde inferri potest, ius illi competere deponendi Principes in hæresim lapsos, & hoc apertè præfert mea responsio. Quid ergo obscuri habet nisi calumnias captanti? Adde magis debilem esse consecutionem Launoii, systemate constituto, D. Thomam deceptum tantùm quoad facti quæstionem: quasi ex Cyrillo putauerit deprompta esse, quæ illi falsò affingebantur à malè feriatis hominibus testimonia, à quibus iunior D. Thomas præ ætate & inscitiâ sibi passus fuerat imponi. Quid hâc datâ hypothesi, Launoio Auctore, potuit calumniæ importari aliis locis quibus quæstio iuris dirimebatur? Sed miræ sunt artes & fraudes aduersarii, duobus ipse affectibus sic transuersus agitur, colendi in speciem D. Thomam, & reipsâ grauissimè traducendi; vt cùm nequeat illos conciliare, aut moderari; sponte, eo inuito, prodeant & erumpant in dedecus Authoris.

Reuera S. Doctor duo in his testimoniis spectat (quod nunquam voluit attendere noster Dialogista) nempe quem præferunt sensum, à quocumque proferantur, Pontifici Romano Monarchicam competere potestatem, cui indiuidua sit perennitas fidei incorruptæ, & pro hâc interpretatione paratus ipse erat vsque ad sanguinem decertare. Alterum pertinebat ad quæstionem facti, an reuera eorum testimoniorum verus esset auctor Cyrillus, & aliquo eius librorum extarent. Launoius cum his duobus capitibus toto animo aduersetur, nihil commune habet cum D. Thoma. Ne tamen illa capitalis dissensio in eius dedecus erumpat, tergiuersatur vbique, præstigiis agit; & prætenta in speciem illius obseruantiâ, quàm potest, hostiliter in illum inuehitur, quâcumque datâ occasione; & vt hæc maligna consilia tegat, prætexit obscuritatem illius loci. Hæc est vera iniquæ accusationis causa, quâ semel detectâ, euanescunt plura, quæ sibi criminatur, impacta mendacia, quibus nihil verius.

Huius generis sunt 21. 11. 1. & 6. ab isto postremo confutationem incipio. Iniquè conqueritur à me scriptum Exercitationis pag. 384. *se omnes Monachos quasi palpatores Romani Pontificis proscindere:* Et per quatuordecim paginas arte Oratoriâ, ac velut intercalari versu, quasi carmen regium pangeret, inclamat: *Non proscindo, sed*

laudo Petrum Damianum, Iuonem Carnotensem, Bernardum Clarauallensem. Ista ad pompam magis composita sunt quàm ad pugnam; & nullus est eorum testium quos educit Launoius, qui non stet pro regimine Monarchico summi Pontificis Romani, si fortè vnum Matthæum Pariensem iuratum Romani Pontificis hostem excipias. Miror his Monachis, quos se laudare ait, non proscindere, Turrecrematam recenseri, qui vnus pro Eugenio IV. contra Basiliense Concilium interpertrritus vindex & propugnator stetit. Quid de Bernardo dicam, quem lib. 2. de consideratione cap. 8 pro primatu Petri, potestate etiam in Collegas Apostolos acerrimè disputantem induximus lib. 1 Apologiæ pag. 124. Si Bernardo & Turrecrematæ assentiat Launoius (vt eâ Oratoriâ excursione videtur præ se ferre) eiurabo quod scripsi, *omnes Monachos* illum proscindere quasi *palpatores Romani Pontificis*: Nam quotquot illo nomine censentur, longo ordine duo supra viginti Bernardo accedunt: nec eò progrediuntur & promouent, quò Turrecremata potestatem Pontificiam prouexit. Quare si huic celeberrimo Monacho parcat, nec illum proscindat, sed summis dignetur laudibus; nihil vltra ab illo timendum est Monachis; sed sperandum est omnibus se ab illo laudatum, non proscissum iri in posterum.

Vtinam sic apud se Launoius statueret, & consilia in melius ad concordiam referret: sed vix credam his æquissimis conditionibus, quas ipsemet longâ tot testium appellatione suggessit, pacem cum Monachis initurum; nempe nos omnibus Auctorum quæ refert verbis subscripturos, dummodò aliis, quæ in iisdem Authoribus extant, se assensurum ipse polliceatur. Hoc pacti genus quamuis æquissimum non ausim sperare ipsi acceptum fore, quia nimium sibi applaudit in illâ trium supra viginti Scriptorum congerie & catenâ. Quid in illa placet? non tam eruditionis ex variâ lectione ostentatio, aut masculæ & elegantis orationis ex toties repertâ figurâ, *non proscindo, sed laudo*; terribilis & iuxta pulcherrima imago, quâ possit Varronis omnium Latinorum doctissimi eruditionem, & Ciceronis eloquentiam prouocare. Sed præ his deliciis, mirè eius palato sapit, acetum & sal quo Romanos Pontifices affricant, quos refert, Monachi. Scio corneam Launoio

fibram non esse, & laudes ac gloriam expetere, in quas fertur humanæ naturæ procliuitas. Sed non dubito quin magis ambiat Sedem Apostolicam deiici, quàm se attolli, & Pontifices Romanos carpi malit, quàm se encomiis laudari. Hinc factâ inductione tot testium Monachorum, nos iubet illos audire, & putat illâ congerie testimoniorum, veluti lapidum aceruo, me obrutum iri: Sed reuera quasi *maceries depulsa*, *& paries inclinatus* in suum Authorem toto pondere incumbit moles hæc indigesta testimoniorum. Facile esset demonstrare longissimam tot testium inductionem pluribus scatere vitiis, quàm constet verbis, & Launoium, veluti piscem hamo, & auem visco aut laqueo capi se passum testimoniis Auctorum, qui sic vitia Aulæ Romanæ carpunt, vt authoritatem summi Pontificis venerentur. Sane si eam, quos ait à se non *proscindi, sed laudari* Authores, probandi rationem ab illo institutam iniremus, vt si verbum illis exciderit nostro sensui conueniens, condonemus quidquid contra scripserint aut senserint, quid vetat, quin dæmones, imposterum non proscindamus, sed laudemus? quia interdum vera nunciant, & apud Euangelistas diuinitatem Christi profitentur.

Dum confutationem mendacii texti legebam, venit mihi in mentem illius loci apud Gregorium Naz. vbi eâ confessione dæmonum Arrianos vexat, illisque precatur, in dæmonum sortem transeant, ne veritatem eiurent, quam dæmones confitebantur. Aliquid simile orationi Naz. resipit Launoii inductio: hoc tamen differunt, quod à dæmonibus veritatis testimonium elicit Naz. Launoius verò Monachorum suffragia præter illorum mentem ad mendacii patrocinium & vitiorum reprehensionem, in potestatis Pontificiæ, quam ex animo venerabantur, iniuriam trahit. Nec melius aut verius primum & 12. quæ eodem pertinent, confutat sibi impacta mendacia; grauiter conqueritur exordio primæ animaduersionis à me scriptum præfatione Exercitationis *se totis viribus Romani Pontificis primatum ita apertè inuasisse, vt ausus sit scribere Leonem IX. & Nicolaum I. ita omnium præsidiorum quibus authoritas Pontificia fulciatur, ignaros, vt consilij inopes, non habuerint vnde hanc suam potestatem mendicarent, quam à Constantini gratiâ, vel à Polychronij fictitij Hierosolymorum antistitis (cuius nequidem nomen extat in Historiis)*

conuentione. Ad hæc exclamat *tam luculentum esse hoc mendacium, quàm quod luculentissimum: nec expectandum esse assertionis falsæ probationem, &c. Sed scriptionis locus vbinam est, nisi in officinâ Sathanæ quæ apud Baronem patet?* Sic fidenter loquitur, quia non meminit eorum quæ Epistola omnium prima ad Antonium Faurum pag. 25. scribit: vbi coniectutis & diuinationibus indulgens, quærit, quo tempore relata testimonia Cyrilli subiecta fuerint ab aliquo, vt loquitur, *malleatore & suppositore*; Et post *Nicolai I. & Leonis IX. tempus sibi facile persuadet fuisse subiecta; quòd vterque Pontifex Græcis, quibuscum pugnarunt acriter, non obiecerunt hæc testimonia: & quod est eorum ingenium, si præsto habuissent obiecturi:* Cur ita? Audi Lector, quàm sincerè, ne dicam impudenter de Summis Pontificibus statuat? prolaturos hæc testimonia asserit duabus de causis, seu *quia non licuisset in testimoniorum, quæ nullibi extabant, veritatem inquirere*: seu *quia sibi ab incertis narrationibus non cauebant.* Hinc addit factum, *vt Leo authoritatem Sedi suæ Constantini donatione confirmaret, & Nicolaus abdicatione Polychronij Hierosolymorum antistitis: quem fuisse nusquam norunt qui de Ecclesiastica historia nonnihil degustarunt.* Ita eo loco Launoius, qui, sine dubio, honori & pudori suo pepercisset, si dissimulasset id mendacii genus, cui amoliendo coegit me sua verba referre: quibus plura in duos Pontifices vitia impegit, quàm illis imposuisse conquestus est meâ relatione: ignaros tantùm faciebat suæ authoritatis, cui iure diuino sancitæ & institutæ asciscebant patrocinium humanæ liberalitatis aut conuentionis: At præter quod relata Launoii verba hanc accusationem potius confirmant, quàm depellant: inducit illos quasi veteratores & fallaces, adhibere paratos falsa testimonia, quod in eorum veritatem facultas nulla suppeteret, inquirendi: Si post ista vociferabitur Launoius se calumniam pati, dum prætextam ab illo Sedem Apostolicam, reuerentiam, duplicem esse criminamur rebellionem: Ex illâ Gregorii regulâ *fictam sanctitatem & reuerentiam duplicem esse iniquitatem & contumaciam*; Non aliâ ratione me falsum esse conqueri potest eâ obiectione, quàm quod inuidiam maledicentiæ aut accusationis minuerim: vix totam ausus subiicere Lectori. Huc pertinet quod 11. mendacio accenset, quæ ex eâdem primâ Epistolâ

pag. 21. refero: *In Epistola Siricij à Francisco Cardinali Barberino nuncupatâ Alexandro VII. quot periodos, quot versus, tot fulmina, quibus supposita Cyrillo authoritates consumuntur:* id est, vt ego interpretabar, quibus Romanus Pontifex à primatu deiicitur, quem in illis Cyrilli testimoniis contineri censebat D. Thomas, quem in Alexandro VII Epistolæ nuncupator Cardinalis reuerebatur. Viderit ergo Launoius, an consentaneè ad mentem horum sapientum locuto, mendaciis imputare possit, quæ ex me refert & carpit verba?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Decas altera effugiorum Launoij.

LIcet non malè cadat in hunc Auctorem quod de Isaaci primogenito Scriptura narrat, omnium manus in ipsum pugnasse; aut ipsum contra se armasse, quod suis manibus omnes pulsaret & vexaret; verius tamen videtur Gigantum cœlo & diuis in sui perniciem arma mouentium, conatus & exemplum imitari: post innumeros ex diuis quos cœlo receptos communis colebat religio populorum, inde deturbatos; Summos Pontifices, penès quos ius est diuos Sanctorum albo referendi, aggressus est, & vix minimâ potestatis parte relictâ, in ordinem conatur cogere. Cui putas post istos impetus rei parciturum? Vilescent fateor, & fere euanescent quæ isto paragrapho collecturus sum effugia, eorum collatione quæ superiori obseruauimus: non sunt tamen prætermittenda: quia licet minus aliis capitalia; suas tamen habent opportunitates illustrandæ veritati, lacessitæ innocentiæ propugnandæ, & expendendæ ad certas regulas nonnullorum de Launoio æstimationi; illum inter prima nostri sæculi ingenia & Ecclesiæ lumina reponentium. Sed hoc certamine apud istos conceptam opinionem & comparatam famam eruditissimi & formidabilis Dialogistæ & Theologi, nec auxit, nec confirmauit sua postrema & benè longa Epistola: Nam præter ludificationes & effugia, quorum iam Decadem dedimus; occurrunt infinita, quibus si vacaret, plures Chiliades conficeremus: ex multis, titulo paragraphi promissam alteram Decadem ludificationum

dabimus, ad tria aut quatuor capita reuocandam, atque vt à leuioribus ad grauiores progrediar,

Impactum conuitium nostræ Apologiæ fartaginis his primis Epistolæ verbis ad Thomam Fortinum: *prodiit nuper in lucem certa quædam Fratris Vincentii Baronis Dominicani farrago*; hanc, inquam, contumeliam breui & validè depuleram Exercitationis pag. 371. & qui in eius Epistolis nullus extat, quæ suo Auctori excidũt velut arena fine calce in mea Apologia à nemine, nisi à morosо desiderari ordinem demonstraueram; & apertius extabat lib. 1. pag. 17. vbi palantes aduersariorum & in nostram Scholam armatas turmas in quatuor agmina diuisam, quorum vnum fidem & pietatem nostrorum hominum, alterum Scholæ & Familiæ Theologica dogmata, principia, & Moralis regulas; tertium mores Dominicanorum; quartum iura & officia impeterent, conuenientissimâ methodo digesseram, quæ longissimè amoueret à nostris libris farraginis nomen & conuitium: illud tamen non desinit perpetuò obiicere Launoius, nec vllo dignatus verbo nostram defensionem refellere; vt agnoscas, Lector, dum calamum assumit, accedere potius ad conuitiandum quàm ad disputandum.

Possum secundo inter ludificationes & effugia loco reponere silentium, ad grauem Ioannis Baptistæ Tiers, & meam expostulationem Exercitationis pag. 439. quod vtriusque nostrum nomen immutarit, assumptâ primi hominis, quâ illum Deus donauit, animantibus nomina imponendi potestate, & magis iniquâ quàm tyrannorum, qui ereptâ, quos vexant populis, cæterorum bonorum vsurâ, ad minus relinquunt quæ sibi nomina assumpserunt: quamuis vterique de hâc tyrannide simus conquesti, quod nedum inhumaniter & indecorè; sed etiam imperitè, & contra Grammaticæ leges nostra inuerterit nomina; vt opportuniora essent ad sarcasmos & cauillos; non desierit eâ potestate vti: & nequidem verbo tentauit suam impetitiam, & tyrannidem excusare.

Sed ne grauissimas de rebus quæstiones ad logomachias seu de verbis rixas deducamus; tertium numero effugium reponam, accuratè confutatam calumniam in nostram Ethicem, quam prima suarum Epistolarum in me scripta, primis ferè verbis impegerat, & validè depulsam

multis locis, maximè Exercitationis pag. 379. & sequentibus, non puduit illam instaurare, ne vno quidem verbo confutatâ nostrâ vindicatione. Eodem silentio prosecutus est defensionem quâ ex Aristotelis Ethica cum nostra cognatione perniciem & anathemata Pontificum minatur, quasi Ethicam Christianam Gentilitiam & paganam fecerimus: sed omnino fuisse deceptum, & contra Ethicam Gentilem ad Christianæ obsequium, ac ferè sortem sapientia S. Doctoris prouectam fuisse, accuratè demonstratum est ad finem nostrarum Disputationum contra Amadęum: quibus cum inserta sit nostra Appendix, frustra hîc exscriberentur, quæ ante aliquot folia legi possunt; quibus licet nequidem vno verbo Launoius responderit; non tamen desinit passim, maximè postremæ Epistolæ animaduersione 18. quasi grande scelus consortium cum Aristotelis Ethicâ improperare. Quare non possum huius Scriptoris consilium & silentium non mirari, qui cum ambiat validissimi & formidabilis Scriptoris famam, adeò tamen prępostere hanc gloriam quærit; vt conuitiatoris, non Theologi, nomen sit comparaturus: Quandoquidem continuò nos vexat conuitio Aristotelis Philosophiæ, nec quæ nobis contra hanc calumniam exstruximus, præsidia inuicta vnquam ausus est adoriri: Quid post ista dicent? Quid statuent eruditi & sapientes Lectores? Quid ipsiusmet etiam amici agent? Pudebit illos præconceptæ opinionis & laudum quibus quasi inter Dialogistas ac Theologos; præcipuum prosequuntur; cùm se vix vllo inter viros doctos loco dignum approbet, quandoquidem millies profligatas accusationes instaurat, nec vllo nouo argumento deiectas sustinet.

Sed quî id fieri possit, cùm ipsemet qui instruxit accusationes, apertè euertat? Obieceram Exercitationis pag. 381. aduersarium manifestâ dissentione à seipso, exordio suæ Epistolæ nostram Ethicam quasi Gentilitiam & Iudaicam traducere quam ad Epistolæ finem agnoscit exactam constituere & rigidam morum regulam. Quis ista insociabilia conciliet? Quis imposterum credat homini ita à seipso dissentienti? Et cùm illi præ pudore emoriendum esset, aut totis viribus diluenda, & etiam proprio sanguine redimenda suo nomini inusta bilinguis nota: nequidem illius meminit, vt agnoscat Lector, huius culpæ nec

religione, nec illam à se depellendi curâ tangi: Et cùm totum esse oporteret in se purgando, in nos contra congerit sordes quinti mendacii ex pag. 381. negat *se inter amicos hoc scommate lusisse, iure Turca, id est, fratri Othomano me Ethicam Scholæ nostræ inscripsisse; quòd tota Turcica sit, & Alcoranum spiret.* Ad hæc quasi atrocitate accusationis commoueretur, inclamat: *Sic fingit sibi mendaciorum monstra quæ debellet, hoc ne cogitaui quidem; tantum abest vt proferrem, atque ita fictum est à te, vel ab alio mendacium impudenter:* Quantâ asseueratione hoc à se dictum negat, cuius conuinci facile possit, vt eâ responsione moneat Lectorem, ne sibi etiam iuranti, & deieranti vnquam credat? Planè hîc personam illorum strenuè gerit, *qui colant culicem, & camelum deglutiunt*, publicè multis scriptis, multoties euulgauit; meam Ethicam nihil à Iudaïâ & Gentilitiâ distare: & post has inconditas vociferationes, fingit se adeò anxiè religiosum, vt cauillum inter amicos videatur exhorrescere quasi monstrum. Heu, Launoj! istis artibus demonstras te magis opinionem hominum, quàm conscientiam tuam curare, & impunitatem tibi innocentiâ esse chariorem, & te posse priuatim patrare, quidquid publicè negare licuerit.

Huic apertæ contradictioni de nostrâ Ethicâ adiungam, quam nihilo melius diluis in re litteraria affectati principatus suspicionem: huius verbi quo vtor, modestia ac lenitas tuum poterat animum demulcere, aut saltem accendere ad depellenda, quibus illam accusationem confirmo, argumenta totâ Exercitatione, maximè pag. 378. Sed tu inter mendacia hæc reponis, & tertio recenses loco *Launoium affectati in re sacra litteraria principatus videri suspicione laborare, hoc*, inquit, *est tam alienum à mente meâ, quàm quod alienissimum: Nec Baro ex meis vel Dissertatiotionibus, vel Epistolis, vel alio Commentariorum genere producit, quo impactum mihi crimen afferat & accusationem affectati principatus in re sacra litteraria.* Rerotques illam in Dominicanos, testimonio Matthæi Parisiensis: vt omittam non purgari crimen à reo accusato, dum in testem aut iudicem regeritur. Assumpto & laudato Matthæi Parisiensis testimonio verè locum das prouerbio quod vsurpat Hieronymus; *suas inuenère labra lactucas.* Non potuit ex totâ antiquitate deligere Auctorem sibi

similiorem, minusque ad fidem faciendam idoneum. Quid enim aliud dixeris Matthæum Parisiensem, quàm sui sæculi Launoium? Quid Launoium quàm nostræ ætatis Matthæum Parisiensem, summis Pontificibus, & qui illis parent, infensissimum? Cæterum quæ ad hanc suspicionem confirmandam illi obiecimus; maximè ius illud iniuriæ in omnes, & inde consecutam audaciam omnia aduersariis detrahendi, nequidem excepto & saluo nomine, à quo tollendo aut immutando, ereptis cæteris bonis, abstinere tyrannos diximus, validiora sunt, quàm vt possint refelli adeò frigidâ exceptione ex Matthæo Parisiensi Scriptorum procacissimo, idem vitium Dominicanis improperante, vt inde non possit Launoius nomen & famam captare accurati & formidabilis Dialogistæ: longè tutius silentio & dissimulatione excipiet, quæcumque sentit, non posse congruâ responsione refelli: Et reuera nullum est illi commodius silentio perfugium; quia si interdum tentet, quæ sibi obiiciuntur, scripto depellere, nouis se & insuperabilibus implicat nodis ac difficultatibus.

Huius nostræ obseruationis luculentum nobis dat exemplum suâ secundâ animaduersione: obieceram pluries, quæcumque in meam Ethicam duobus libellis explicatam coniicit conuitia Gentilitiæ Philosophiæ resilire & recidere in D. Thomam; quem fingit se colere: quia non aliâ ratione distant hæ duæ Ethicæ, quàm vti à Discipulo & ex Magistri ore recepta doctrina: Nec minus frequenter quàm nos. Aristotelem aduocat S. Doctor. Qui fieri ergo potest, vt pleno ore Launoius meam Ethicam ex contagione Philosophiæ Aristotelis ad Iudæos & Turcas amandet? Et post ista plurium mendaciorum nos accuset quod à se dictum certis testibus asseramus, nihil in D. Thoma extare Christianum præter 2. 2: vt fidem huius atrocissimæ accusationis, quam à me importatam negat se D. Thomæ vnquam intulisse, probandum illi est D. Thomæ Ethicam inter & nostram tantum intercedere discriminis, vt vna Christiana sit, altera nihil habeat Christiani. Ethice sicut quælibet disciplinarum methodo ad institutionem scientiarum tradita, constat duobus tota, assertionibus scilicet & argumentis, quibus assertiones muniuntur; nec aliud etiam fingi potest intra scientiarum

ambitum, quod ad hæc duo capita non pertineat. Quâ ergo re adeò immane distat mea, à D Thomæ Ethica? An assertionibus? an argumentis? Quæcumque duobus libris complexus sum, præ me fero omnia ex S. Doctore, & potissimùm ex 2. 2. quam Launoius dignatur præ cæteris D. Thomæ lucubrationibus Christianæ titulo, deprompta sunt. Quid ergo discriminis confingere possit aduersarius, vt monstret, ne dicam aduersas & contrarias, sed vel diuersas esse meas & D. Thomæ probationes aut assertiones?

Cùm lata ad disputationem pateret via examine tot conclusionum, tot argumentationum, nihil horum attingit aduersarius; sed eâ animaduersione tricatur, vitilitigat, circa hæc quæ ex art. 1. paragrapho 3. excerpit verba. *Fateor; si meam tantum priuatam causam agerem, me vix iustam damnationem euasurum. Sed sciat Lector in me peti D. Thomam: nam cùm eius Ethicem sim interpretatus, non possum accusari prodita disciplina Christiana & permixta cum Ethnicâ & Iudaicâ, quæ omnium scelerum dat licentiam, promitti & impunitatem, nisi quod intorquetur in Discipulum toto impetu telum resiliat in Magistrum.* Et vrgebam, monstraret, me non minus D. Thomæ mentem corrupisse, quàm disciplinam Christianam. Sed hæc nihil ille moratus, vt nullus superesset etiam apud amicos dubitandi locus, illum nullas veri Theologi; sed meri vitiligatoris partes agere: totam nostram prætermittit Ethicam, cuius collatione cum Ethica D. Thomæ confirmanda erat, quâ me vexat, perpetua accusatio corruptæ Ethices: vnum aut alterum dumtaxat verbum ex nostrâ disputatione excipit, cauillis nugacissimis, quibus ipse pascitur, opportunum. *Baro,* inquit, *fatetur si priuatam causam ageret, se iustam damnationem non euasurum: Atqui putat se illam euasisse, aduocatâ causâ D Thomæ, ad cuius defensionem mendacia, quæ animaduersione superiori retulimus, credit se honestasse: Ergo non potest prodita disciplinæ Christianæ culpam effugere, quod Beati Thomæ defensionis causâ crediderit sibi licitum esse mentiri.* Quis capiat hanc argumentationem? Quem non pudeat hoc sæculo natum esse, quod ita tarditatis & hebetudinis damnatum sit, vt istius argumenti artifex, sit huius ætatis decus, qui alterius magis exculti fuisset opprobrium: Vellem, aut nunquam illam animaduersionem secundam scripsisset, ne is, quem ex viri huma-

nissimi ore nuper excepi, eminere inter nostri temporis doctissimos, hoc argumenti monstium diceretur protulisse, quo tamen putat me omnino deiectum. Hinc vrget, *quis istud æquo animo sustineat, cominus accedo, &c.* Et alia admiscet ferocis & iam victoris militis verba. Sed quibus putas Launoi! re scribere? An pueris & delitis? An sapientibusistius & futuræ ætatis apud quos te gloriam immortalem consecuturum, hisce scriptis speras? Absit, vt illa videant vnquam exteri, & posteri, nedum in tuum, sed in nostri etiam sæculi, quod à te ornatum tui prædicant amici, dedecus deriuatura. Non vltra causor, quod iam obieci, te in hac disputatione prætermissâ viâ regiâ collationis vtriusque Ethicæ, diuerticula, aut potius præcipitia sectatum: quæ ipsi argumentationi inhærent vitiorum, & quæ in omnium oculos incurrunt è multis pauca designabo. Negas quod meâ priuatâ causâ non licet, posse honestari causâ D. Thomæ. Nihil ergo putas distare gratis insontes lacessere, prouocare quietos & tranquillos ad certamen, & qui nos iniquè adoriuntur propulsare? Nihil differre caedis priuatas iniurias, & communes vlcisci? An nescis defensionis rationem metiendam esse aggressionis & iniuriæ gradibus? Et cùm priuato bono anteponendum sit commune, & totius Familiæ ac Scholæ nostræ iura præstent propriis cuiusque bonis & commodis, quis non videat pro vario bonorum, quæ impetuntur, genere diuersos esse defensionis gradus, & quæ intra inculpatæ boni communis tutelæ fines continetur, illos prætergredi, si boni priuati tantùm defensio ineatur? Has omnes leges æquissimas videtur ignorare, aut certè dissimulat Launoius, vt rixandi & vitilitigandi nullum faciat finem. Quis numeret, quæ illâ suâ argumentatione, quâ putat me omnino oppressum, vitia admiserit? Nullum non conuellit, ne dicam probæ argumentationis; sed etiam æquitatis principium. Quid si ex priuatâ meâ causâ iustam damnationem non euadam, ex causâ communi non sim euasurus; quasi plura non liceant ad istius quàm ad illius defensionem?

Sed causam D. Thomæ, inquit Launoius, non defendi nisi mendaciis, quorum specimen primâ animaduersione dedit: iis verò ne dicam D. Thomæ, aut vllius hominum, sed nequidem Dei iura fas est vindicare: ergo Baro qui sibi tutum

tutum & licitum putat mendaciis, aliisque teterrimis conuitiis ex odio profectis contra Launoium, D Thomam propugnare, illius causam profligat, & ab eius Ethica omnino diuersam sectatur, quæ mendacia honestat: vt omittam quæcumque mihi impinguntur, in aduersarii caput recidisse mendacia, etiamsi ex inscitiâ aut improbitate eò prolapsus essem, vt his pessimis artibus optimam causam propugnarem, aut verius proderem; quo meæ Ethices loco docui mendacia posse honestari? Nonne disput. 1. contra Theophilum Raynaudum totis viribus contendo, nequidem prætextu iurium & gloriæ Dei licere vnquam, ne dicam mentiri; sed nec etiam æquiuocationes adhibere? Immeritò igitur & per summam iniuriam, quam doceo à D. Thomæ Ethicâ diuellit; & quamuis darem quod hactenus non obtinuit, contra se disputantem plura mentitum & prætergressum charitatis præcepta, odio habuisse, qui mihi diligendus erat, inimicum: quid inde euinceret contra meam Ethicam, nisi optimam fuisse à me constitutam, à quâ moribus discesserim, & sancta edocuisse, peiora secutum? quis nesciat vsum scientiæ à doctrina distare? Tyrones Dialecticæ non ignorant, longè aliam esse hanc artem docentem ab vtente: & quasi prima Logicæ elementa nunquam audiuisset aduersarius, à malo vsu quem improperat, nec hactenus probauit nostræ Ethices, putat se demonstrare pessimam esse, nec quidquam commune habere cum Ethicâ D. Thomæ. Hâc argumentatione, si foret legitima, conficeret legem diuinam execrandam esse, quia hominum quibus imposita est, vita in totum ab illâ dissentit. Num verius vitia hominum legem se damnantem commendant? Ita Launoius nisi cæco in me impetu ferretur, poterat primæ Epistolæ accusationem vrgere, me optima quæque nostrâ Ethicâ docuisse, damnasse conuitia & odia; sed horum nihil in se obseruasse, & documenta aliis scripta in totum eiurasse: sed velle abusus vitia in artem & disciplinam à quâ est recessus, deriuare; hoc plane est quidlibet ex quolibet conficere, & nedum principia Dialectices; sed sensum etiam communem pessundare. In hæc præcipitia patitur se abripi aduersarius totâ illâ animaduersione secundâ, quam meritò dixeris perpetuam ab omni ratione & æquitate exerrationem.

Argumentationis viria multa detexi, plura omitto, sed nullum judicem recuso, causam nostram diriment amicorum eius summi. Quis eorum maximus in illo non desideret omnem humanitatem & æquitatem? A me verò non propriam, vt ipse, sed communem totius Familiæ & Scholæ principis, ac quinti Ecclesiæ Doctoris causam agente, vel centesimam quidem asperiorum, quæ in omnes quibuscum disceptat, congerit verborum partem reponente, omnia iura diuina & humana violata esse inclamat: Nec quæcumque ira & furor suggerit à se vsurpata, vel minimæ imputat culpæ. Summâ charitate cum illo agam, si dixero ludi quâdam amabili, sed lethali insaniâ; vt nunquam congrediatur secum: nec de tergo in pectus manticam reuocet: In alienis perspicax, ad sua cæcus; seu vt Euangelii verbis vtar, in alieno oculo festucam, in suo trabem non videat.

Quid ab illo æqui verique expectes progressu Disputationis, quam adeò præposterè & inauspicato incœpit? Qui vnâ frigidâ exceptione mendacii confutata credit quæcumque sibi obiiciuntur quàmlibet grauia & vera, quorum conscius scit & conuinci possit? Qui negat sibi æquo iure cum aliis viuendum? Qui propriam causam acrius quàm communem generis humani, & singulares suas opiniones velut sensa totius Ecclesiæ defendat? Ne quis credat me ista confingere, peiora dicentem iam iam audiuimus; cum contra se agimus, nos inculpatæ tutelæ prætergredi fines, si ad causæ communis defensionem aliquid tentemus vltra priuari boni innoxiam vindicationem. Ad quid iura nostra sic arctat? vt sibi omnia permittat, seuerus alienæ iustitiæ exactor, qui nullam à se exigit vel obseruat: longè facilius ista à me probari possunt quàm dici; quia ne proferam, ferè mihi os obstruxit pudor Launoii culpæ, cui parcitum vellem, nec nisi repugnante stomacho hæc pauca scribo: Sed ne probationum inopiâ laborem, ipsemet Launoius cauit, suppeditata inexhausta materia ad scriptionis suæ vitiorum infinitam & inuictam comprobationem: nec opus est totam Epistolam à capite ad calcem decurrere: sufficit vna omnium breuissima animaduersio 17. de quâ inter legendum venit mihi in mentem, quod obseruaueram apud Chrysostomum homil. 23. in Matth. *pullos serpentum staturâ breuio-*

res, veneno autem his qui se genuerunt æquales esse. Ita longissimæ Epistolæ pars minima, quidquid aliis sparsum erat veneni vna aut altera pagina collegit; nec suppetebant verba castigandæ improbitati quam spirat totam lucubrationem aduersarii *effugiis, sophismatibus, seu fallaciis & contumeliis* compactam esse monuimus. Sed eo loco extat effugiorum maximè pudendum, contumeliarum atrocissima, & malignissima fallaciarum. Primæ illius animaduersionis verba sic habent Apologiæ lib 1. Sectione 1. §. 10. *semel atque iterum, sed & tertio addere debui, significauit Baro Theodoricum Italia Regem Tyrannum esse, quia Arrianus erat, quia hæreticus erat.* Huic fallaciæ, quam atrocem non temerè poteram censere ex Auctoris mente, cùm passim inde arripiat occasionem, me traducendi velut perduellem, & pœnis grauissimis castigandum, multò immaniorem addit calumniam, quam in sanctissimum Doctorem per summam iniuriam deriuat, me ita de Theodorico oblocutum ex anticipata doctrina in quam iuro. *Apostatam à fide Principem ius dominii amittere:* Nec semel contentus ista, non tam mihi, quàm S. Doctori improperasse, animaduersionem claudit impacta atrocius contumelia. Nam recensitis quinque ex Dominicanis, qui iure vel iniutiâ illatæ aut meditatæ vis, in Principes Catholicos nullius erroris apertè accusatos, & vix suspectos, horum scelerum, seu verè, seu falsò obiectorum originem refert, in verba D. Thomæ quibus animaduersionem claudit: *Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter ius dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.*

Fateor me primis & postremis illius animaduersionis 17. verbis & immanitate contumeliarum commotum, cogitasse quibus verbis possem, imparibus tamen tanto sceleri, Authorem castigare: Nec deerant grauissima, quibus illum deformarem: Poteram in primis, omni Græca & Punica peioris fidei conuincere; quod *semel, iterum, ac tertio* scriptæ accusarit huius consecutionis *Theodoricum Tyrannum esse quia Arrianum.* Heu Launoi! si istius illationis præposteræ artifex aut reus eram, cur verba, quibus illam texui, subtici isti; cùm alibi multa ex meis libellis describas, minus tuo instituto necessaria? Si expressis verbis illa significassem, iamdiu me ad iudices pœna

capitis multandum (quæ est tua summa lenitas?) traxisses; sed ista prima calumnia leuior est, præ alterâ quam in D. Thomam importas, totidem inuictis argumentis confutatam, quot ex illo verba retulisti. Ille quidem non ait omnes Principes; sed *aliquem per infidelitatem posse*, non oportere necessariò, *ius dominii amittere*. Non ipso quidem lapsu manifesto in hæresim, sed post causæ accuratum examen legitimi judicis, si quem habeat sententiâ: Quis non dixerit sanctissimum Doctorem quasi præsagâ mente sibi præsidia inuicta extruxisse contra accusationum impetus & calumnias Launoii; qui nec Deum nec homines timens, ausus est quinque hominum, ficta, aut vera (neque enim de hoc disputamus) consilia maligna in Principes Catholicos, nullius hæresis accusatos, nullius judicis sententia damnatos referre, tanquam ad certam & indubitatam causam, in eam D. Thomæ assertionem quâ Principum dominium & salutem, ipsomet loco vbi creditur in discrimen vocasse, contra huiusmodi parricidia inuictis præsidiis muniuerat? Et post ista feremus hominem, qui nec viuos, nec mortuos, nec diuos immanibus desinit calumniarum monstris insectari? Ista & his similia in Launoium parabam, eius temeritati cuius conuictum puto puniendæ; cùm statim me consilii pœnituit, nec hoc loco castigandum censui, sed ridendum, aut potius miserandum, ista non puto scripsisse sicut antea monui, odio aut rancore in nos, licet hos pessimos affectus præferant eius verba, nec nostrûm excidii aut infamiæ cupiditate, sed metu aut studio proprii dedecoris fugiendi; & animaduersioni illi plus inesse vulpinæ fraudis quàm veneni serpentum. Quod satis persuadet benigno Lectori tota series animaduersionis, cuius exordium est à fallaciâ in me instructâ, & finis à ludicrâ potius quàm seriâ sugillatione Sancti Doctoris: quæ cùm omni specie veri careat, certo nouerat risu excipiendam, nec in illum, sed in se casuram esse. Cæterum hæc omnia non alio consilio arbitror scripsisse, quàm vt sibi pararet octauum effugium; & silentio (quia aliud genus responsionis tentare non poterat) ab eâ quâ obruebatur difficultate elaberetur.

Retorseram in Launoium, quod in me coniecerat telum, potestatis Regiæ amento vibratum, quasi Theodo-

rico ob hæresim legitimi Regis recusato nomine, omnium Regum iura violassem; sed id meritò à me præstitum, semotâ hæresi, demonstraueram, duabus de causis, tùm quod Theodoricus Herulorum Regem Odoacrem Italiæ vi armorum possessorem fraude obtruncasset: tum (quod multo iniquius erat) Zenonis Imperatoris Legatus, quas eius armis & imperio subegerat ditiones, sibi vindicasset: quod defendi non posse monueram Launoium, saluo Regum iure. Cur hanc grauissimam obiectionem, quam Exercitationis pag. 441 prosequor, dissimulauit, cum tanta Regiæ dignitatis noxâ, cuius videri vult studiosissimus & obseruantissimus? Si paria mihi permitterem aduersario reponendi & læsam maiestatem Regiam obiectare, luculentissimum ab hoc pudendo silentio, vel ob inscitiam, vel ob contemptum iurium Regiorum possem mihi locum aperire, & demonstrare inuictis argumentis Launoium fictis iuribus Regiam potestatem augere, & legitimis ac certis fraudare; quale est illud sibi vindicandi ditiones suis armis ac legatorum operâ subactas. Addere possem studium illud in Reges totum pertinere ad propriam impunitatem, & ad ostentationem, & adulatorem potius resipere, quàm subditum sincerè, & ex animo obnoxium: vti enim ars à naturâ hoc differt, quod tota extraria sit, & totam foras signis proferat, quam in recessu vim naturæ seruat: ita adulatorem à vero amico Philosophi obseruant distare, quod ille pluribus affectum ostentet, quem amicus ferè occultat, dum tempus exiget manifestandum. Viderit Launoius, quo ille adeò exæstuans affectus toties ostentatus in Reges pertineat; si sincerus sit, vt nos iubet credere, prodidisset-ne vnquam suo silentio illorum iura præcipua? Sed mallet omnium Regum dignitates pessundari, quàm sibi aliquid ex concepta suæ eruditionis æstimatione deperire. Heu Launoj! respondeas oportet, nostro de tyrannide Theodorici argumento, nisi velis adulator, aut proditor, vel (vt mitius loquar) negligens cultor Regum audire.

Longius quàm vellem detinuit nos octauum effugium; sed tanti fuit, ne imposterum aduersarius venditaret nobis sua in Reges studia & officia, quorum iuribus anteponit de suâ eruditione quam putat apud doctos comparatam gloriam. Si vellem materiæ inseruire, diutius nos

detineret animaduersio 18. vbi licet in speciem nos videatur vrgere; fugam tamen magis meditatur quàm pugnam; & fœliciter secum agi putaret, si posset se apud sapientes purgare à notâ corruptæ per fraudem Epistolæ Pij II ad Carolum VII. suffecto in locum τὸ *detractoribus* Sedis Apostolicæ *Doctoribus*; in gratiam Basileensium hæreticorum, qui contra fidem exemplarium, & primam à seipsis peractam editionem locum falsarunt, vt Doctores Sedis Apostolicæ ipsiusmet Summi Pontificis suffragio infamarent, quasi intestabiles & fide indignos. Quare dum Launoius hanc Basilensium infamem interpolationem approbat, graui laborat suspicione, ne magis in in Hæreticos, quàm in Catholicos propenso sit animo. Priore Epistolâ conatus fuit multis vtramque culpam deprecari, & notam delere: Primò quòd admissâ lectione, *detractoribus*, diluta euaderet aliàs arguti Auctoris oratio: Deinde quærebat, quid emolumenti captare posset ex illâ immutatione? nullam prorsus, vt inde probet se vnius veritatis studio teneri, vndecumque adueniat, seu ab orthodoxis, seu ab hæreticis excipiendæ.

Multis & inuictis argumentis hæc effugia confuto Exercitationis pag. 44. & sequentibus: in primis si illius cauilli ab eneruata oratione Pontificis fraudem excusare velit, non potest deprecari inscitiam celebris figuræ Rhetorices, quam vir quidam doctissimus iis verbis latentem detexit, aitque ab Authore Rhetorices ad Herennium appellari permissionem, quâ summus Pontifex Regi indulget in speciem, aliquando fidem habeat detractoribus, vt obtineat ne illis semper quasi iuratis & certis testibus credat: videtur ea figura ad illam accedere, quam Græci Topinosim vocant, quo tropo dura dictu mitioribus proferuntur verbis, vt illorum inuidia minuatur: Hæc ignorabat Launoius: quò se non minus Rhetorices quàm Theologiæ, & altiorum disciplinarum rudem probauit; dum scripsit elumbem & dilutam fore acutissimi Pontificis orationem, nisi loco detractorum sufficiatur Doctorum nomen. Nec melior est aut probabilior alter cauillus, cùm aliquid charius salute; Regnis & Sedibus, ex eâ interpretatione obtineret, nempe dedecus & infamiam, quasi palpatorum Curiæ Romanæ ascitam & impressam Bellarmino, Baronio, & omnibus de pri-

matu Petri illis assentientibus, quos hoc nomine passim traducit! Quid si assentientem suis calumniis haberet Pontificem? Tum eâ voluptate bearetur, quam non dubitaret etiam totius orbis imperio redimere; sed ipsemet nesciens & imprudens suam causam iugulauit. Fatetur omnia Catholicorum exemplaria habere *detractoribus*: Sed cùm ita consentiant, vnius exemplaris locum & fidem vult & iubet obtinere lege ad librorum criteria nouâ: cùm antè apud eruditos plurium exemplarium consensus indubitatam faceret Authoris mentem: Sed nouas leges pro supremo sui in re litterariâ principatus iure instituit Launoius ad Catholicorum inuidiam & in gratiam hæreticorum. Nescio quibus illum beneficiis ita demereri potuerunt, vt omnem æquitatem & sensum communem eiuret illorum causâ. Sed non alio arbitror illos lenocinio eius animum demulsisse, quàm communi in Sedem Apostolicam odio, quo non minore glutino se illis coniunxit, quâm sydera defluuia res inferioris orbis ferruminant.

Sed mirare hominis iudicium: vel Basileenses post primam editionem, quæ nostris consentiebat, nulla, vel aliqua, quæ dissiderent exemplaria reperere, quibus immutationem molirentur: si nulla suppeditata sint, ergo ex suâ mente hanc inuexere corruptelam: si detecta sunt & data noua exemplaria; quorum, rogo, curâ seruata sunt? Quorum manibus tradita? Nonne Catholicorum? At, Launoi! tu temet hanc legem statuisti; quæcumque Catholici suppeditarent exemplaria vnius tantum exemplaris vim habere, nec meministi, vel ausus es apertè scribere, repertum aliquod à cæteris dissentiens. Quâ ergo ratione, vel authoritate, inuecta est illa immutatio, nisi hæreticorum audacia? Quæ sancta sit Launoio, si vergat in dedecus Sedis Apostolicæ Doctorum?

Non desinit tamen post hæc certæ damnationis præiudicia, vitilitigare per 14. paginas tot ineptiis, tot nugis, nugacissimis, vt iactura omnium minima sit, chartam iis exarandis, & tempus legendis, aut confutandis perdidisse. Reuera non disputat, sed tricas & apinas texit: nec dubito quin amicorum eius & admiratorum maximi nugis potius accenseant quàm legitimo argumento, quod num. 2. obiicit *quasi pugnans*. Quæsieram, cur placuisset loco *detractorum* sufficere *Doctoribus*? & responderam, *sic*

visum Launoio magis ad mentem Authoris accedere secundam editionem Basileensium. Cui verò ipsis placuerit? [Addideram *sic visum esse Basileensibus hæreticis.* Tum inclamat *: Sunt ne alia duo quæ inter se magis pugnent?* Ita sanè Launoj! Quæ verò illa duo sint? Multa suppeditas quæ respondeam: nempe tuus sensus & ratio, tuus affectus & veritas, quæ nequeant vnquam conuenire. Sed ne longius abeam à subiectâ quæstione, magis inter se pugnant tua argumentatio cum grauitate Theologi & præconcepta multorum de te quasi doctissimo viro opinione; quia vix ista excusare possis in tyrone. Nonne legisti apud Augustinum, *Deum habere oculos cognitionis, & nos credulitatis*, vt quod ipsi visum est apertâ scientiâ, nobis pateat & videatur fide obscurâ, seu oculis credulitatis? Ita, mi Launoj! te comparatum monstras cum Basileensibus hæreticis; vt oculis credulitatis tibi videantur, quæ oculis cognitionis & sagacioris iudicii putas illis visa accedere magis ad mentem Auctoris; quæ nunquam à tuâ recedent, si detrahant Sedi Apostolicæ eiusque Doctoribus.

Isti vitilitigationi alteram addis more aranearum operosius contextam, sed nihilo minus futilem; ex qua si quid graue existat, erit nota fraudis & inscitiæ, quam tibimet ipsi inuris: Quamuis scripseris, me *non fuisse ausum referre, quia non poteram refellere momenta rationum*, quibus lectionem hanc *Doctoribus* confirmabas ex Epistolâ Iacobi Cardinalis Papiensis ad Paulum secundum conquerentis Nicolaum, Callixtum, & Pium parui pendisse Collegium Cardinalium. *Quidni ergo*, inquit, *potuit contemnere Doctores* Sedis Apostolicæ, & monere Regem ne semper illis credat? Etuis idem argumentum ex ipsius Pij Epistolâ 169. ad Meyerum, quâ carpit Curiam Romanam. Melius tuo honori, & amicorum pudori consuluisses, si hanc à me omissam obiectionem dissimulasses, cuius non potuisti meminisse citra grauem imprudentiæ & fraudis notam. Quid? licet Pius, aliique Pontifices demissè de Collegio Cardinalium senserint, propterea ne credis consecutione, ne dicam necessariâ; sed etiam verisimili, ad Reges scripturos, ne vnquam, nedum Cardinalibus, sed nec etiam vniuersim vllis Doctoribus Sedis Apostolicæ, credant? Nonne ad illorum causam plurimum intererat vitia suorum occultare, quæ nonnisi in

Sedis Apostolicæ dedecus vergebant? Et ex occulto Collegii Cardinalium contemptu, quam deducis consecutionem contemptus omnium Sedis Apostolicæ Doctorum Regibus manifestandi, non vereris appellare *momenta rationum, quæ non ausus sim referre; quia refellere non poterum, & quæ apud cordatos atque eruditos homines videri possunt efficacissima & hoc in rerum genere inuictissima?* Ita sanè damnando in æternum tuo de rebus Theologicis criterio, qui ita censes insaniuisse Pontifices, vt occulta suorum Consiliariorum, cautius quàm Patrifamiliàs, domesticorum vitia occultanda Pius patefecerit: Et quod incredibilius est ad omnes vniuersim Sedis Apostolicæ Doctores pertinere voluerit; quasi in Collegio Cardinalium, si desiderarentur viri, Doctorum nomine & fide digni, toti Ecclesiæ deessent? O mirum in consignandis efficacissimis argumentis artificem! quàm huic pudendæ allucinationi addit ex Epistolis Pii, confirmatio præter detectæ imperitiæ, grauiorem manifestæ fraudis notam suo Auctori inurit. Cur taces Launoj! Has Epistolas scriptas non à Pio II. Pontifice; sed à Syluio Ænea Schismatico, & Eugenio IV. infensissimo? Ista verò taces, quia omnem tuis diuinationibus speciem veri auferunt. Sed tu ad Disputationes Theologicas iamdiu tibi assumpsisti, *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

Pudet reliquas animaduersionis partes decurrere; adeò enim sunt futiles, vt vnus sit labor retulisse: & silentio possem ipsius, aut amicorum eius verecundiæ parcere. Sed ne rursus obiiciat, me *non ausum esse referre, vel non potuisse refellere*, prætermissis quibusdam nugis, quod per multas paginas vrget argumentum paucis perstringo. Contendit itaque minus sibi vitio vertendam consensionem cum hæreticis Basileensibus, quàm D. Thomæ interpretationem Aristotelis prohibitam Academiæ Parisiensi decreto Gregorij IX. licet permissa esset Platonis lectio & commentatio. Deum immortalem! hominem iudicio amicorum omnium doctissimum, his nugis & rixis perpetuò immorari, & velle etiam nos immori! Non dubito quin ex animo rideat, dum nobis perpetuò obiicit decreta Gregorii, quæ moderantur studiis Academiæ Parisiensis, quibus cachinnis exciperet, si hodiè Pontifices similia ad Academiam scriberent? His quæ alio loco

respondi, addo primùm ex ipsomet Launoio non posse D. Thomam argui læsæ constitutionis Pontificiæ, nisi certo euincat prælegisse Aristotelem in Academia Parisiensi: ad quam directa cum sit, constitutio Gregoriana, nec hactenus constet missam ad alias orbis Academias, integrum fuit D. Thomæ, vel prælegere Aristotelem in aliis Academiis, vel priuatim in illum commentaria cudere suo tempore edenda, maximè cùm multò accuratiùs quàm fieri potuisset ab aliquo Concilio Nationali, impleuerit id muneris quod iniungit Pontifex; nec Aristotelem solùm purgarit ab omni noxa, sed etiam dogmatibus Fidei multo propius ac melius adiunxerit & accommodarit, quàm in Platone vllus Patrum aut Theologorum commentando hanc Ecclesiæ egregiam operam nauarit; vt meritò dixeris D. Thomam decretum Gregorii multò fœlicius impleuisse, quàm si à commentando aut legendo Aristotele abstinuisset. Nam vt omittam, quem religioni & fidei formidabilem impendere multi Antiquorum existimabant, Philosopho detraxisse hunc terrorem, & omne virus ac periculum ab eius lectione amouisse. Addo quid maius, fidei obsequio Auctorem cum suis libris subiecisse: si hanc laudem inuideat Launoius S. Doctori, & pertinaci animo contendat noxiam fuisse rebus fidei commentationem Aristotelis à D. Thoma susceptam & peractam, velim monstret nobis, quod dogma fidei, quæ Theologiæ pars id contagii ex Aristotelis Philosophiâ aduocatâ senserit? Quinam inde error procreatus sit? Ex Platonis libris & principiis scimus infinitas prope hæreses natas esse, vt multis probat Pater Petauius suo de Trinitate opere, designet, vel vnam aduersarius à D. Thoma ex Aristotelis principiis inuectam; cùm promptum mihi sit subiicere innumeras debellatas adiunctis ex Aristotelis Philosophia principiis. Et si ad hæc omnia obturet aures Launoius, subiiciam quod ad finem nostrarum disputationum in Amadæum annotaui, Platonis & Aristotelis Ethicam, seu de fine vltimo, de vitiis, & virtutibus nihil prorsus differre, ac proinde non posse nobis interdicere Peripateticâ Ethice, si Platonicæ vsum nobis permittat. Hæc plusquam satis de 9. effugio.

Decadem absoluamus examine animaduersionis 19. conquerebar nec immeritò, Launoium in hæreticos

Scriptores plus æquo benignum, in Catholicos, & præ cæteris in Bellarminum, ne dicam patum æquum; sed etiam apertè infensum, quem nunquam desinat insectari. Vt omnem excusationis causam amouerem, quam repetit à dissensione quoad nonnulla capita, tum meo, tum plurium exemplo monstraueram, his singularibus opinionibus nullomodò charitatis affectum minuendum, nec trahendum esse contentiosum funem. Multa in hanc rem scripsi, quæ maximè charitatem inter Scriptores Catholicos suadent, cui pessimè consulit Launoius perpetuâ Catholicorum insectatione, & cùm hæreticis concordiâ & pace initâ, aut saltem seruatis induciis, quod non caret aliquâ occulti fœderis cum Ecclesiæ hostibus suspicione: Opinionem confirmat, quod adeò sit impatiens laudum Bellarmini, qui præ omnibus Catholicis, hæreticos ipsosmmet confessione vexauit, vt mihi in perniciem vertat titulum, quo illum ex animo donaui, *inuicti pugilis fidei*. Inde verò animaduersionis 19 inscriptum hunc titulum arripit: *In Barone luculentum amissæ fidei & frontis exemplum, circa Bellarmini de gratia efficaci ostenditur.* Quis non miretur hanc primam in me impressionem Censoris, qui animaduersionis 2. num. 9 sic me castigat? *Ethicem suam cum S. Thomæ Ethica coniungit. Beatus Thomas cum aduersus Græcorum errores scripsit, Græcos ne probris, dictis petulantibus contumeliis, & nefariis figmentis lacessit? Publicam tunc causam agebat, cùm librum contra impugnantes religionem, exarauit; hausit-ne de triuiis compotalibus conuitia, quibus Religiosorum hominum inimicos proscinderet.* Mirum est, Launoi! quod mihi subiicis ad meam, vt putas *petulantiam castigandam*, exemplum modestiæ D. Thomæ, tibi non assumpsisse? Quem vlli suarum quæstionum ascipsit similem tuo titulum *amissæ fidei & frontis* impactum quibuscum disputabat?

Plurimùm fateor me tibi debete, quod nonnulla, & potissimum quæ in te atrocius dicta credis, ex meis libellis inseras tuis: Duo enim inde mihi potissimùm bona contingunt; in primis efficis ne omnino innotus & inexploratus sim, iis quos deterres tuâ vel amicorum operâ à legendis meis libellis, quòd *toti Turcici sint & mera farrago*, quibus honestis titulis illos ornas. Sed præter illud compensationis genus, aliâ me longè maiori gratiâ tibi

deuinctum noueris, quod collatione nostri agnoscere possit Lector, nos diuerso genere armorum, me argumentis, te contumeliis pugnare: Et quamuis forte aliquo loco ab imitatione D. Thomæ recesserim, instituta tamen styli vtriusque comparatione, non dubitabit æquus Lector præ te, à modestiâ me posse laudari. Sed his prætermissis, tertium maius adiungis beneficium, quod illâ animaduersione 19. & superiori multa de Bellarmini opinionibus, & meo de tanti viri meritis sensu obiicias, quorum accuratius examen viris prudentibus & eruditis possit aliquid emolumenti & voluptatis afferre.

Occupaueram quidquid aduersarius congerit ex dissidenti à nostræ Scholæ doctrinâ de gratiæ efficaciâ opinione, hâc mei animi sincerâ significatione Exercitationis pag. 444. quam iterum ex animo quasi votum, cui sum immoriturus, instauro. *Ego sane sic comparatus sum, & omnes bonos mecum ita puto, si quid Catholicis Scriptoribus allubeat, à quo dissentiam; me huius priuati dissidii causâ, nolle cæteris illorum ingentibus meritis quidquam detractum; quia si eorum singulares dotes, & duas aut tres opiniones, quibus à te dissentiunt, appendas; inuenies trutinam, virtutum ponderibus ab eâ parte depressam; hæreticis verò licet alicuius rei gesta, aut scripta, si qua illis excidat, laude nolim fraudare, non tamen errorum prope infinitorum, inde puto eos notam redimere, aut condonandam illis esse veniam.* Hanc summæ prudentiæ & æquitatis legem mihi à puero constitutam illustraui exemplo meæ in Bellarminum summæ obseruantiæ, à quâ nunquam me deducere potuerunt, quæ in eius libris extant de vnâ aut alterâ nostrarum opinionum, iudicia: eoque minus me contestabar fuisse deterritum à voto perpetuæ in tantum virum reuerentiæ, quod non contemnendis indiciis, nossem aliud Louanii docuisse, & suis scriptis alienâ manu & operâ passum fuisse ista inseri.

His verbis *eadem*, vt sic loquar, *fidelia duos parietes dealbaueram*, & me simul cum Launoio ad viuũ delineaueram. Absit vt eò dementiæ progrediar, quò nonnullos impotenti æmulatione abripi video (atque vtinam longiùs inde abesset Launoius) qui æquiores in hæreticos, quàm in Catholicos, illis colluuiem hæresum condonant, & vix audent verbo perstringere; in istos implacabiles sunt, si

vel vno, vel altero à se dissentiant. Sic Launoius se comparatum euidentioribus signis demonstrat, quàm possit hanc accusationem inter mendacia manifesta computare: Neque enim aliud spectant, quæ citatis duabus animaduersionibus congerit, quod Bellarminum à nostra Schola, vno, vel altero capite dissentientem laudauerim: quasi encomium *inuicti pugilis fidei, vergat in excidium Scholæ nostræ*, quod vno loco scripserit illatione apud Theologos citra erroris notam vsurpari solitâ videri accedere ad errorem Caluini & Luteranorum; & sic nos inde vrget: *Si Frater Baro Bellarmini placitum* de efficaciâ gratiæ accipiat, captus est: si reiiciat, nullus & inde sibi extruit præsidium contra expostulationes nostras de consensu cum Blondello & Mornæo, quem sibi minus noxium putat, quàm meum cum Bellarmino, post damnatam efficaciam gratiæ, ab omnipotentia Dei potius, quàm à scientiâ mediâ repetitam; & cùm has obiectiunculas & aranearum telas, quibus me velut nodis aheneis vinciendum putat, sentiret eleuari tribus nostris exceptionibus, quòd tota dissensio circa vnicam opinionem, quæ nihil ad fidem pertinebat, versaretur; quod aliud Louanii Bellarminus docuisset, & ista eius scriptis fuissent inserta, non tam damnandis Catholicis, sed velut opportuniora ad Disputationes cum hæreticis: Hæc omnia reponit pro sibi ingenitâ modestiâ, *inter insignia mendacia & multa stultiloquia*; licet suppetant nobis certa testimonia, roborandis his tribus exceptionibus quibus omnes eius conatus infringuntur.

Vt primam paucis delibem ab eo ferè intactam, quia Scholastices, si quid ex eâ oblitus sit, ita rudis videtur, vt dixeris vix illam à limine salutasse, & huic fucandæ notæ, illam quasi Aristotelicam aspernatur, ne videatur ignorare. Certum est vtramque Recentiorum & Thomistarum Scholam vno consensu docere, & contra hæreticos propugnare, ad nostræ salutis operationes, iunctam cum libertate gratiæ efficaciam, & si quid sit dissidii circa illud dogma, totum esse cuiusdam honestæ æmulationis, quæ illarum expeditiorem huius concordiæ rationem aperiat, & suam Ecclesiæ enixius operam nauet. Nos omnipotentiæ efficaciam infinitam, quæ rem decernat, & absoluat, quo voluerit modo, ac proinde saluâ libertate,

admouemus huic nodo dissoluendo, aut firmandæ duarum in speciem sensui humano insociabilium rerum concordiæ: Et quia multi id capiu difficile & incomprehensum fortè causarentur, boni consulimus diuersam & decliuiorem viam stratam esse à præscientiâ Dei. Cùm tota contentio, saluâ veritate Catholicâ, versetur circà illius explicandæ & propugnandæ diuersa præsidia, immeritò & imprudenter, ne quid grauius dicam, Launoius, qui omnia pro ut affectus est, & ad rixas natus, metitur, inclamat eâ stante dissensione, non posse vtramque Scholam arma à bello contra hæreticos in propria viscera non conuertere, vt se conficiant: Non hìc aliâ responsione excipiam id improperii genus, quàm ab aduersarii exemplo: non credo negaturum se magis a Blondello & à Mornæo, quàm Bellarminum à Thomistis, & vtramque Scholam à seipsis mutuò dissidere: At videmus nihil moratum, quæ velùti chaos interiacet molem & interearpedinem opinionum, cum Blondello & Mornæo perpetuam pacem seruare, quos licet rixosissimus & perpetuus Catholicorum insectator ne verbo quidem legerim vel audiuerim pupugisse. Quidni eamdem, magisque honestam inter se Catholici, qui, vt grauissimus ad Clementem VIII. & inter Theologos summus Curiel scripsit, de veritate Fidei consentiunt, & de Metaphysicæ principiis disceptant, Quidni hanc sanctè concordiam non iurent, ineant, & æternùm obseruent?

Quod ad alias exceptiones pertinent *ab insignibus mendaciis & stultiloquiis* illas remouet Louaniensium præfatio præscripta censuræ opinionum Lessii, quæ præter multa, hæc ad rem nostram habet: *Neque enim studiosorum memoria excidit, quanam Robertus Bellarminus, ex eâdem Cathedrâ vestrâ* (vnde Louanii per decennium D. Thomæ Summam interpretatus Theologiam docuit) *de his ipsis argumentis nuper, & senserit, & publicè docuerit, vestro nunc dogmati plane aduersa ac contraria*: Nec testimonia in suis libris ad hoc passus est Bellarminus nos desiderare; nam lib. 1. de gratiâ & libero arbitrio cap. 12. opinionem Recentiorum tacito Molinæ nomine refert, & subdit: *hac opinio aliena est omninò à sententiâ Scripturarum diuinarum*, & prædestinationem gratuitam dicit *esse fidem Ecclesiæ.* Hanc secundam exceptionem confirmamus

Disput. de scientiâ mediâ pag. 473. ex lib. 3. de libero arbitrio, vbi Bellarminus constituit iudicium vltimo practicum actui voluntatis præuium ad quod infallibiliter consequatur, illæsâ libertate. Quid nos aliud diuinæ præmotioni & gratiæ efficaci damus, quod iudicio nostro practico non concedat Bellarminus? Hinc magis consentaneè poterat gratiam per se efficacem Sanctorum Augustini & Thomæ propugnare; sed eius vitæ Scriptor Syluester à Petrâ Sanctâ lib. 3. vitæ Bellarmini cap. 5. fatetur multa immutata fuisse in eius operibus circa materiam gratiæ, *prout iudicatum fuit, magis idonea fore ad nostri aui hæreses peruincendas*. Multa possem addere: sed ista sufficiunt auertendæ notæ *insignium mendaciorum*, & retinendo titulo *pugilis fidei Catholicæ inuicti*, citra vllam Scholæ nostræ noxam, etiamsi opinioni de gratiâ efficaci adiungat Launoius, alteram de Conceptione immaculatâ, & tertiam de potestate summi Pontificis supra Concilia, quam Ecclesiæ Gallicanæ iuribus ait aduersari. Quid hæc tria capita, præ infinitis, quæ validissimè propugnat contra hæreticos, vt dissensio trium opinionum singularium illi auferat, quem aliis Disputationibus meruit titulum? Nec iure potest illi detrahere Launoius, nisi iisdem contra hæreticos validius Disputationibus defungatur; vel si eum laborem ætati iam decliuiori imparem detrectet, quod ante mihi quasi ænigma improperabat, clarè demonstret controuersiarum partes perinde ac Decalogi præcepta indiuiduas esse, & Bellarminum vno aut altero capite quo à Launoio, aut si velit, ab Academiâ Parisiensi dissentit, excidisse à laude & à mercede quam tot exantlatis laboribus circa cætera controuersiarum infinita capita promeruit. Nisi istud iniquissimum iudicium sapientibus approbet Launoius, nihil totâ illâ animaduersione 19. efficiet: Nec eorum quæ ad calcem addit, fidem absoluet. *Cæterum in me recipto & spondeo, ex iis qui seorsim à Catholicis per religionem sentiunt, fuisse vnquam neminem, qui in verbis tam paucis plura quàm Frater Baro mendacia & stultiloquia protulerit*, placet istis addere, *Deo gratias*, cum Cypriano suæ damnationis sententiam excipiente.

Cæterum ne quidquam omittam eorum, quæ ad Bellarminum pertinent, grauem animaduersione superiori mihi creat malæ fidei & fraudis inuidiam, quod Apologiæ

lib. 4. sect. 4. §. 3. multis in Bellarminum ex meâ sententiâ coniectis encomiis, adiunxerim iudicia quorumdam eius famæ detrahentium, inter quos reposui Hispanos, & Cardinalem Perronium; quasi tantæ sim solus authoritatis, vt eorum testimoniis intercedere possim; video meorum libellorum, quos innumeris conuitiis conspurcauit, angulos etiam accuratè excutere, vt aliquid calumniæ opportunum inquirat. Sed cur tacet meum eò loci institutum? Nempe sentiebat; si Lectori innotesceret, nullum fore calumniæ locum: vnum è nostris Theologis Mariales nomine, qui Venetiis plura in D. Thomam volumina ediderat, susceperam vindicandum à censurâ, quæ in illum Romæ vrgebatur, omnibus tomis inurendâ, ob vnum aut alterum de Bellarmino liberiùs dictum. Non poteram, nisi præuaricari vellem causæ, tacere, id Mariales à se non scripsisse, sed ab aliis excepisse; quibus tamen ego minimè assentiebar; quæ potest inde mihi conflari fraudis suspicio, quasi insidiari vellem Bellarmino, aut me tanti nominis reputare, vt plurium testimoniis intercederem; quasi solus sim qui ita sentiam, & paucis exceptis, reliqui ferè omnes eodem quo reposui loco, non habeant? Et quamuis vnâ aut alterâ disputatione non satisfecerit Cardinali Perronio, propterea-ne putas inuisurum illi, quem indiuiduum ambo possident *inuicti pugilis fidei titulum*? H[illegible] satis de primâ parte nostræ Appendicis.

Articvlvs Secvndvs.

Duplex Decas sophismatum Launoij ex innumeris collecta.

Cvm litterariæ non minus quàm bellicæ concertationis & fortitudinis, duæ sint partes; quarum vna sustinet & arcet, altera aggreditur & lacessit aduersarios, *quantus in clypeum assurgat* Launoius, quibus in defendendo polleat viribus, aut artibus valeat, satis puto demonstratum duplici Decade responsionum ad aliquot ex nostris argumentis. Nunc videndum *quo turbine torqueat hastam*, quibus in nos lacertis agat. Sanè si liceat ex primâ concertationis parte de postremâ statuere; facile coniiciet

coniiciet Lector non fortè sui dissimilem, & vbique ludificationes adhibiturum: Et sicut hactenus effugiis ac tergiuersationibus nostra elusit argumenta, ita sua sophismatum amentis contorta (ne dicam fallaciarum veneno infecta) in me, aut potius in Summos Pontifices, in Monachorum priuilegia, in D. Thomæ caput vibraturum. Quid de nostro sæculo posteros, quid de Galliâ exteros, quid de Academiâ Parisiensi, aliarum regni & orbis Christiani Professores credis iudicaturos, cùm audient Launoium inter primos nostræ ætatis & Galliæ ingenio & eruditione præstantes viros repositum? Profectò nisi ista amicorum potius esse encomia, quàm sapientum iudicia attenderint, si ex Launoii lucubrationibus de hâc nostrâ ætate & Ecclesiâ ac Galliâ statuant, abiectè de reliquis censebunt, cùm is qui cæteris præluxisse creditur, non admodum emineat, nec debeat bonis artibus, si quam sibi comparatit gloriam: Sed ne quis putet me conuitiari, ex eius disputatione, subiiciam quibus iudicare quisque poterit quo sit loco dignus, & vtrum quam nonnulli de eius scriptis concepere, opinio ad nostri sæculi & regni gloriam aut dedecus conferre possit.

Paragraphvs Primvs.

Duo Parasyllogismorum Launoii genera, & decem species aperiuntur.

Cvm singula generum prosequi nequeam, vt me & Lectorem infinito atque inutili labore leuem, summa capita & genera singulorum delibabo. Id Launoio in primis solemne est negatiuis perpetuò agere: si quis Scriptorum vnius ætatis rem omiserit quam ipsius interfit, & velit Launoius fictitiam credi, etiamsi plures narrent, ipsis omnem fidem abrogat vnius silentio habendam. Si contra silentium grauiorum Historicorum quasi falsum & commentitium refutet aliquod grande scelus quale impingitur Bernardo à Monte Politiano vnius inuidi dolo, & subinde incertis vulgi rumoribus sparsum, quasi falsum damnent: suspiciones vel minimæ huiusmodi scelerum ad calumniam opportuniores, Launoio sunt loco inuictæ de-

monstrationis. Ad hæc duo criteria falsissima & sophismatum genera pertinent præcipua quæ in nos intorquet argumenta negatiua, seu à silentio Auctorum; quod si faueant, quasi inuictum venditat argumentum, si aduersentur eius consiliis, nullo loco habet.

Aliud non minus latè patens vsurpat sophismatum genus; cùm germanissima diuellit, & alienissima indiuidua facit, pro causæ commodo, vt tempori inseruiat, & suis indulgeat affectibus; nisi certâ fide credas summum Pontificem, etiam quà priuatum hominem ab hæresi immunem esse, nulla illi censentur etiam ex cathedra docenti concessa priuilegia: nisi supra Concilia velis eminere, nulla in totam Ecclesiam authoritas ei continget: nisi des illi ius abdicandi Reges, & potestatem temporariam, plenam aut saltem indirectam in totum orbem; nulla spiritualis competet ex primatu Petri Pontificibus Romanis eius successoribus. Hoc genere sophismatum cœlo terram miscet, inuidiam nobis creat apud Principes quasi omnem temporariam potestatem spirituali obnoxiam faciamus: Episcoporum nobis conflat odium, quasi precario & nullo iure diuino eorum gradui assertam esse iurisdictionem, & totam in vno residere contendamus: his ludificationibus & præstigiis, nullis legitimis argumentis totâ Epistolâ disputare de Ecclesiasticâ potestate demonstrabo, vbi aliquot leuiora sophismata depulero.

Primum illius ordinis extat animaduersione 3. sic inscripta: *Frater Baro in Alexandrum VII. R. P. contumeliosus.* Quâ verò ratione id conficit? quod mihi Auctor fuerit, vt Theophili Raynaudi in Dominicanos scriptum librum famosum confutarem, *quamuis responsio prohibitionis periculo non careret.* Et ego id consilium aut iussum veluti quamdam è cœlo delapsam vocem exceperim, *quamuis non possit referri in Pontificem accuratæ circumspectionis virum.* Id pronunciat consilii genus tam prauum, tamq; à simplicitate Christianâ alienum, vt scribendam susciperem responsionē quæ prohibitionis periculo non careret. Hinc concludit, *quoniam pronunciatum hoc Alexandro VII. iniuriosum est, mea me in Romanum Pontificem impellit pietas, vt [illegible]ellam, Baronem pudore omni deposito mentiri.* Hanc accusationem boni consulo, & susceptam credo sincero in Summos Pontifices animo, quod id consilium

cuius Auctorem facio Alexandrum VII, aliquam mali speciem præferat; quâ tamen occultet profundæ sapientiæ & summæ charitatis arcanum rudioribus imperuium, & prudentiorum oculis conspicuum atque compertum: à quorum ordine cùm longè absit Launoius, hanc sensus reconditi inscitiam ex supinitate illi condono.

Nouerat altissimæ sapientiæ Pontifex eo pestifero libro innumera insontibus Dominicanis inferri mala, quibus curandis & depellendis par non esset, quâ configebatur censura; quia statim ac prolata fuit ex omnium vniuersim manibus, maximè peruicaciorum non erat librum famosum excussura. Quare censebat delendis tot calumniarum notis responsionem validam decreto esse addendam: & cum eadem sagaci mente peruideret, Apologistæ qui tot contumelias profligandas susciperet, inculpatæ tutelæ fines seruandos esse, à quibus tamen immanitate calumniarum facile deduci posset: hinc agnoscebat responsioni impendere prohibitionis periculum, nisi conuiciatorem exemplo & vi argumentorum, modestiâ magis quàm acerbitate verborum castigaret & corrigeret. Neque enim asperiora illa verba Censores Romani condonant etiam prouocatis: Et quamuis in illud mali incideret Apologista, suo fructu tamen non cariturum, quo nec censurâ illâ fraudaretur, nempe depulsione calumniarum, & aliorum quæ liber contumeliosus inflixerat, malorum curatione. Quid verò resarcitâ iacturâ, & sanato vulnere, opus fuerit remedio? Aut quid mali, vtrumque libellum prohiberi, ad pacem instaurandam, nullo præteritæ contentionis relicto vestigio? Sunt quædam artis medicæ remedia malis extremis adhibenda, & tum permissa, cùm perniciem totius corporis morbus minatur, nisi amputatione partis eius progressus intercipiatur. Huic remediorum generi annumerabat sapientissimus Pontifex responsionem, si vel minimum à modestiâ & pietate Christianâ recederet, ad calumniarum libellum; quo semel refutato, censebat vtrumque prudenter prohiberi posse: tum ne memoria præteritorum malorum extaret vlla: tum etiam ne acriorum huiusmodi remediorum, nisi cùm extrema mala vrgent, vsus inualesceret, & ex summa sapientia (ad cuius cogitationem non potuit assurgere Launoius) indicabat Summus Pontifex, huiusmodi libros apologeticos similes

octomestribus puerperiis, viuaces non esse, nec diuturnos oportere.

Ista à me gratis conficta fugiendæ difficultati credere posset aduersarius; nisi antequam hæc mihi obiicerentur meum sensum de huiusmodi genere librorum aperuissem, lib. 1. Apologiæ pag. 240. his verbis: *Adeò à sensu communi & omni æquitate, quos refuto, libri alieni sunt, vt credam nedum Ecclesiam, & Religionem, sed etiam ipsammet rationem & naturam, graue inde damnum & dedecus pati; meumque laborem ipsâ necessitate iustæ defensionis excusari non posse: quin apud Deum me grauissimi sceleris reum peragendum vererer, nisi ex animo vouerem, vt huius mei libri post decennium* (quo temporis spatio malè auspicatæ accusationis memoriam spero perituram) *nullum omnino supersit vestigium; ne posteri vnquam doceantur Theologum, Religiosum pia causa, aut alicuius boni prætextu tot mala ausum scribere & cudere; vt videri possit omnem fidem & pudorem, omnem veri & honesti curam eiurasse. Atque in hanc rem vsurpanda mihi sunt Scripturæ verba.* Nolite annunciare in Geth, *neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philistim, nec exultent filiæ incircuncisorum.* Quid enim dicturos putas hæreticos, si has nostras contentiones contingat legere aut nosse, quibuscum multorum annorum disputationibus modestiam, grauitatem seruaui & colui; cùm hæc omnia vitæ humanæ & Christianæ officia vnius anni disputatione, cum homine qui se Theologum & Catholicum esse gloriatur, pessundata viderim: cuius verò nostrûm vitio contigerit tanta rerum in peius immutatio, aliorum, etiam hæreticorum, quamuis cum illis arctior Launoio, quàm mihi intercedat cognatio, liberum sit iudicium: nec dubito, si præteritæ vitæ & scriptionum vtriusque collatio ineatur, quin, Launoj! adeò turbidæ & pudendæ disceptationis culpa tibi imputetur, cum ea quam expendo, & sequenti si noua addatur, ita præposterè agas, vt qui illa legerit, iurare possit, te non minus ab omni & æquitatis & humanitatis, quàm à syllogismorum legibus exertasse; & voluisse tuo exemplo demonstratum, quò cæcitas & ignoratio sui possit hominem, vbi suis affectibus se permiserit, deducere.

Ex innumeris vitiis, tum animi, cum argumentationum

(hæc enim indiuidua esse voluisti) tria eminent, quorum tibi etiam amicorum maximi, veniam non sint vnquam indulturi. Quæ enim maior cæcitas, & obliuio sui potest, quemquam hominum inuadere, eâ, quâ te præcipitem datum dolemus, in hæc mala, vt omnia calumniarum & conuitiorum portenta tibi in alios permissa, non solùm impunitati, sed etiam viribus tibi comparatis tribuas: Et si qui ex tuis libris his sordibus scateant, & censuris Pontificiis prohibeantur, futilissimas & risu excipiendas iudices, quasi leuissimis & nullis de causis latas? Si qui verò, ne millesimam quidem tibi tuorum verborum partem reponant, & validâ ac modestâ responsione tua conuitia refellant, dignos censes, quibus terra dehiscat, & quibus castigandis imparia sint omnia fulmina & supplicia? Nec dubites cum Hieronymo Psalmistæ verba vsurpare: *Cùm consisteret aduersùm me peccator, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Et iterum: *Ego verò tanquam surdus non audiebam, & tanquam mutus non aperiens os suum, & factus sum vt homo non audiens. Sed quia charitas omnia superat, & propositum vincit affectus, non tam iniuriam facientibus reddo vicem, quàm tibi satisfacio postulanti: Apud Christianos enim non qui patitur,* vt ait quidam, *sed qui facit contumeliam, miser est.*

Poterat me quis temeritatis incusare, quod aduersario sui ignorationem obiecerim, nisi ab eâ notâ liberaret me præfatio cum toto opere collata. Quis neget posse periculosiore obliuione sui & cæcitate quemquam laborare, Launoio, cùm *sibi muti, surdi, humiliati, & à bonis etiam silentis*, qui pati velit, *non facere contumeliam, ne sit miser, personam assumit*? Cum illâ malè conueniunt quæ adeò Christianam professionem sequuntur verba. Quis non credidisset ex animo abhorrere omne genus conuitiorum, quorum nec in se, vt nec in aliis aduersariis vel speciem ferre posset? At quàm longè abst ab eo consilio & perfecto odio contumeliarum ipsemet indubitatum relinquit animadu. 3. & 4. ne repetam, quod iam monui, de altissimâ Alexandri VII. charitate & sapientiâ consulentis modestissimam, quàm fieri posset, ad contumeliosum librum responsionem, cum ipso desituram post curata quæ intulerat mala, videtur Launoius non solùm ex inscitiâ consilium sanctissimum improbitatis & imprudentiæ dam-

nare ; sed etiam quotquot eo nomine prohibentur, libros liberare à censurâ ; quamuis obseruantiæ in maiores & æquitati, in pares humanitati, in inferiores charitati, & paci cum omnibus, nimiâ libertate quæ ad procacitatem accedat, pessimè suis libris consuluerint : nec dubitat quæ ex violatis tot officiis (dummodò apertè non imperaiur doctrina de fide & de moribus) asciscunt sibi censuras, *leuissimas esse , & cordatorum hominum ludibrio, & contemptui* obnoxias : Ita verò censet, vt suas omnes lucubrationes hoc nomine configendas in tuto ponat ; & expostulet de censurâ in duos suorum librorum latâ, cuius vnius titulus, etiam si cætera deessent, hanc pœnam apud æquos & Christianos judices mereretur. Nouerit verò Launoius hanc Censorum Romanorum esse æquitatem, vt velint Authores non solùm iusta & sana, sed etiam iustè scribere, & mendacium exertè aduersario improperatum sit apud illos idonea & legitima censuræ causa. Hoc ipse testari possum : cùm quemdam Scriptorem apertè falsi & atrocis calumniæ conuicissem . non putaueram mihi fore fraudi, illum *mendaciorum & discordiarum mirum artificem appellare:* Ante peractam totius libri editionem illud è primis, cui relata verba inserueram, folium Romam præmiseram ; Et statim monitus sum, ob illud vnicum verbum certam imminere toti libro damnationem , quam declinare non possem , nisi liturâ aut retractatione huiusmodi verborum ; quia aures Romanæ nihil ferre possunt, quod vel minimùm conuitia etiam reposita , aut procacitatem & vindictam resipiat. Cum igitur sic ex summa prudentia & charitate comparati sint, quo putas animo excepisse Launoii librum sic inscriptum : *Censurâ responsionis quâ Frater Nobertus Caillocius, sese mendaciis atque erroribus nouis irretiuit.* Vbi verò illum sicuti cæteras solet consentaneo titulo , librum omnibus verborum dehonestamentis impleuit, non dubitat iurare , se duobus contra illum Præmonstratensem libris, nihil *ferè suum præter chartam & atramentum apposuisse, atque ita Romanos Censores , qui illos prohibuerunt , decreto suo , vel Romanos Pontifices , & Sedis Apostolicæ traditionem , ac fidei definitionem, vel suam chartam & atramentum , non se confixisse , ac proinde iniquam esse censuram , ab hominibus suis commodis seruientibus pignoratione, vt fit in bello, latam.* Quis non

miretur hominis cæcitatem, & quam vrgeo sui obliuionem, inde natam, vt supra monui, quod nunquam secum congrediatur, nunquam de tergo in pectus manticam reuocet? Vix vllum librorum, maximè ex polemicis, quales erant duo Romæ damnati, scribit Launoius quin minima pars sit iuris, quæ agitatur quæstio; reliqua conficit inexhausta conuitiorum & contumeliarum illuuies: & vbi has congessit & cumulauit sordes, iurare non dubitat, se nihil suum apposuisse, quod ansam dare possit iustæ damnationis, vnde quasi gloriabundus, addit *libros Romanorum Inquisitorum decretis honorari potius quàm lædi.* Hinc puto factum præter duorum quos memorat libellorum, fortè vrgentibus Præmonstratensibus latam, cæterorum, qui non minus grauem & æquam, merebatur, prætermissam fuisse censuram, seu quod nullus Romam sit delatus, neque enim Launoii nomen, multoque minus lucubrationes, Alpes & Pyrenæos montes, & vix Sequanam transeunt: vnde nuper miratus sum Rectori Duacensi, qui Academiæ iurium causâ Parisios venerat, nequidem nomine Launoium notum esse, seu ex contemptu neglectam damnationem; cùm ab Auctore ad gloriationem potius quàm emendationem traheretur: Et eodem genere pœnæ puto exceptum, quo comes dux Oliuiarius administrationem Hispaniarum, Concionatorem liberius insectantem, his prope verbis deiecit: *Expleat quàm libuerit, obloquendi de me libidinem, nunquam eius silentium, quod ipse maximè vellet, redimam Episcopatu aut exilio.* Sic arbitror Romanos Censores Launoium oblatrantem audire, & castigare contemptu potius quàm censuris, quas ad iactantiam & gloriationem assumeret. Quid facies isto homine omnibus ad pertinaciam in malo, & ad iactantiam abutente: Si censuris agas, risu & cachinnis excipit, nec se, sed atramentum & Traditionem Ecclesiæ peti causatur: Et me incusat criminis, quasi huiusmodi censuras in conuitiatores maledicos, aut licentius scribentes quàm modestia & maiorum obseruantia patiatur latas, paruipendam; si eius libros quasi latratus surdâ aure prætereant, hunc ex silentio contemptum vlturus ad memoriam reuocat censuram Romanam in Parisiense Senatusconsultum, quo Ioannes Castellus parricida damnatus est, & inde nescio *quibus in Diaboli officina*, vt eius verbis vtar,

fabricatis nos cum Romanis Censoribus omnium parricidiorum reos & conscios contendit esse, & conuictos, nisi eam censuram Romanam damnemus: quod facile à me obtineret, si eo quo criminatur consilio, seu consensu in adeò grande nefas meditatam fuisse censuram, alio quàm diabolicis inuentis, aut insanæ mentis deliriis, argumentorum genere probaret. Hæc adeò horrenda, & ab omni specie veri alienissima, consecutionibus adeò absurdis deducta, cùm omnino prætermittere non possem, boni consulet Lector inter sophismata & paralogysmos mitiori quàm mereantur, vocabulo vsum, annumerasse.

Eiusdem generis sunt tria quæ animaduersione 9. hoc titulo mihi improperat, *Frater Baro cùm respondet, dissimulat, quæ in aduersarii obiectionibus sunt præcipua & inuicta.* Hâc inscriptione monitos nos vult se præcipua totius controuersiæ capita, & rationum momenta quæ declinaueram, impar illis vincendis tractaturum. Quam verò difficultatum obiectatum prætermisi? Tres, inquit, potissimùm: Quarum primam his verbis subiicit: *Hic Frater, vt odiosum redderet iudicium, quod de relatis à D. Thoma testimoniis tuleram, obiecerat me quæcumque dixeram, ex hæreticis mutuatum esse: Et cùm deest legitima disputandi ratio, sincerus vir hanc ad aram & azylum confugit: sed continuò pergit nos contra præsidium aduersus illius & sociorum, id est, Mornai, Blondelli, &c. ex Bernardo, perronio nobis extruere: Ego,* inquit, *contra responderam, nec Bernardum aut Catholicorum vel hæreticorum, quos memoraui testimonio Cyrilli expendisse, ac proinde, me vanissimum disputatorem agere, & nostrâ in suam Epistolam exercitatione hac dissimulasse omnia, & vadimonium deseruisse, atque ita non indicatis illis locis quibus de his testimoniis illi à me nominati Scriptores agunt, me maledicentiæ reum habendum esse.*

Nunquam-ne desinet præstigiis & ludificationibus incautos decipere? Humanissimè cum illo agam, si obiectionem hanc primam, & duas eâdem animaduersione contentas, grauiori nota dignas paralogismis accenseam. Quoties rem ad viuum secaui? Quoties repetitam obiectionem hâc distinctione profligaui? Examen D. Thomæ de testimoniis Cyrilli ad duas quæstiones pertinere, vnam facti, an reuera apud Cyrillum extarent; alteram iuris, an

primatus & potestas, quam Petro eiusque successoribus asserunt, Scripturæ & Fidei principiis consentiat: primam quæstionem vix attigit S. Doctor, & fidem voluit esse penès eos, qui sibi testimonia expendenda miserunt: quoad alteram quæstionem iuris exertè respondit, quæcumque illis testimoniis Cyrilli Romano Pontifici asseruntur, sibi fide diuinâ certa esse: & hoc vnum ipse curandum & stabiliendum suscepit, cui cùm Bernardus, Perronius, & Coëffeteus, quoad quæstionem iuris adhæreant, Mornæus verò & Blondellus capitaliter aduersentur; *Egi ne vanissimum disputatorem, aut vadimonium deserui, vel difficultatem dissimulaui*, cùm ad quęstionem iuris totam de mente D. Thomæ, & illi vel aduersantium Scriptorum, controuersiam ad quęstionem iuris delibatâ tantùm facti quæstione reuocaui, & hoc systemate constituto Launoium accusaui desertæ Catholicorum causæ, quam Bernardus, aliique illustriores Galliæ Scriptores, antiqui Prosper & Auitus, medii, ipse Bernardus, recentiores Perronius & Coëffeteus propugnarunt, vt ipse velut transfuga in Mornæi & Blondelli partes & castra desciscerer. Et his inter se de sensu quem præferunt verba Cyrilli dissentientibus, relictis Catholicis, tantâ pertinaciâ adhæreat, vt non pudeat passim *fidem cum fronte* amissam improperare nobis, & cantare *gens ratione furens*. Hoc ne est, Launoi! vadimonium deserere, ad deploratæ causæ perfugia adeò pudenda te adegisse, vt eâdem animaduersione fateare, quæ in tuis obiectionibus erant, *præcipua & inuito me dissimulasse?* Quid verò illud sit, horrer planè animus tui causâ aperire, ne imposterum detecto tuarum argumentationum, quas palmares putabas, vitio, nedum à Doctorum & Scriptorum, sed etiam ab hominum & Christianorum numero depellare. Tu temet iudica: num hanc pœnam commeruetis. Mirabar, & sępius te hâc de causâ pupugeram, quod Catholicis, & hæreticis diffidentibus semper ab istis stares. Quid tu ad hanc grauissimam accusationem? Nihil planè respondisti, quod non esset apertè falsum, aut à disputatione alienum. *Quid*, inquir, *mal. est, si hæreticis vera narrantibus credamus?* Et tum exemplum subiecisti: *Si fratri nos ita criminari liceat, nunquam poterimus commissum à Fratre Iacobo Collega quondam sua parricidium diris atque execrationibus insectari, quod*

illud ante nos Philippus Mornaus, David Blondellus, vel alij de heterodoxorum grege insectati fuerint. Tunc Frater Baro statim occurreret, & sibi sumeret nos diras atque execrationes illas omnes ex immanissimis Romanæ Ecclesiæ hostibus deprompsisse. Hæc sunt, inquiet, *protrita ex Mornæi & Blondelli promptuarijs precariò emendicata.*

Dum hæc scribebas, Launoj! videris oblitus te Theologum, & vix Christianum, & hominem esse. Quis enumeret quot & quanta in hæc nomina & officia tuâ illâ expostulatione, quæ *inuicta sunt in tuis obiectionibus dissimulari*, ipse peccaris: E multis hæc duo aut tria accipe, in primis quam tibi imposterum fidem habendam esse putas, cùm apertè falsa impproperes? An ego vim tuæ obiectionis dissimulaui, cui etiam robur addidi Exercitationis pag. 414. tuis, breuioribus, sed validioribus verbis; *Quid mali fuerit consentire interdum hæreticis? Si quæcumque asserunt, aut eorum libris extant, fas sit negare; dubitandi locus erit, etiam de proditione Iudæ.* Addideram quod ipse adhibebas exemplum Iacobi Clementis magis tui quàm mei causâ tacere; vt libidinem quâ æstuas calumniarum tegerem. sed illi simile est suffectum Iudæ, citra noxam vis argumenti. Desiderate-ne potes ad illud responsionem, eam cum his verbis incipio, *ad ista planè obstupesco*; & multis demonstro alienum prorsus esse à subiectâ disputatione, quâ agimus de rebus Catholicos inter & hæreticos controuersis, non communi consensu receptis, qualis erat proditio Iudæ Iscariot, & Iacobi Clementis: Et addideram *quâ ratione excuses ab hæreticis precaria mutuata, quibus nedum Catholici abundent magis, sed etiam apertè dissentiant*? Hâc responsione nedum eneruata; sed omnino labefactata erat vis obiectionis, cùm demonstratum sit meram esse exerrationem à scopo & à Thesi probandâ. Vnde ergo causam arripuisti adeò iniquæ expostulationis? Non occurrit alia, quàm Iudas Iacobi Clementis proditioni suffectus. Ea verò immutatio tantùm abest vt vim obiectionis eleuaret; quin potius maximum illi robur addebat. Cur ergo eleuatam argumentationem conquereris? Non possum huius tui occulti sensus aliam excogitare causã, quàm quod fortè Clementis scelus, Iscariotæ proditione immanius repures; vel si ab ea cogitatione videri velis abhorrere, ne à nomine Christiani excidas; quid aliud superest, nisi quod Clementis exemplum opportu-

nius tibi videbatur quam Iudæ ad contumeliam. Ergo tu vim obiectionum, non in mediorum efficacia, sed in atrocitate calumniarum reponis. Et cùm ita sit (quando quidem non superest alia expostulationem tuam excusandi ratio) multò tutius est nobis Aristotelem, quam te præceptorem sequi: Illi Philosopho, vt obseruas aliâ Epistolâ ex Ioanne maiore innotus est argumentorum locus ab iniuriis, quem falsò asseris vsurpari à Dominicanis & Franciscanis, cùm de conceptione Beatæ Mariæ disputant: Hunc enim, quasi inuentum nuperum & singulare eâ querimoniâ tibi asseruisti, cùm causaris, *quæ præcipua sunt & inuicta in tuis obiectionibus dissimulari*; quod proditio Iudæ suffecta sit proditioni Iacobi Clementis: minus tuo iudicio ad efficaciam probationis, & magis ad contumeliam opportunæ: Ergo conuitia sunt tibi locus argumentorum omnium efficacissimus: & tecum humanissimè agemus, si hanc geminatam obiectionem numero paralogismorum reponamus.

Nec ab eâ classe abest, quam superiori adiungis ab exemplo D. Thomæ sua argumenta depromentis ex operibus Aristotelis, quem antiqui Patres hæreticorum Patriarcham nominant: Longè autem tutius & honestius tibi putas esse à Mornæo & à Blondello aliisque hæreticis, quibus Catholicos vexas, quàm D. Thomam, quibus dogmata Fidei & morum validè propugnat argumenta ex Aristotele depromere. Ita tibi hæc obiectio placet vt eadem Epistola sex aliis locis vsurparis, eamque præ æteris latè verses pag. 543. & duabus sequentibus, itèm pag. 550. & expressius sequenti, vbi ais *minus malum esse ex Mornæo & Blondello historicæ eruditionis nonnihil, in tuos vsus deriuare, quam vel ex Aristotele Pontificiis decretis prohibito, suos cum D. Thoma locupletare libros, aut ex opinione Bellarmini, quam eo loco vrges communi cum Caluino & Lutheranis de gratia per se efficaci dogma proponere & asserere.*

Crambem bis & millies repetitam nunquam desinis obtrudere: ad illam D. Thomæ commentationem in libros Aristotelis decretis Ecclesiasticis prohibitos, multa diximus. Sed plura & singularia habet Pater Guyard toto art. 2. in Epistolam ad Thomam Fortinum: & placet mihi, reuera non solum factam copiam D. Thomæ à summis Pontificibus: sed etiam iniunctam prouinciam Aristotelis

commentandi, & ſicubi aduerſatetur fidei dogmatibus, expurgandi; quod multis eo articulo demonſtrat citatus Doctor. Sed diligenter obſeruandum eſt quod annotat ad calcem, Academiam Pariſienſem obitum ſancti Doctoris multis lachrymis proſecutam Epiſtolâ ad Patres noſtri Ordinis in comitiis generalibus Lugduni habitis, anno 1274. congregatos ſcriptâ, vbi ad finem rogant, ſibi largiantur, quæ in Ariſtotelem Pariſiis inchoata ſcripta alibi abſoluerat; potiſſimum commentaria in libros de cœlo & mundo. Si huiuſmodi ſcripta fuiſſent partus abortiuus, inuitis Summis Pontificibus in lucem editus, ad cenſuram potius & ad pœnam, quàm ad rei litterariæ etiam ſacræ incrementum ſibi dari exegiſſent viri ſapientiſſimi, quorum iudicio faceſcunt omnes Launoii inſectationes ex variis coniecturis aut potius calumniis.

Nec credat ſe D. Thomæ exemplo tutum eſſe à conſenſione perpetua cum hæreticis, non ſolùm vt verbis relatis videtur obtendere, *quoad hiſtoricam eruditionem*, ſed etiam quoad præcipua capita de Eccleſiæ regimine diuino iure conſtituto, quæ ab hæreticis hauſerit: vix enim dici poteſt quàm immane diſtet, & in diuerſiſſima ac contraria deducat hæc comparatio, id in primis obſeruo duo eſſe errorum genera: quoſdam mortuos vocamus, qui in Ethnicorum libris extant, & à nullo ſuperſtite defenduntur; alios quos dicimus viuos, quales continentur libris hæreticorum Caluini & Lutheri, qui in Eccleſiam graſſantur, & infinitos habent propugnatores. Certum eſt librorum in quibus ſuperſunt veſtigia errorum primi generis, lectionem minus noxiam eſſe, & ſubinde minus caueri ſancionibus Eccleſiaſticis, quàm librorum, quibus poſterioris generis errores propugnantur: quia videntur inter ſe horum librorum claſſes differre, vti ſerpentis mortui & adhuc ſpirantis dentes, quorum nedum morſus ſed etiam tactus timendus eſt & fugiendus: emortui verò ſerpentis dentes nihil veneni habent, & interdum ad indaginem occultarum cauſarum, vel ad ornamentum ſeruantur. Idem prorſus eſt diſcriminis inter D. Thomæ commentariis illuſtratum Ariſtotelem & Mornæum ac Blondellum promoſcondos & præceptores Launoii, ſi quid habeat Ariſtoteles aduerſum dogmatibus Fidei, qualia ſunt pauciſſima maximè

post emendationem D Thomæ de æternitate mundi & fortè de indicta necessitate primæ causæ, cuius libertatem videtur cum summa actualitate non potuisse conciliare: si hæc duo excipias, paucissima aduersa, infinita fidei consentanea & vtilissima occurrent in Aristotele illustrato à D. Thoma, sine quo quidam apud Picum *Aristotelem mutum* appellabat: & ita est sanè, si ex his quæ ad religionem pertinent, expendantur, quibus non tam aduersum dixeris Philosophum ex Lipsio, quàm minus studiosum indagatorem, si librum de mundo excipias, quo Christianum magis agit quàm Ethnicum. Si gratus esset Launoius, nec occulto liuore laboraret, in eos qui rem litterariam & Christianam suis lucubrationibus locupletarunt, encomiis, gratiarum actionibus non perpetuis censuris prosequeretur D. Thomam; quòd Aristotelem commentatus sit, id est, ad fidei obsequium vocarit, & ferè Christianum fecerit, atque summa solertia quem incusserat terrorem Christianis, vti *Saulus spirans cadis & minarum*, detraxerit, & amicum potius rebus nostris quàm formidabilem subiecerit. Sed non facile Launoius beneficia Reipublicæ Christianæ aliorum laboribus collata, quos imitari nequit, agnoscit aut prædicat: vtinam à maligni laudatoris vitio absit. Sed quidquid sit, malè incusat S. Doctorem in Aristotele tum purgando, tum rebus fidei & moribus, vti venena ad morborum curationem parata adhibendo studium. Ipse qui pronior est ad bona corrumpenda, quàm ad emendanda mala, hanc Philosophi correctionem vix credere, & nullo modo ferre potest, quia alios seipso metitur, & cùm imparem se tanto operi sentiat, vel à nullo effici posse putat, vel eos, qui id effectum dederint, vix pati potest. Hinc vera origo tot intempestiuarum insectationum: Verum quidquid sit, si perperàm hunc D. Thomæ vsum sugillet, multò peius illo exemplo suam cum hæreticis de toto regimine Ecclesiæ consensionem excusat: quin potius illâ comparatione ineuitabilem incurrit damnationem.

D. Thomas Aristotelem fidei obsequio subiicit, ad Ecclesiæ partes trahit: Launoius, relictis Prospero, Auito, Bernardo, aliisque Ecclesiæ Gallicanæ, vt de cæteris taceam, viris antiquis & recentibus immortali gloriâ dignissimis, mordicus Mornæo & Blondello adhæret. Quæ

conuentio lucis ad tenebras, & Launoii ad heterodoxorum castra transeuntis cum D. Thoma Aristotelem fidei tutelæ addicente? Hâc vnâ responsione plures conuulsi sunt Launoii paralogismi, quàm opus sit complendæ Decadi titulo paragraphi promissæ: atque vt numerum impleamus & cumulemus, addere possumus duo alia paralogismorum genera: Primum excepimus solutione inuictâ Exercitationis pag. 398. vbi constituto ad disputandum inter aggressorem seu arguentem & respondentem discrimine, vt illi incumbat probandæ summa necessitas rei, de qua agit; nec aliter contingere posse demonstret, isti satis fuerit monstrare rem secus fieri posse: atque hâc vnâ exceptione eleuaui prope infinitas obiectiones de testimoniis Cyrilli & Chrysostomi ad consulta Bulgarorum: cùm hunc aggerem sibi oppositum perrumpere non posset aduersarius, scommatibus lusit; quorum illi permitto vsum, mihi nolim indulgere. Moneo tantùm Lectorem, quem tantopere cachinnis exagitauit, locum Chrysostomi ad consulta Bulgarorum, egregiè summaque eruditione vindicare ab eius calumniis & ludibriis Patrem Guyard examine 3. Epist. & 10. testimonii D. Thomæ, vbi obseruat malè Launoium totum Chrysostomi nomen scripsisse, cùm in exemplaribus D. Thomæ, antiquis manuscriptis extet dimidiatum cum littera L. Chrysol vt significetur, Nicolaum primum Auctorem responsionum ad consulta Bulgarorum non Chrysostomi; sed reuera Chrysologi verba ex Epistola ad Eutichem scripta referre, quibus primatum D. Petri & Pontificis Romanis commendat: *In omnibus*, inquit, *hortamur te frater honorabilis! vt hæc quæ à beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter audias.* Rationem dat; *quoniam*, inquit, *vt supra Beatus Petrus qui in sua sede & viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Si meam, ad illum cauillum responsionem, statuâ plumbeâ dignam censebat, non dubito, si æquus sit, quin aureâ remuneret hanc longè accuratiorem Patris Bernardi defensionem.

Ad auctarium huius Decadis accedat confutatio animaduersionis 13. quâ in Caietano & Bellarmino ait me Proteum agere, & historiæ rudem ac imperitum prodere, quod vtrumque impensè laudauerim, non omissis quorumdam Censorum aut morosorum, næuis aut repre-

tensionibus; quasi encomia, quæ in illos conieci, videat retractare, hoc solùm nomine quod vel næuis omninò non careant, vel intacti non fuerint à morsibus æmulorum: quâ exceptione putat me leuitatis & imperitiæ accusandum: quæ verò in illos comportat amarulenta dicta, honestati credit, siue quod ius iniuriæ in omnes habeat, siue quod putet fraudandos suatum virtutum ingentibus meritis, quibus aliquis leuior collatione virtutum error obrepserit. Sed facile est vtrumque Ecclesiæ Principem ab adeò atroci censurâ vindicare, & id abundè præstitimus de Bellarmino, paragrapho superiori, & lib. 4. Apologiæ quem citat; de Caietano autem lib. 1. pag. 141. id tantùm annotauerim, me vix credere, sapientissimos Theologos Parisienses Caietani nomen & libros è suis Scholis edicto propulsasse: *Quòd Gersonem*, inquit Launoius, *acrius lacessiuerit, & cum aliis eiusdem Facultati. Theologis, tam inciuiliter se gesserit, vt edixerint, ne in suis Scholis laudaretur.* Hanc pœnam reuera non commeruit; cùm sicuti obseruauimus lib. 1 Apologiæ pag. 151. congesta in se, *viri periculosi eneruatoris Ecclesiasticæ potestatis, falsarij, adulatoris atque blasphemi conuitia condonarit:* & nequidem aduersariorum nomina vllo loco memorarit, ne videretur contumelias reponere; hæc charitas & modestia non potuit adeò atrocem pœnam, qualem illi ex suo ingenio imprecatur Launoius, mereri: Et ideo magis ad Catharini procacitatem in Caietanum, quàm ad seueritatem accidit Cani, qui *ob multas egregias dotes Caietanum ait parem summis ædificatoribus Ecclesiæ, sed quibusdam liberioribus Scripturæ interpretationibus, aut eleuasse, aut imminuisse, quam sibi comparauerat auctoritatem.* Non minus ab æquitate quàm ab eloquentia Cani abest Launoius, & Catharini ingenium spirat; qui non solùm Caietano lites innumeras; sed etiam Soto grauissimam iniquè mouit, quod certitudinem salutis ex fide constitutam ab hæreticis, & ferè probatam à Catharino, acerrimè impugnarit: non admodum distant nostræ cum Launoio ab his Soti cum Catharino contentiones, seu originem spectes, seu contendentium ingenia.

Exciderat vnus Launoianus cauillus, quem ne causetur prætermissum, quasi nequeat refelli, hîc paucis confutabo animaduersione 18. ait *me ridiculum efficere Gregorium IX.*

quòd inducam comminantem *indignationem Sedis Apostolicæ* : Cùm tamen dicat, *si quis contra attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum* : Me autem eâ ratione scribere, vt credam omnipotentem Deum & Apostolos Sedem Apostolicam fuisse, quasi non satis fuerit eam sua potestate implere & munire, vt Sedis Apostolicæ & Dei indignatio non differat, nisi cauillari vellet. Sed hæc futiliora sunt, quàm vt diutiùs nos distineant.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Altera potior Decas Parasyllogismorum Launoij de potestate Ecclesiastica.

QVæ hactenus scripsi, poteram prætermittere, aut verius debebam; ne leuitatis & inconstantiæ arguerer, quasi me pœniteret propositi, ac ferè Sacramenti, quo obstrinxeram me post secundam concertationem nunquam cum Launoio congressurum, quòd nullus esset futurus huiusmodi disceptationum finis, nisi vtriusque aut alterutrius morte; nec fructus ad pietatis aut eruditionis progressum: Et licet aliquis sperari posset, non esse redimendum tot malis & scandalis, quæ ex læsa grauitate & charitate nascerentur: vix enim iis officiis saluis, cum homine perpetuis cauillis & contumeliis assueto disputari potest. Nunquam ab eo sanè consilio discessissem, nisi ex eius amicis, aut discipulis præcipuus illi se adiunxisset; & concione à sexdecim mensibus habitâ præiuisset accusationi grauissimæ, quam Launoius vrget animaduersione 5. & 6. vt me erroris & impietatis, ac omnis iuris diuini & humani reum peragat. Quâ de causâ? Nimirùm quod lib. 1. Apologiæ pag. 137. Ecclesiæ aspectabilis sæculorum & hæresum victricis promissam à Christo incorruptæ fidei perennitatem, Petri, eiusque successorum œcumenicæ administrationi, & Monarchicæ potestati adeò arctè illigarim, vt non dubitauerim scribere eos qui separant quæ Christus apertè coniunxit, qui Petro & summis Pontificibus immolitam Ecclesiam, iisdem obnoxiam faciunt casibus, quos Patriarchales Ecclesiæ Orientis patiuntur,

tiuntur, & reliquæ omnes orbis Christiani subire possunt; qui sic verba Christi interpretantur, vt Sedi Apostolicæ nihil singulare collatum aut promissum esse contendant; sed omnia ad Ecclesiam vniuersalem, & ad Curatos spectare, quorum vtrque causam omnibus antiquiorem habet; eos, inquam, qui ita sentiunt, *Caluinistarum causam promouere, iter ad perfugium Ecclesiæ inuisibilis munire, nisi malint nos in Atheorum voraginem præcipites dare.*

Ad ista Dominus Maræsius concionis suæ pag. 43. ait: *Statuat quisque quod sibi visum fuerit, aut l buerit de his ab animo impotenti profectis verbis; quod ad me attinet, nisi meis oculis omnem fidem abrogem, mihi certissimè persuadeo, extraneorum consiliis & fraude hunc Scriptorem Gallum in suam patriam calamum felle illitum distrinxisse. Eius familiam charam habui, & colo: aliquam etiam illius Auctoris rationem olim habui: sed antiquior mihi est rebus omnibus veritas. Possem-ne citra illius noxam, & ex summâ ignauiâ præuaricationem, assertum adeò præposterum præterire? Quid nisi Papam infallibilem asseramus, & omni erroris periculo eximamus, Caluinistæ euademus, Ecclesiam inaspectabilem comminiscemur, aut in Atheorum voraginem dabimus præcipites? Quis ista ferre possit? An non omnem hominis frugi probitatem, & Christiani religionem eiurabimus, nisi expostulemus de illata Conciliis, Summis Pontifi ibus, Sanctis Patribus, Regibus, Vniuersitatibus, & tot Doctoribus Catholicis, adeò immani calumnia, quæ ipsam apertè Ecclesiam petit, & euertit, futuram inuisibilem vnâ Pontificum morte, & in his tenebris tamdiu mansuram, quamdiu longo interregno vacatura sit Sedes Apostolica? Si ita sit, hæreticorum victrix causa est, & victa Catholicorum. Præterea an Hylarius Atheismum nos docuit, negata Liberio infallibilitate & immunitate* à casu & ab errore? Synodus ergo sexta, *& plures Summi Pontifices antiquâ professione fidei, in Atheismum vergebant, quòd Honorium Papam noluerint infallibilitate donare. Clemens VIII. à Caluinistis stabat, aut consilia Atheorum promouebat, cùm suppressam voluit nouam Scripturæ versionem Sixti V. diplomate munitam. An Adrianus VI. in eandem abyssum deiiciebat, cùm primùm Louanij Academiæ Procancellarius, deinde creatus Pontifex ita scribebat:* Certum est, quod possit, putà Pontifex, errare etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut de-

cretalem asserendo: Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. *Sed ne longius immorer recensendis Pontificibus in errorem lapsis, quorum ipsemet Adrianus init Catalogum; Quis vestrum atheismo grauare se velit, sapientissimi Patres, cùm sanciuistis locum esse appellationi à Papa ad Concilium? Nonne eo decreto docuistis Papam errori obnoxium esse, cùm appellatio nulla sit à judice fallere aut falli nescio? Et quis tandem alius futurus est appellationis vsus, nisi vt inferioris judicis sententia à maiore emendetur aut rescindatur? Qua concordia rilius pretexta immunitatis à casu iniri potest, cum Facultatis doctrinâ? non certè magis quàm tenebrarum cum luce. Feret-ne Parlamentum sibi imponi, Galliam in Atheismum impulisse, cùm Bullam supprimi iussit, qua censura in Iacobum Vernam & Amadaum damnabantur, quasi præsumptuosæ & scandalosæ? Et vos, Patres sapientissimi, idem improperium æquo animo patiemini, quod eidem constitutioni & Bulla intercesseritis, quasi irritæ? &c.* Hæc ferè ad verbum referre visum est, vt agnoscat Lector, mihi adeò graui expostulatione lacessito, quàm fusius & acerbius suâ Epist. prosequitur Launoius, non esse integrum tacere, ne videar silentio aut ista probare, aut refellere non potuisse: quamuis ab vtraque suspicione liberauit me æquitas sapientissimæ Academiæ, graues sine dubio de me pœnas sumpturæ, nisi has scriptiones & declamationes sensisset ex priuatis affectibus aut opinionibus profectas, longè acerbiores esse, quàm æquitas & veritatis quod obtenditur studium, patiatur.

Si qua primum meæ Ethices tomum diligentia, illum probaturus, ipsemet Concionator Theologus legisset, sin totam exercitationem nostram, saltem ipsum quem tantopere vexat locum, nisi in Launoii & Richelii verba iurarit, vel ab ea in totum insectatione abstinuisset, vel mitius & humanius egisset mecum. Quia nostram de primatu Petri, & Summi Pontificis sententiam exagitare non potuit, nisi præter meam mentem disertè explicatam, & intactis quibus me munieram principiis; vt opportunior essem, cui me videbatur deuouere indignationi sapientissimorum judicum & censuræ. Si lubebat suo amico aut magistro lenocinari, & in me totis eloquentiæ viribus agere, cur dissimulauit meam sententiam variis locis, sed luculentius Exercitationis pag. 433. & breuius

pag. 451. explanatam, & extra telum positam? Hoc postremo loco inuictum mihi præsidium exstruxi, quod cum sentiret se non posse vi infringere, populari declamatione me lacessiuit. Asserebam *me putare*, nec immeritò, *Theologiæ, Ecclesiæ, Galliæ, & veritati satisfecisse, de potestate quæ ad Petrum pertinet, inter extremas nimis illigantium Petro, aut laxantium illius iura sententias, mediâ constitutâ, quæ inuidiosas summoueat quæstiones duas de plenâ in Synodos generales, & indirectâ in res temporarias potestate, & iter ad pacem bonis omnibus calcandum strauerам, initâ & firmatâ concordiâ Pontificiam inter & Conciliorum authoritatem, qualem Aristotelis inter & Hypocratis opiniones de origine actionum vitalium, cordi à Philosophorum Principe, & cerebro à Medicorum sapientissimo, seorsim asserta, & à me vtrique coniunctim vindicata: vnde non poterant aduersarii me impòsterum violatorum Concilii Generalis, aut Galliæ iurium suspectum habere: quia sua quibusque seruo hâc sententiarum dissidentium concordia.*

Importunitas accusatorum cogit me, quæ dissimularunt calumniæ fucandæ & exaggerandæ causâ iterum ingerere: in ea Aristotelem inter & Hypocratem graui dissensione de vitæ aut vitalium operationum origine; Ego semotis dubiis, id certum apud omnes eligebam, vitæ principium constare non posse, si cor à cerebro sciungatur. Cuinam verò harum duarum partium primas debeamus, otiosi aut curiosi disputent; nos certa quærimus, & tuta; nec partium studio arbitror Medicorum aut Philosophorum vllum, ita abreptum iri, quin mecum consentiat animantis vitam saluam esse non posse, nisi iungantur quæ ipsi subtili magis quàm necessariâ contentione diuellunt; ita planè censebam de hâc grauissimâ controuersiâ, quæ latius longiusque Transalpinos & Cisalpinos Doctores, quàm interiecti montes disterminat, quo loco resideat pleno iure, aut à quo post Christum repetenda sit suprema regendæ Ecclesiæ, & rerum fidei definiendarum potestas; quibusdam summo Pontifici id iuris vindicantibus, non sine grauibus rationum momentis, quia illius loco est, cui tria, quibus totius Ecclesiæ administratio continetur, conceptis verbis cum designatione anxiâ, sunt promissa & collata; eoque sensu addicta, quo facultas videndi totius corporis oculo asseritur.

Monuetam Launoium pag. 403. contra eos Theologos totis obniteretur viribus, dissoluendis, aut infringendis vinculis quibus hanc supremam potestatem Petro eiusque successoribus illigant, quæ Christus confirmauit & arctiùs astrinxit, quàm à Launoio dissolui, infringi, aut laxari possint, accuratâ & sollicitâ designatione Petri. tum patris, tum proprio & gentilitio, tum nouo nomine toties expresso, vt videretur Christus in eo Principe totius Ecclesiæ designando, vix sibi potuisse satisfacere, & voluisse occupare quascumque interpretationes aliò, etiam in seipsum detortas: vnde illi Theologi inferunt, à Christo totius sacræ potestatis fonte inexhausto, præcipuam partem, ad Ecclesiæ bonum deriuatam in Petrum, quem non potuit pluribus notis aut expressius significare & constituere Ecclesiæ supremum Principem. Rogauetam Launoium cum hoc argumento eluctaretur, & dum perfregerit atque Apodicticè sustulerit; æquior esset in eos, qui eius dictis, & assertis nequeunt veluti indubitatis fidei dogmatibus mentem subiicere: nisi enim id obsequii genus à nobis pro suo summo iure obtendat præstandum, non poterat tanta verborum ferociâ, tantâ censurarum acerbitate, in transmontanos Doctores agere. At ille nequidem id argumentum attigit, aut debilitare adnisus est: nec tamen quidquam de verborum aut censurarum atrocitate & acerbitate remisit, ridendâ magis quàm timendâ, cùm *vana sit sine viribus ira*.

Alii contra obnituntur, licet verba Christi multis notis illigata Petro, eiusque successoribus quasi Ecclesiæ Principibus, esse tamen laxanda & protendenda in vniuersam Ecclesiam, saltem in Conciliis congregatam, & in illis residere, ac in alios deriuati huius plenitudinem potestatis, à Gersone & Almaino, aliisque eiusdem facultatis Theologis suffultam comparatione laicæ potestatis cum sacra, nec dissimili quoad hoc vti contendunt, caput. Sicut politicæ potestatis origo & plenitudo est penès Reipublicæ in Principes velut summos Ministros publici boni diffluit: ita à Conciliis in summos Pontifices, non solùm communicandam, sed etiam exercendam esse volunt potestatem. Quid nos ad ista? votis potius agimus, quàm censuris: Concordes vellemus omnes; & cùm id sperari vix possit, saluâ voluntatum consensione, æquiores in se

optamus esse, quam Launoium & Maræsium in diuersarum partium Theologos; & ne votis tantùm rem Christianam videamur iuuare, tentamus rationem concordiæ, eâ lege, vt qui illam labefactet, omnium iudicio sit intestabilis. Hoc vastiori Launoiano animi sinu, omnes complector, omnes veneror, nullum hæresis damno, aut perduellionis in leges patrias. Ad æquissimam consensionem rationes honestissimas aperio, omnibus probandas, & confutandis hæreticis idoneas; quas hîc breui subiiciam, tum vt vindicem me ab insectationibus duorum hominum, tum vt me piis omnibus approbem: nec spe meâ fraudabor, si id obtineam, vt audiar, semotis præiudiciis.

Catholicorum nullus negare potest, præter Scripturam & Traditionem, supremum controuersiarum judicem aspectabili Ecclesiæ à Christo fuisse constitutum: nec dubitandi locum esse, quin in vno horum trium ea summa & infallibilis definiendi facultas resideat, aut in Conciliis œcumenicis semoto capite, aut in summo Pontifice etiam à Conciliis seiuncto, aut in vtriusque extremorum cognatione & necessitudine; si partes seiungas, nullus erit disceptandi finis, si conciliis Acephalis supremam & infallibilem definiendi potestatem tribuas, inquirentur Conciliorum errores, nec illos metentibus deerit copiosissima seges: si summis Pontificibus à Concilio Generali seiunctis id iuris asseras, obtrudentur Marcellini, Liberii, Felicis, Honorii, Vigilii lapsus in errores seu veros, seu falsos, nec facilis erit diffidentium partium victoria aut concordia; plures pro summorum Pontificum, quàm pro Conciliorum Generalium, aut quæ Generalia superent infallibilitate, & fortè felicius pugnabunt.

E duobus supra triginta Conciliis, quæ circumferuntur & numerantur œcumenica, Trinitarii, seu Socinniani, nullum prorsus recipiunt: Nestoriani in Oriente superstites omnia præter duo priora, reiiciunt; Eutychiani qui in Asia residui sunt, tria priora, Lutherani sex, Græci septem tantùm approbant: nos octodecim recipimus; è quibus octo priora summi Pontifices confirmarunt, nouem sequentibus præfuere, & postremum Tridentinum Pius IV. approbauit: ex reliquis quæ supersunt septem omnino damnantur à Catholicis, sex partim reiiciuntur, partim

probantur: vnum nempe Pisanum, anno 1409 habitum, in medio à multis relinquitur, nec probatum, nec reiectum manifestè. Licet plusquam decies maior sit Romanorum Pontificum quàm Conciliorum oecumenicorum numerus, pauciores tamen sunt quàm Concilia, ne dicam conuicti, sed vix etiam suspecti alicuius hæresis definitæ. Quid enim accusationes Marcellini, Liberii, Felicis, Honorii, & Ioannis XXII. præ grauissimâ & apertissimâ damnatione Synodi Ariminensis (vt Antiochenam, Ephesinam secundam, duas Constantinopolitanas prætermittam) quæ suffragio sexcentorum Episcoporum nomen ὁμόουσιος in Arrianorum gratiam è Symbolo sustulit & oblitterauit? Quid si Liberius & Felix eorumdem Arrianorum, vel Honorius Monothelitarum causâ quid simile facinori Ariminensis Concilii apertè tentassent? Quas Tragœdias Launoius & Maræsius in me concitarent, cùm vix mihi condonent insani & hæretici nomen, quod obiectos iis tribus summis Pontificibus errores scripserim, reuocandos esse ad ignauiam animi, ad ambitum honorum, vel ad facti aut conuersationis inscitiam? quod inuictis ferè argumentis demonstrat Bellarminus lib. 4 de summo Pontifice cap. 9. & 11.

Nam quod ad Liberium attinet, duo certa sunt: primum ab assumpto Pontificatu ad exilium vsque, acerrimè pro fide Catholica decertasse: Deinde Constantii imperio Sedi Apostolicæ restitutum, depulso Felice, qui illam occupauerat, dum incertus de fide Liberii rumor percrebuit; fuisse orthodoxum & Macedonianos hæreticos damnasse: vnum superest dubium, an interiecto tempore lapsus sit in errorem conuersationis, aut fidei. Omnes consentiunt tædio longioris exilii Imperatoris acquieuisse voluntati, subscriptâ damnatione Athanasii, & Arrianis ad communionem receptis: Quæ tamen duo argumenta, ne reus sit hæresis, his validioribus eleuantur; primum probasse sententiam in Athanasium latam, non fidei, sed aliorum quæ obtendebantur criminum causâ: Cùm hæreticis verò communicasse ipsemet suis Epistolis testatur, quod præferrent fidem cum Catholica congruam, & alienam ab Arriana perfidia. Præterea Sozomenus lib. 4. cap. 14. Nicephorus lib. 9. cap. 37. referunt à Liberio Episcopos Arrianos nihil aliud efflagitasse, quàm consensum Sic-

miensi contra Photium, & Antiochenæ editæ in encæniis confessioni; vtramque verò Hilarius lib. de Synodis sensu Catholico interpretatur: Deinde iisdem testibus adeò longè abfuitab assensu in Arrianam confessionem, vt antequam Sirmino discederet, singularem ediderit confessionem, quæ anathema pronunciabat in eos omnes, qui Filium Patri consubstantialem esse negarent; idque consulto monuit fecisse, se muniendi causâ contra sparsos ab Arianis rumores Liberium pro se stare. Cur igitur ab Hilario, ab Athanasio, & à Hieronymo damnatur? Nempe quod à Constantio exilii tædio deiectus Athanasium damnari permiserit, quem nouerat solâ fidei causâ impeti, licet alia crimina obtenderent aduersarii, quos communicatione dignatus est, quamuis non ignoraret ex animo hæreticos esse. Verum si quid hâc re & toto tempore inter exilium, & reuocationem transacto peccatum sit à Liberio in fidem incorruptam Ecclesiæ Romanæ, singulari Dei beneficio, & mirâ immutatione Felicis resarcitum, aut verius coercitum est, ne in vllum Romanæ Ecclesiæ dedecus vergeret: ipso Liberii (si quis fuit) à fide lapsu, aut saltem illius rumore commotus Romanus Clerus Felicem Pont ficatus potius ex ambitione candidatum quàm possessorem, Liberio suffecit, & tum quasi in virum alterum mutatus Felix quos Adiutores habuerat ad occupandam Sedem, Arrianos, eò prouectus censuris prosecutus est, & Imperatorem Constantium, Episcopos Vrsatium & Valentem quibuscum Liberius pacem inierat, hæreticos esse ex cathedra pronunciauit. Huius iniuriæ vlciscendæ causâ, ab Arrianis, restituto Liberio, deiectus est, & vt multis probat Bellarminus, vel capite cæsus, vel confectus ærumnis, pro fide. Martyr gloriosus occubuit. Si tales tantique sint, qui præ cæteris Romanis Pontificibus Launoio & Maræsio visi sunt accusationibus erroris opportuni, quàm puros sanctosque esse oportet, quos intactos relinquunt? Nec Honorium primum Monotelismi apertius aut validius quàm duos superiores Arrianismi accusant, licet plures aduocent testes, nec desint tres Synodi, quæ Honorio anathema pronunciarunt, easque imitati sint aliquot ex Romanis Pontificibus: Sed reuera tot tantisque lucu-lentis litterarum monumentis innocentia Honorii comprobatur, vt hic labor & hoc opus sit accusari Honorii ju-

dices defendere, & vix aliâ ratione latum in insontem anathema excusari possit, quàm errore facti, qui ex tabulis, aliisque testimoniis obrepere queat Synodis generalibus Nam iisdem Epistolis vnde arrepta est occasio iudicii, exertè distinguit Honorius humanam Christi à diuinâ, voluntatem: Quamuis hæresis nascentis sopiendæ & in suo ortu extinguendæ causâ, caueat duas prædicari, ne viderentur inter se pugnantes. Sed quidquid sit, quâcumque, summi Pontifices, seu priuatam, seu publicam personam gerant, donati sint immunitate erroris, cuius hactenus ab æmulis conuinci non potuere; hac in re illorum dignitati & Ecclesiæ securitati, ne omni vento doctrinæ circumferamur, satis consultum puto, comparatione cum prædestinatis quam lib. 1. Apologiæ sect. 3. art. 2. prosequor, his penè verbis: Communis est totius Ecclesiæ sensus, quos Deus dignatus est singulari beneficio suæ prædestinationis conscios facere (quod Paulo aliisque Apostolis collatum Patres scripserunt) nunquam sibi deesse; nec solùm accuratè & diligenter, sed etiam anxiè, & cum tremore suam salutem operari; ac perinde sollicitos esse bonorum operum, & fugæ peccati, ac si nullum haberent suæ salutis certum pignus: quia eadem prædestinationis ratio & efficacia, quæ vitæ exitum felicem statuit, & indubitatam gloriæ consecutionem, è mediis ad hunc finem paratis, præcipuum exigit & affert ipsum damnationis timorem, fugam peccati, & sollicitam de perseuerantia curam Ita plane de dote fidei incorruptæ Petro & Romanis Pontificibus promissâ ad nostram firmandam sentimus. Esto, demus indeflexam à recto, à vero, & à metis, quas Christus præfixit; certum tamen est prouisa ad hoc media, nempe precationes ad Deum, sapientum consilia, verbi Dei examen, inquisitionem Traditionis, consensum Ecclesiarum; quæ subsidia cùm plenius suppetant ex Conciliis generalibus, quis dubitet ipsorum accessione cum Pontificiâ authoritate supremam confici harum duarum coniunctione potestatem definiendi res fidei vltimo decretorio & infallibili iudicio? Sint ergo Concilia Acephala, qualia erant Ariminense, Antiochenum &c. obnoxia errori; eidem demus gratis subiici periculo summos Pontifices, seu priuatam, seu publicam personam gerant; donec Concilia generalia aduocarint,

ſibique adiunxerint: Quid initâ hâ: duarum poteſtatum cognatione deſiderari poteſt ad infallibilitatem? Hoc eodem, quem adeò acerbè exagitant loco ex lib. 1. pag. 135. priuilegium Romanæ Eccleſiæ aſſerui ſupra cæteros Orientis Patriarchales, *inquaſſabiliter ſolam regnare*, tum poteſtate in alias, tum incorruptâ fide & infallibili facultate definiendi ex Cathedra, ad minus dum in Conciliis generalibus decreta conduntur. Non puto mentem meam ſic explicatam Launoium & Maræſium impoſterum inſectaturos, quaſi Atheiſmi conſcios, & Authores fecerim, qui nos in eam impietatis voraginem deiecerint, vnâ dubitatione infallibilitatis Pontificum, quæ ipſis vel falſa fuerit vel incerta. Eſto, dubitauerint aliqui Catholicorum hanc dotem ſummis Pontificibus, vel priuatim, vel ſeorſim à Synodo agentibus competere: Quis ſaluò nedum Catholici, ſed etiam Chriſtiani nomine negare poſſit, eâ coniunctione, ſupremum coaleſcere ſummi Pontificis cum Concilio œcumenico ad definitiones fidei iudicium? Et qui illud labefactare auſi fuerint, promouere cauſam Caluiniſtarum, iter munire, &c.

Quamuis quæ hactenus præmiſſa ſunt me in tuto ponant contra declamationes vtriuſque Theologi: tamen vt peruicacioribus & moroſioribus ſatisfaciam, & quæ Launoius animaduerſione 5. 6. 7. 11. & 12 congerit, validè conuellam: hoc vtrumque Theologum poſtulatu conuenio, an cenſeant quibus Petrum Chriſtus compellat verbis, Matth. 16. aliquid ipſi quaſi Eccleſiæ Principi ſingulare polliceri, eiuſque ſucceſſoribus; an omnia æquo iure ad vniuerſæ Eccleſiæ Patres, & paſtores, ne quidem exceptis Curatis pertinere? Si primum aſſerant, liberant me à tot & tantis, quibus obruebar accuſationibus, nec fruſtra expoſtulaui in eos qui Eccleſiam Romanam perinde ac cæteras Patriarchales caſui obnoxiam faciunt, eos inuiſibilem Caluiniſtarum inducere, vel Atheiſmum, ſublata funditùs religione. Si poſtremum velint, ſciant ſe in Chriſtianiſmum inuehere Democratiam, & confuſionem Babilonicam, euerſâ Monarchiâ contra omnium Catholicorum vniuerſim, & maximè ex Eccleſiâ Gallicanâ illuſtriorum & totius Academiæ Pariſienſis ſenſum: Id apodicticè hoc argumento demonſtro: Certum eſt eâ ſolemni pollicitatione Chriſtum aſtrinxiſſe, fidem incorruptam

Eccl. fiæ, quàm certâ regiminis formâ instituturus erat, seruandam: Atqui Ecclesiæ visibili nec Democraticum, nec purum Aristocraticum, sed Monarchicum regimen præscripsit, constituto principe Petro, & eadem potestate ordinaria in eius successores transmittenda, ac moderanda adiuncta Aristocraria, seu sapientum aut Conciliorum accessione. Ergo quisquis Ecclesiam Petri successoribus, his promissionibus Christi, & dotibus munitam, obnoxiam casui facit, sicut cæteras Patriarchales in ruinam lapsas, quarum capira & Pastores ex cathedra & in Conciliis generalibus hæreses probarunt; verè Ecclesiam Christi cum Caluinistis inuisibilem comminiscitur, &c. Quid ex hác argumentatione negari tutò possit non video: consecutio legitima est, si Dialecticorum leges obtinent: prima propositio, *apertior est quàm vt interpretanda, & disertior est quàm vt adiuuanda sit*, nec vllum video aduersariis patetere effugium, nisi effracto obice secundæ propositionis negent Christum suæ Ecclesiæ regimen Monarchicum Aristocratico temperatum constituisse. Sed Launoius toto corde cum suis consectaneis ab hoc regimine abhorret in Democraticum propensissimus, quem tamen apertè non audet proferre, certus suæ damnationis, & immunitatis omnium nostrûm ab suis contumeliis, vbi primum eius propriâ confessione omnibus innotuerit, nos pro sacra Monarchiâ Ecclesiæ stare contra turbulentiores (si contingant) Gracchis Tribunos plebis pugnantes pro Democratiæ confusione Babylonicâ; & à sacrâ facultate, & ab omnibus vniuersim Gallis (Si Caluinistas excipiamus) damnatum iri. Non proferam pro nostrâ secundâ propositione antiquorum Galliæ Scriptorum testimonia Prosperi, Auiti, Bernardi, Exercitationis pag. 410. annotata; Non addam suffragia Gersonis, Almaini, Ioannis maioris, aliorumque Academiæ Parisiensis Theologorum, qui potestatem pontificiam Regiæ & Monarchicæ æquant repetitâ vtriusque origine ab Ordinibus, seu comitiis generalibus status sacri & politici: quorum opinionem Launoius conceptis verbis eiurat animaduersione 14. ac proinde nihil prorsus commune habet cum antiquis Academiæ Parisiensis Theologis: Nec melius illi conuenit cum eiusdem sacræ facultatis decreto, quo circiter anno 1659. plenis comitiis respondet ad amplissimi Senatus consulta de

duobus Apostolocis diplomatibus his verbis : *Antequam verò ipsa Theologiæ facultas tantâ de re tantique ponderis tractare inciperet, omnes & singuli Magistri nostri* (verba sunt sacræ facultatis) *palam apertoque ore professi sunt, nihil se in summorum Pontificum authoritatem decernere, aut moliri aut etiam cogitare velle ; imò vero omnes & singuli, vt obedientiæ filii ipsum Romanum Pontificem, vt summum Iesu-Christi Vicarium, & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data sit, cui omnes vtriusque sexus obedire, cuius decreta venerari, & pro se quisque tueri & obseruare teneantur, vt semper agnouerunt, & confessi sunt, ita nunc quoque sincerè, fideliter & libenter agnoscunt, & confitentur.* Obseruat Pater Guiard pag.161. Anonymum quemdam, Launoii sine dubio asseclam pessimè habuisse, quo sacra facultas Rom. Pontificem donauit, titulum τὸ *Ecclesiæ vniuersalem Pastorem*. & quâdam collectione censurarum facultatis parisiensis, editâ anno 1556 sic corrupisse decreti verba, *Pasteur de l'Eglise vniuerselle*, quasi nihil differre vellet, *inter Pastorem vniuersalem Ecclesiæ, & Pastorem Ecclesiæ vniuersalis.*

Sed quis Gallorum, nisi Caluinista sit, ab hac nostra possit assertione recedere? *Ecclesiæ regimen Monarchicum, esse penès Pontificem constitutum*, caput visibile *Ecclesiæ vniuersalis*, cùm ipsimet, qui ex totâ Galliâ minus affecti & beneuoli censentur esse Romano Pontifici, multaque dura patiuntur suspecti nomine illius potestatis artiùs restrictæ, eam toto corde amplectantur ; & quâ impetuntur, accusationem veluti calumniam multis amoliatur postremus Apologista Virginum regii portus ? Nam cùm imbutæ sint doctrinâ Abbatis Sancyrani, & Authoris libri de Ecclesia Romana bicipiti, plures suspicabantur negatam ab illis subscriptionem pontificiatum constitutionum de sensu Iansenii, vno contemptu pontificum authoritatis, quasi nollent illum, caput Ecclesiæ visibilis & pastorem vniuersalem agnoscere. Sed Apologista nominatus responsione ad 5. incusationem, multis demonstrat, tum Virgines ipsas, tum illarum Magistros ab eâ opinione quasi à manifestâ hæresi abhorrere. Id enim conceptis verbis habet Petrus Aurelius, (quo se nomine texit Abbas Sancyranus) in vindiciis censuræ parisiensis, & aduersario obiicit p. 12. *Quæ sine dubio*, inquit, *execranda hæresis est*,

vniuersalis Ecclesiæ caput radicitus exstirpans, eâdemque opera totum Ecclesiæ corpus à fundamento euertens. Ne igitur imposterum mirentur Launoius & Maræsius, & me tandem desinant traducere quasi nouæ & peregrinæ consecutionis cusorem, si vniuersalis Ecclesiæ caput, & summus pontifex cum ea cui præest visibili Ecclesiæ, errori obnoxius sit; totam à fundamentis euerti: quandoquidē qui omnium inter Catholicos ex Gallia censebatur ab authoritate pontificia alienissimus, mihi ad illam consequentiam præiuit; plura legi possunt responsione ad 5 accusatioi em vbi refertur regii portus Virgines Catechismum Abbatis Sancyrani edoctas Ecclesiam definire, *Societatem Fidelium sub vno capite visibili Romano Pontifice:* Et ex quibusdam in Euangelia meditationibus adnotat Apologista Abbatem Sancyranum in Euangelium quod prælegitur die Mercurii hebdomadæ paschatis ex cap. 21. Ioannis depromptum ista obseruasse: *Sicut Petrus nihil, aliis Apostolis semotis, ita istos seiunctos à Petro nihil promouisse: Christum quidem omnes in commune al ocutum his verbis* afferte de piscibus *Sed hoc Petro singulare esse, quòd solus nauiculam conscenderit, & cum retibus versus littus ad Christum traxerit, vt argumento sit Apostolorum conatus, nihil promotu os, citra vnionem cum Pet o: cuius Cathedra perpetuò sit in Ecclesia mansura:* Aliud habet maioris momenti, quo depellitur obiectio Launoii & Maræsii p. 32. vindiciarum censuræ Parisiensis vbi ista leguntur: *Nam regimen quidem Ecclesiæ fatetur* Spongia cum quo disputat, *Monarchiam, & vnionem ad visibile caput esse Ecclesiæ essentiam; sed semper disertè fateri fugit, ad habendam istam vnionem necesse esse, vt quis electionem veri capitis procuret, quantum in se est; & quacumque eam remorentur, auferat; semperque supponit ad seruandam vniuersalis Ecclesiæ vnionem satis esse habere in animo agnoscere Papam, quando electus erit, neque quidquam amplius exigi.* Et iterum pag. 34. nullius eorum quos Launoius vocat Palpatores Curiæ Romanæ, sublimius aut dignius eius potestatem attollit, quàm ipse qui ab eius veneratione remotissimus censebatur, his verbis: *Authoritas & status Pontificialis stabilis penitus & immobilis, & velut anima Ecclesiæ: subiectum autem & quasi materia authoritatis illius, est persona illa, cui Deus eam potestatem largitur.* Si huius Authoris discipuli, & qui in eius verba censentur iurare,

eâque de causâ multas patiuntur calamitates, quasi à reuerentia in summum Pontificem, eiusque documentis, suspicio sit longius abductos esse; Quid Launoius, quid eius opinionibus imbuti commerebuntur, qui ferè hæresibus accensent regimen totius Ecclesiæ Monarchicum penès summos Pontifices seruatum? Quod isti venerantur, Launoius cachinnis prosequitur, & nobis in perniciem vertit.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Altera Decas decem Paralogismorum sigillatim confutatur.

QVamuis radicitus conuulsa sint fundamenta Launoii, & in eius caput contorta, quæ in nostrum vibrabat tela & argumenta; comprimendæ tamen eius ferociæ, quæ ascendit semper, sigillatim expendam, quæ illis quinque animaduersionibus complexus est. Quinta non disputationem, sed declamationem instituit, aut verius quoddam cantilenæ genus quater supra vigesies repetito hoc intercalari versu, *igitur in Atheorum voraginem, &c.* Si pueris, Launoj! aut imperitis te approbare volebas, voti compos cumulatè factus es, & cum magnâ tui admiratione, nonnihil etiam in me indignationis animo Lectoris ignari harum controuersiarum iniecisti. Sed vt has technas dispellam vinginti quatuor Seniorū testimonia in tres ordines digeram: Ad primam parerga, ad secundam quæ aliquam speciem argumenti habent ex quæstionibus facti, ad tertiam quæ sumuntur à quæstionibus iuris reuocabo. Audio Launoium sibi de hâc animaduersione mirum in modum blandiri & applaudere, quasi me eâ deiecerit, vt non dubitarit his illam verbis claudere. *Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit; & homunculum talem cum Bernardo de Monte Politiano, Iacobo Clemente non execretur?* Humanius tecum agam, Launoj! nec *homuncionem execrandum* appellabo: sed potius artificem Colossi immanioris Rhodio & Babylonico: Sed heu malum! illum immolitus est argillæ, vt lapilli casu in cineres & in fumum facescat. Hoc vno verbo tuam declamationem & cantilenam delebo; me nullius, quæ

imprecaris malorum veniam petere, si ex tot testibus vel vnum proferas, qui non asseruerit, quod pertinacissimè negas: Ecclesiæ regimini Monarchico Petri successoribus diuino iure asserto & Aristocratio temperato promissionibus diuinis sic alligatam incorruptæ fidei perennitatem, vt aliarum Ecclesiarum ruinæ non sit obnoxia, nec quod istis contigit, auditum sit vnquam, aut fieri potuerit, Romanum pontificem vt pastorem Ecclesiæ aliquo decreto ad omnes Ecclesias directo, vel alicuius à se congregati Concilii confirmatione vllum contra fidem errorem approbasse: & cùm in eos tantum qui istud ius abrogant Sedi Apostolicæ, quam exagitas consecutionem Atheismi, aut Caluinismi inuexerim; frustra illam tot ingestis testibus excipis, nisi quam astruo summis Pontificibus in Concilio Generali definientibus, demant immunitatem ab errore; At ne dicam omnes, aut illorum aliquot conceptis verbis id asseruisse; sed nequidem vlli in mentem etiam per insomnium venisse, apertissimum est tuam animaduersionem decurrenti. Illorum plures testes nequidem erroris meminerunt, & illos ad primam classem reuoco, quâ dixi tua parerga contineri

Huius generis est ordine primum à Clemente VIII. supprimente, quam inducere parabat Sixtus V. Bibliorum versionem nouam veteri suffectam: Et hâc re accinit Launoius vt solet Caluinistis, qui inde *Papale bellum in Sedis Apostolica noxam decantarunt*: Launoius quidem id factum putat, quod *Sixtus grauiter errasset*. Hoc illi non asserendum, sed probandum fuerat; ad minus insinuata aliqua hæresi quam versio Sixtiana inuexisset. Cæterum isti supprimendæ, etiamsi omni næuo careret, satis erat tot sæculis comparata antiquæ versioni reuerentia: cuius seruandæ, non vllius erroris in Sixti versione damnandi erroris causâ decretum edidit Clemens VIII Ad eamdem parergorum classem spectat 4. ordine testimonium à Sanctorum apotheosi atque Ecclesiæ fastis inscriptione; quæ cùm ad definitiones fidei certò non pertineat, ineptissimè aduersarius argumentatur à dubitatione de re, quæ fidei certitudinem excludat: quandoquidem ad illam idonea non est Sanctorum canonizatio. Sed hæc quæstio subtilior est, quàm vt à Launoio (qui omnia pingui Mineruâ & illotis manibus tractat) tantus argumentorum delectus

expectari possit. Sed stupenda est hominis in sedem Apostolicam vesania: illi imputat errores & scelera eorum, etiam qui inde depelluntur, quasi spurii & falsi Pontifices. Eò pertinet 5. ordine testimonium Iulii II. statuentis eos qui Sedem Apostolicam *simonia mercantur nullos, esse Pontifices*, sed verius hæresiarchas: quâ ergo consecutione, aut conscientiâ nullorum pontificum scelera trahit in legitimorum noxam? Eodem vitio laborat 16. testimonium à Felice, cuius, inquit, nomen è cathalogo pontificum delent Augustinus & Optatus. Tu ita transuersus in nos ageris, vt quam impetis, causam iuues. Si Felix non sit accensendus cathalogo pontificum, cur eius erroribus Sedem Apostolicam infamas? parergis accenseo testimonium ordine 22. à censurâ Facultatis Parisiensis in hanc Ioannis Angeli minoritæ assertionem: *Quicumque contradicit voluntati Papæ, paganisat.* Quid hoc ad rem nostram de voluntate Papæ vniuersim? Quia nos tantùm incusamus eos Caluinismi, qui voluntati Papæ ex Cathedra, adiuncto etiam Concilio Generali fidei res definientis obsistunt: appellationem à summo Pontifice hanc tantùm postremam damnaui Caluinistarum hæresis: Quare frustra commouet Maræsius, contra me Parlamenta, quasi Caluinismi damnarim quamcumque appellationem à summo Pontifice, etiam de rebus temporariis: cum de veritatibus fidei, adiuncto etiam Concilio definiendis, eo qui vexatur loco, differuerim. Quidni ergo parergis, vt rei acerbitatem mitiori verbo deliniam, accensebo omnes Launoii & Maræsii declamationes? cum nullius exemplum aut testimonium afferant, qui vel minimum erroris suspectas habuerint definitiones Pontificum, maximè firmatas accessione Conciliorum.

Hinc conuelluntur duo eiusdem ordinis difficiliora testimonia Pauli IV. ordine secundum & Gregorii XI. ordine septimum: ille in grauissimâ controuersiâ de matrimonio rato dirimendo Doctorum suffragia efflagitat cum modesta suæ inscitiæ, & suspensi animi confessione: quod Paulus de dispensatione deliberaturus protestatur, maiori pietatis sensu Gregorius vir eximiæ sanctitatis iam ferè animum agens vsurpat, & delictorum veniam condigna Christiano humilitate deprecatur. Si Launoius velut apis argumentosa hæc humilitatis & modestiæ Pontificum

exempla decurreret; fauos mellis & tantarum virtutum imitationis studium inde colligeret: Sed heu! vereor, ne propius absit ab aranearum indole & veneno. Quidquid sit, quod inde summis Pontificibus molitur malum, depulimus luculentâ comparatione potestatis pontificiæ ad res fidei definiendas cum electo ad vitam æternam diuinâ reuelatione suæ salutis certo. Putat-ne Launoius Paulum de sua prædestinatione anxium, cùm ita scribebat: *Nihil mihi conscius sum, &c. Sed castigo corpus, ne cum aliis prædicauerim; ipse reprobus efficiar.* Credit-ne dum in extremis versabatur, metu & dolore præteritorum peccatorum, promissionem æternæ salutis, vel incertam habuisse, vel irritam fecisse? Ita plane Pauli IV. & Gregorii XI. verba ad sensum prædestinati suæ electionis certi, seu dum viuit, seu dum extremum diem clausurus est, accommodanda sunt: Et si aliquam ex humilitate dubitationem præferant, non magis sunt hæc trahenda in definiendi potestatis quàm prædestinatorum in reuelatæ salutis dubitationem & noxam. Si hôc exemplo deliniri, vel ad modestiæ imitationem trahi nequeat Launoius, sed summo iure & solitâ ferociâ nobiscum his testimoniis & exemplis agat: Respondeo neutrum egisse de rebus à se definitis quâcumque ratione; multò minus aduocato Concilio generali, cuius vnius cum Pontifice cognatione Summam constituo Ecclesiæ potestatem; quam nemo dissoluat citra Atheismum aut Caluinismum.

Tot congesta temere testimonia, vnius tantùm loco paralogismi annumero; adeò liberaliter ago cum homine qui nullius vel minimi verbi calumniæ opportuni mihi gratiam facit: Ego illi innumera vitia condono, & multa in vnius reatum congero. Ad secundum ordinem paralogismorum plura pertinent ex eadem declamatione testimonia, repetita à quæstionibus facti, & ab imputatis erroribus quibusdam Pontificum Romanorum: ex quibus grauius incusatos Marcellinum, Felicem, Liberium, & Honorium, propugnauimus, & huius postremi vindiciis addo, testimonium inuictum Sancti Maximi Martyris Honorio Coætanei, cuius certam Monotelitis aduersam ex ore Secretarij qui Epistolam Pontificis scripserat, testatur se excepisse. Hâc itaque vnâ responsione conuellitur 10. ordine testimonium Adriani 2. Epistolis ad 8. Synodum

Honorio

Honorio ab Orientalibus dictum anathema referentis, ex errore facti, seu ex aliquo Epist. Honorii ambiguo verbo, eâdem responsione eleuatur 11. 12. 17. de eodem Honorio testimonium. Nec validiora sunt, vel magis ad rem 13 & 15. 18. de Liberio: Nullus illorum incusatur, nedum assensu Concilii generalis; sed nec etiam decreto expresso confirmati aduersus fidem alicuius erroris.

Ad postremam denique classem reuocantur quæ supersunt testimonia: E quibus est Adriani VI. ordine sextum: ille summum Pontificem obnoxium errori facit, & ait, *se euacuare velle, quam alij asserunt impossibilitatem errandi.* Quamuis illud testimonium propius cæteris accedat ad mentem Launoii; immane tamen distat ab eius opinione de nostra Thesi. Negat-ne Adrianus, quod vnum hîc contendo, summum Pontificem vt caput Generalis Concilii, donatum esse immunitate ab errore? & qui hanc illi abstulerit, in Caluinismum meo iudicio impinget: Sed inde remotum Adrianum assero: multòque magis distat Eugenius IV. à quo desumitur 6. ordine testimonium: eo sibi Concilium generale anteponit. Sed quid hoc ad nostram controuersiam? Neque enim hîc Concilii & summi Pontificis potestatem, ad contentiones comparamus; sed iungimus ad concordiam, & ad certam definitionum fidei regulam: idque vnum volunt numero 21. relati Dominicus Iacobacius, & Thomas Campegius, qui testium agmen claudunt, patimur illos, aut certè Caluinismi non damnamus, etiam primas Conciliis deferre, dummodò Acephalis seiuncto capite, non tribuant supremum & infallibile iudicium: nos certis & indubitatis principiis demonstrauimus nullo loco residere perennem & incorruptam fidem citra pontificis Romani & Petri successorum consortium: paris certitudinis consecutione deduximus, eos qui hoc iure ad minus in partem cum Conciliis summos pontifices fraudant, imprudentissimè totius Ecclesiæ ruinam moliri, quàm longâ ad molestiam magis quàm ad vires inductione testium frustra aduersarius aggressus est & lacessiuit.

Multò infœlicius agit totâ animaduersione 6. vbi spretæ philosophiæ grauissimas dat pœnas, quæ etiam possint explere acriorum hostium vindictæ cupiditatem. Aristotelis contemptum non impunè tulit, dum videri vult illum

aſpernari magis quàm neſcire, nec attentius legit, in duas pudendas totâ eâ animaduerſione allucinationes impegit, nequidem ferendas in tyrone, qui Logicam & Philoſophiæ partem aliquam à limine ſalutarit. Quis illarum etiam ſcientiarum rudis, dummodò donatus ſit ſenſu communi ignorare poteſt, ineptam eſſe, conſecutionem à ſenſu identico ad formalẽ, Petrus conſtat corpore & animâ & eſt viſibilis: Ergo anima ſub viſum cadit? Quis prætereà corpus politicum ad leges corporis phyſici & viuentis eo rigore exigat, vt ſi corpus viuens animantis vno momento ſtare nequeat corde auulſo, aut truncato capite; ita concidat Reſpublica & Regnum morte Principis, aut interregno vnius aut alterius anni, dum idoneus quæritur Princeps defuncto ſufficiendus? Sic tamen totâ eâ animaduerſione ineptit Launoius. Corpus politicum metiri nos vult ad rigorem corporis phyſici, vt ſi vel vno die Eccleſia careat capite viſibili ſummo Pontifice, inuiſibilis euadat; & ſi dote infallibilis atque incorruptæ fidei donetur Eccleſiæ communicandâ, quaſi vi occultâ, quâ perennitatem conſequatur; contendit ex meâ mente, infallibilitate ſummi Pontificis Eccleſiam conſtitui viſibilem: Et vbi huiuſmodi nugis oppleuit 14. pag. non dubitat magnâ fiduciâ animaduerſioni inſcribere hunc minacem titulum: *Baronis error circa viſibilis Eccleſiæ rationem, detegitur & configitur.* Non reponam paria verba; nec opus eſt aduerſarii imperitiam detegere; cùm in oculos Lectorum incurrat: Quem enim amicorum & admiratorum Launoii non pudeat, paſſos eſſe ſuum iudicium mereri, ac penè rapere eum Dialogiſtam & Theologum, qui à ſenſu identico ad formalem, & à corporis phyſici arctâ partium cognatione, inuictam putet ad politicum conſecutionem, vt non magis regnum ſublato aut deſiderato ad diem Principe ſtare poſſit, quàm animans capite mulctatum? His tamen nugis & ineptiis plures dementat.

Audiamus noſtrum inuictum Dialogiſtam: tria diſtinxeram quibus Petrum Chriſtus compellauerat verborum ſignificata: primo inſtitutionem Eccleſiæ viſibilis; ſecundo præſcriptam illi formam Monarchici regiminis, additâ Ariſtocratiâ; tertio dotem perennis & incorruptæ fidei, quâ adminiſtratio Petri & ſucceſſorum ſingulari Dei beneficio ad totius Eccleſiæ Catholicæ incolumitatem æter-

nùm munienda erat. Ecclesiam visibilem efficit regimen pastorum sub vno capite potestas infallibilis ad occultas & fide credendas causas pertinet, nec nostris subiicitur oculis; quin potiùs ipsâ & visibili ministerio pastorum, Ecclesia veluti anima & corpore constituitur. Quid ad hæc Launoius? Contendit me visibilis Ecclesiæ notas delere constitutas à Banne, à Bellarmino, & à Concilio Senonensi, quorum omnium homo otiosissimus & chartis perdendis natus latissimè exscribit; vt hanc ineptissimam consecutionem texat: *Baro confert Summis Pontificibus immunitatem ab errore circa fidem & mores, & eos qui hanc dotem negant, accusat Caluinismi, & perfugii ad Ecclesiam inuisibilem*: Ergo Authore Baronio, Ecclesia visibilis constituitur infallibilitate summi pontificis veluti formâ, sicut corpus colore & luce visibile efficitur. Huic illationi absurdæ & à sensu identico ad formalem inconsequenti probandæ sex impendit folia, quæ scribere non potuit, nisi principatu rei litterariæ tantâ fiduciâ affectato & vsurpato, ut credat se eò gloriæ prouectum, quo Catonem quidam ex antiquis promouebant: illum adeò compertæ sapientiæ prædicabant, vt quam æmuli nimiam vini potationem viro obiectabant, ab eo honestari posse, magis censerent quàm ab ebrietate vllum pati Catonem famæ detrimentum: nisi ad id gloriæ fastidium se peruenisse putaret Launoius, adeo-ne strenuè futilia & inepta scriberet vnquam? Quæ verò illius generis hoc 4. paralogismo contineantur, isto exemplo agnosce, Lector, si quis sic disputaret: Launoio opus est animâ, ad incolumitatem corporis, quod perficit viui & aspectabilis; Ergo si abscedat anima, desinet illud idem numero corpus visibile, quo constabat Launoius. Quid euidentius? Quid legitimum magis & certum totâ illâ argumentatione? At si hanc secundam consecutionem deducas, ergo anima, cuius præsentia seruatur, cuius dissolutione perit corpus singulare viuens & aspectabile Launoii, reponenda est inter res quæ sub sensum & visum cadunt? Quid eâ argumentatione imperitius, ineptius, & impium magis? Eo vno exemplo tuis, Lector, oculis subieci totam cum Launoio disputationem.

Ego quidem ex verbis, quibus Christus Petrum dignatus est, sic argumentabar, si Christus Ecclesiam à se institutam aspectabilem adstruxit Petro, eiusque successoribus

sub formâ regiminis Monarchici, quam in se recepit futuram sæculorum & hæresum victricem, ea fide, aut definiendarum fidei rerum facultate, pro qua orauit ne vnquam deficeret: Si illa abscedat, nihil certi habemus, desitura est illa numero Ecclesia visibilis à Christo instituta, & confugiendum nobis est cum Caluinistis ad figmentum Ecclesiæ inuisibilis, nisi Atheismus magis allubeat: Quid illis consecutionibus ex promissâ Christo Ecclesiæ visibilis institutione & perennitate, firmius magisque inconcussum, quas frustra aduersarius allatrarit? Quid verò eâ quam vrget animaduersione 6. consecutione imperitius & periculosius? Ergo infallibilem Petro eiusque successoribus alligatam à Christo fidem, resque certò definiendi facultatem, inter Ecclesiæ aspectabilis notas reponit Baronius contra mentem Bannis, Bellarmini, Perronii, & Concilii Senonensis: Non certè magis ferenda est, quàm altera similis consecutio; anima rationalis corporea est, & aspectabilis, quod eius coniunctione stet, aut dissolutione pereat indiuiduum, quod cum corpore aspectabili componebat; nec tamen, eâ ridiculâ & impiâ deductione tumefactus dubitat *Hussitarum, Vuiclefistarum, Catharorum, Donatistarum, Begardorum, & Beguinarum me hæresi conspurcare & calumniari, hodiernis Nouatoribus amplissimam irridendæ & traducendæ Ecclesiæ occasionem præbere.* In quem nostrûm recidat atrox criminatio, iudicet Lector exemplo animæ rationalis.

Quintum paralogismum ad finem eiusdem animaduersionis iam confutaui: Sed in eo instruendo ita se omnibus præsidiis destitutum sensit, vt non potuerit illi aliquam argumenti speciem affingere, nisi per calumniam imputatâ mihi hâc falsissimâ propositione, *visibilitatem Ecclesiæ pendere ex sola persona Romani Pontificis quo sublato, etiam ad tempus non sit semper visibilis.* Quo loco legit id à me scriptum? vel audiuit à me dictum vnquam, cuius iurare possim, nequidem mihi in mentem per somnium vsquam venisse? & tamen id veluti indubitatum assumit, cui suam argumentationem aut verius calumniam immoliatur!, iam validè duabus responsionibus confutatam; primam deprompsi ex Abbate Sancyrano, pag. 32. vbi Apologista obseruat *eum Magistrum portus regij Virginum,* & Scriptorum, quos suspicio est ex omnibus Gallis ini-

quiores esse in summum Pontificem ; quem tamen cum suo præceptore, non solum velut Ecclesiæ caput visibile venerantur ; sed etiam vnionem ad illud caput essentiam Ecclesiæ constituunt, quæ mortuo Pontifice stet ; ad quam non solùm exigat votum se subiiciendi Papæ quàm primùm electo ; sed etiam curam & sollicitudinem amoliendi pro viribus impedimenta quæ eius differunt & retardant electionem. Hæc sanè sufficiunt, nec quicquam amplius potest exigi ad Ecclesiæ visibilis rationem dum Sedes Apostolica vacat, cùm aliunde integræ sint cæteræ visibilis Ecclesiæ partes perficiendæ properâ capitis electione: Et si quid vltra requirant Launoius & Maræsius (qui eundem vrget paralogismum) in reprehensionem Aristotelis incurrunt. Ille morosi & iniquioris Censoris ait, esse eandem vbique rerum rationem efflagitare : & cùm variæ sint conditiones corporis physici & politici, vel partibus stantibus aut præterfluentibus compositi, immeritò contenderet omnium eandem esse vnitatem & perennitatem oportere : Alia est ratio incorruptæ, alia corruptibilis, alia diu stantis, alia continuò fluentis substantiæ. Quis neget Sequanam esse eumdem numero fluuium, qui ab initio orbis conditi,cæpit eâdem alueo, cum infinita aquarum varietate terras nostras alluere ? Eandem esse Ciuitatem Parisiensem ab imperio Iuliani Apostatæ qui illam hoc nomine donat, ad nostrum vsque diem ? Eandem esse Monarchiam Gallorum, licet passa sit vices trium regnatricum Familiarum ? Quidni eandem vnitatem Ecclesiæ à Christo institutæ, à Petro Pontificum primo ad Clementem vsque nonum,qui vltimus hodie sedet,asseramus citra notam nouæ & periculosæ doctrinæ, vt vociferari contra me possit Launoius, his verbis quibus animaduersionem claudit : O *miserum hominem! qui eam in sua contra nostram Epistolam exercitatione non reuocat, sed suo potius silentio confirmat : Quâ de re viderint, quorum est prospicere, ne quid ex eâ doctrinâ damni capiat Ecclesia.* Vtinam qui pericula ficta intentat ; vera & grauiora non aduocaret, & vellet ad minus cum Sancyrano Abbate, & Virginibus portus regii eâdem confessione vnitatis Ecclesiæ visibilis arcere Caluinistarum conatus inducentium Ecclesiam inuisibilem, ex eodem lapsu Ecclesiæ Romanæ quam Launoius possibilem, & reipsâ contigisse veluti dogma fidei iubet nos habere.

Non minus furiosè & incautè sextum paralogismum prosequitur totâ animaduersione 12. cui hunc inscripsit titulum: *Tradita à Barone definitio ex cathedra definitionis refertur, & ad Sancti Thomæ, ac Discipulorum eius scripta expenditur*: eam verò ex nostrâ Exercitatione pag.424. desumit, vbi obseruatum est, Petro præ cæteris Apostolis, & Diuis omnibus concessam, diuinâ liberalitate, vim, non solùm contactu & verbo; sed etiam solâ vmbrâ ægros curandi, & alia id genus edendi miracula; vt esset vaticinio & argumento, quamuis à moribus & sanctitate Petri longissimè abessent eius successores, & vix illius vmbram referrent, facturos tamen miracula, & nunquam ab eius fide & authoritate casuros; vel certè nunquam ex suis priuatis erroribus commissas sibi oues, in errorem suis decretis abrepturos: & hoc addidi *definitionem ex Cathedrâ vocari* Contra inclamat Lannoius, *oportuisse annotari eos, qui definitionem ex Cathedrâ hoc modo explicarunt: idque causatur nouum esse, quia nullus vnquam definitionem ex Cathedra his verbis exposuit: Nec esse Theologicum, quia ex Scriptura & Traditione Ecclesiæ Catholicæ, duobus Theologiæ principiis minimè colligitur*: Et statim conuitiis me excipit; *spissum sanè opus est & operosum, quod cerebrosus homo sibi finxit: Sed illud commune nihil habet cum S. Thoma, & Discipulorum scriptis*; quæ per septem paginas inutili operâ & pessimâ, vt solet, fide refert, contra illorum apertam mentem, & detortis in alienum omnino sensum verbis.

Abstinueram à responsione ad illud argumentum, quod nullo eius Epistolæ loco compereram extare; & à referendis Doctorum sententiis, aut Scripturæ & Traditionis testimoniis, quod res apertior esset, quàm vt negari posset, nisi à proteruis, vt Schola loquitur, *ex propria vocis ignoratione*. Quid enim aliud est, etiam si solùm nomen expendamus, Pontificem ex cathedra definire, quàm vt pastorem totius Ecclesiæ directis ad illam decretis docere credenda, facienda, addito imperio illa excipiendi? Quo maximè differt à Theologiæ aut Iuris Canonici consultis, qui docere possint, non iubere, suasque sententias proferre nullo munitas præcepto illas excipiendi. Quid clarius, quid manifestius eâ vocabuli interpretatione? & ad huius ac sequentis paralogismi validam confutationem.

Animaduerto, si quis Pontificibus contra fidem error obrepere possit, tribus eius progressum gradibus distingui oportere: primo cùm occultus est, & mentem Pontificis clam inficit, vel ad summum familiaribus colloquiis manifestatur: Secundus gradus foret, si prorumperet in decretum ad Ecclesiam vniuersim directum, & munitum mandato, illud quasi fidei dogma excipiendi: Tandem *prodiret quasi ex adipe erroris falsitas*; si Pontifex hæreticus asciscerer sibi suffragia œcumenici Concilii. Quamuis hactenus totis viribus cum Caluinistis Launoius erroris alicuius contagio conatus sit infamare Sedem Apostolicam, nunquam tamen rem ad secundum gradum, multo minus ad tertium promouit; Ergo nihil probauit falsi ex cathedra definitum à Romanis Pontificibus; Ergo ab eius insultibus in tuto posita est mea definitio, & immunitas ab errore Romani Pontificis, vt publicæ personæ, aut pastoris vniuersalis Petri Cathedram insidentis. Quid ergo opus pluribus mihi fuit, cùm in confesso sint apud omnes Theologos, & ipsâ nominum interpretatione manifesta sint quæcumque assumpsi; nec illa impetere possit, quamlibet enitatur aduersarius, aut negare, nisi ex propriæ vocis ignoratione? Id euidentius fiet confutatione totius animaduersionis.

In aduersarium accusationem retorqueo: ipse *nouum quiddam nec Theologicum refert, nullo Scripturæ aut Traditionis aduocato testimonio*: Certè tota ea animaduersione nequidem vel minimum verbum extat. Contendit Romanum Pontificem aliosque subinde Ecclesiæ Episcopos & Pastores priuati hominis induere rationem, nec publicam personam gerere, nisi cùm sedent & decernunt in Conciliis generalibus. Proh Superûm hominumque fidem! Quis ante Launoium illud portenti & paradoxi genus audiuit? Et illi probando aduocari omnino oportebat duo quæ in nobis perpetuò criminatur desiderari, Theologiæ principia, nempe Scripturam & Traditionem: Sed nequidem vllum verbum aut vestigium extat: nam suas probationes orditur à D. Thomâ ex 2. 2. quæst. 1. art. 10 respons. ad 2. prætermissâ resolutione articuli, quâ sentiebat se apertè damnari: probationem prosequitur Ioannis Parisiensis, seu gentilitio nomine *pungentis asinum*, ex Ordine Prædicatorum aliquot locis, quæ ad

summum euincunt Romanum Pontificem obnoxium esse errori intra primum gradum. Futilior est tertia confirmatio ab appellatione triginta supra centum nostrorum Patrum, à censura Bonifacii VIII. latâ in Philippum Pulchrum Galliæ Regem ad futurum generale Concilium; quæ res tota pertinebat ad potestatem temporariam in Reges Pontificum directam, quæ improbari potuit saluâ facultate res spirituales definiendi: Tot verò tantique viri in eo Conuentu aderant, vt qui Regi erat à confessionibus octauo tantùm loco subscripserit appellationi; quos addit testes eiusdem sententiæ, Durandus, Paludanus, Turrecremata, Syluester, Prieras, Cyprianus Bonetus, Ioannes Viguerius, verbis quæ refert aduersarius, si quem summo Pontifici contingere posse afferant errorem vltra primum gradum non promouent. Quid ergo faciunt, ne dicam ad confirmandum aduersarii nouum commentum, *Summos Pontifices priuatam tantùm personam gerere extra Concilium generale*? Vel ad nostram definitionem ex cathedra labefactandam? Obiter aduerto Launoium eâ inductione testium bis errare contra historiæ fidem, dum Durandum à Sancto Portiano Magisterio sacri Palatii, & Syluestrum Prieram donat generali præfecturâ nostri Ordinis: In hunc postremum errorem impulerat aduocatum, qui contra Sancti Maximini cœnobitas declamauit: fortè deceptus est, quia Magisterium sacri Palatii, quod Syluester, non Durandus obtinuit, nihil differre putet à Magisterio Ordinis Prædicatorum, non excusandâ inscitiâ in illo librorum heluone, qui omnia se scire credit; nec aliis vel minimi lapsus gratiam facit.

Sed hæc leuiora sunt præ exerratione totius animaduersionis à subiectâ quæstione, de quâ ne verbum quidem citati supra centum quindecim Theologi; sed multo immanior est interpolatio S. Doctoris. Eo art. 10. quærit, an ad summum Pontificem pertineat condere, aut ordinare symbolum fidei: respondet id iuris illi competere duobus titulis, primo potestate congregandæ Synodi generalis, deinde iure confirmandi quæ ab illa fuerint decreta: hoc postremo nomine omnino prætermisso, quod illi vindicat S. Doctor. Launoius contendit ex mente D. Thomæ primum tantùm illi conuenire, vt suum inde paradoxum deducat; *Summum Pontificem extra Concilium, perinde ac*

cæteros Episcopos ac Pastores priuatam tantùm sustinere personam; & hoc iure vel iniuria trahit ex responsione ad 2. consecutionibus absurdis & inconsequentibus: quasi responsio ad secundam obiectionem intercedere apertæ resolutioni articuli, & pes ac minima pars articuli euertere possit cum capite totum corpus. Egregium sanè D. Thomæ Interpretem, aut verius tortorem, qui partes articulorum vexet, excarnificet, vt aliquid ex luxato corpore eliciat, non quod sibi faueat, sed quod apertè non aduersetur. Dementatos esse oportet huius Scriptoris præstigiis amicorum & admiratorum maximos qui istud disputandi genus nedum excusent; sed illum etiamqui hæc argumentorum monstra parit, inter prima nostri sæculi miracula reponant. Omittoquæ ex illo paradoxo monstra errorum impotentur. Hactenus creditum fuerat Episcopos & summos Pontifices; dum suas Diœceses regunt, dum pro tribunali iudicant, censuras ferunt, decreta sanciunt, personæ publicæ munus obire. At totius Ecclesiæ, omniumque sæculorum sedsui intercedit Launoius; dum personæ publicæ iura cohibet intra fines Concilii generalis, quo dissoluto nullum supersit personæ publicæ munus. A quo igitur prodierunt (vt cætera omittam) Innocentii X. & Alexandri VII. de sensu Ianseniano constitutiones, quarum subscriptio, grauissimis pœnis iniquè vrgeretur, si à priuatis tantùm hominibus, non à pastoribus Ecclesiæ sancitæ sint?

Eâdem distinctione conuelluntur 7. & 8. paralogismus animadu. 11. cui hic minacissimus inscribitur titulus: *Exemplum stupenda in explicanda Theologorum, & cum primis Adriani VI. circa Pontificium non errandi priuilegium, mente proteruitatis.* Accusat me malæ fidei in citandis Authoribus circa controuersiam de immunitate pontificis ab errore quod dixerim opinionem, illorum qui etiam quâ priuatum hominem eâ muniunt dote, *multos habere defensores*; cùm tamen Bellarminus vnum tantum referat Pighiam: Sed addere poterat ipsum Bellarminum, qui libro 4. de Rom. pontifice à capite 6. validè hanc sententiam propugnat, & Theophilum Raynaudum qui lib. 1. nostræ Apologiæ sect. 3. art. 2. dicam inscribit nostris, Cano & Combefisio; quod eam immunitatem Romanis pontificibus non concesserint: vt agnoscat Lector, nos veluti medios inter

Launoium & Raynaudum, aduersis appeti criminationibus; nostramque, vti Susannæ innocentiam, testium dissensione, & quod inde consequitur, mendacio liberari. Addo denique plures hanc sententiam defendere in Scholis, qui sua scripta non ediderunt: & si ipsemet contra Bellarminum vna primæ partis Epistola expostulat, quod Authoribus, qui pro Conciliorum supra pontificiam authoritate stant, non annumerarit, Nobiles in comitiis regni, qui nusquam scripserunt aut docuerunt; immeritò conqueritur me ad huius sententiæ patrocinium aduocasse, Theologos innumeros; qui licet publici iuris sua scripta non fecerint, ea tamen in Academiis Italiæ, & Hispaniæ, aliisque Christiani orbis regionibus pro illâ opinione pugnant.

Sed quâ ratione effugiam Adrianum à me tantâ vi detortum, vt exclamet Launoius? *O tempora! ô mores! ô frontem Baronis ferream! qui eam Adriano non tribuit opinionem, quam ipse diabolus Adriani lectione vt energemate adactus tribueret.* Discerpit me præterea eodem loci, quod hæc verba mihi exciderint: *à quatuor Synodis Honorio & Liberio alicuius erroris notatis: Quodnam*, inquit, *portentum in Ecclesiastica historia ignorantiæ? Cùm Honorius à tribus tantùm, Liberius à nulla Synodo sit notatus?* Tandem ad calcem animaduersionis cauillis potius quàm argumentis impetit distinctionem pontificis vt priuati Doctoris, & publici Pastoris, in quam sic ludit: *Tunc ille vt priuatus Doctor vocabitur in iudicium, & decretis iure Canonico & Ciuili suppliciis mulctabitur, id est, comburetur.* Et quasi huiusmodi scommate rem apodicticè confecisset, concludit: *Sic inutiles & in Academia volatica perpolitæ distinctiones euanescunt, Authoresque suos contemptui exponunt. De Barone vnum adiicio: Ille pro congenita φιλαυτίᾳ quâ Bufonis in modum turgescit, ad pauca respicit, & deinde facile pronuntiat, hinc in iuuenili exercitatione passim occurrunt & mendacia & impostura.*

Vt ab hoc postremo incipiam: non video quâ ratione post hæc dehonestamenta verborum, quæ vix sibi permittunt, qui valedixerunt pudori & humanitati, velit aduersatius à modestiâ & æquitate commendari; nisi ex affectato principatu certo sibi persuadeat, *ius iniuria* in omnes à se dissentientes, habere. Sed de hoc plura articulo sequenti

omitto nullâ veri curâ *iuuenilem* improperari *temeritatem* annum climatericũ prætereuecto. Hæc etiam prætereo, quia grauiora suppetunt: pessimè Dialogistam aut Theologum agit, si credat omnium sapientum consensu, & suomet etiam exemplo confirmatam distinctionem duarum personarum quibus nos indutos monet Cicero, & Ioannes de Caïpha Pontifice expressis docet verbis, credat cauillis labefactari. Quid ipse ad suum exemplum est dicturus? certo sibi conscius dixisse mihi amicissimo in D. Thomæ Summa Theologica extare nihil Christiani, tamen pag. 135. ordine 8. mendacio accenset, *quod fabricatum sit in officina diaboli*, priuatim certus est illam officinam nihil à suo cerebro differre; quod tamen publicè degerat, quasi cusum in officina diaboli: vellet sibi annulum Gygis dari, vt impunè faceret quidquid ab hominum oculis subduci posset: non miror hanc distinctionem irrideri ab homine, qui Episcopos & Summos Pontifices negat vllibi vices personæ publicæ obire, nisi in Concilio generali: Ergo quam proteruè reiicit, concedenda illi est distinctio Summi Pontificis *vt publica persona* in Synodo generali, sedentis, & priuatæ extra illam degentis: Ergo in illum cadit cauillus, *combusto Pontifice vt priuato Doctore, si ille superstit, vt Doctor publicus & Magister Ecclesiarum omnium*.

Sed vt nugari desinam cum aduersario; eius cachinnis & scommatibus oppono progressum erroris Pontificii tribus gradibus distinctum; primum admittunt, quos ex nostris citat Melchior. Canus, Bannez, & Franciscus Torres ex Societate Iesu: Secundum asserunt, nec vnquam probarunt Adrianus VI. Nilus, Gerson, Almainus, & Alphonsus à Castro: Sed veluti Pharaonis magi *in tertio signo defecerunt*: idque ad nostram defensionem sufficit. Hoc enim vnum contendimus *Ecclesiæ visibilis incorruptam fidem à Christo* illigatam esse regimini Monarchico, & subinde Petro, eiusque successoribus. Quâ verò ratione hanc Christus promissionem impleat, seu singulari directione in decretis Pontificiis condendis, ex quibus ipse antiquitatis indefessus scrutator nullum hactenus protulit hæresis labe vitiatum: seu Conciliis à Summo Pontifice aduocatis & confirmatis; hoc perinde mihi est, & licet facile sit cum Bellarmino omnem hæresim à Pontificibus Romanis vt priuatis Doctoribus depellere, multoque fa-

cilius eorum decreta ad totam Ecclesiam directa, propugnare: ne tamen quæstionibus, aut superfluis, aut certè non necessariis implicemur, Disputationem reuoco ad tertium gradum; quò, si quis vnquam contigerit Romanis Pontificibus, errorem progressum fuisse nego: nec hactenus vllo, vel argumento, vel exemplo etiam in speciem probauit aduersarius: Imò nec ad secundum vsque gradum, qui præ cæteris incusantur, Marcellinum, Felicem, Liberium, Honorium, Ioannem XXII. prolapsos fuisse contendo: proferat Launoius aliquod ex illis decretum, quo monstret ne dicam compertos, sed etiam suspectos fuisse alicuius erroris: Ergo frustra & vanis morsibus ac latratibus hanc appetiit Sedis Apostolicæ ab erroribus saltem secundo & tertio gradu immunitatem.

At inquies, Honorius à tribus Synodis damnatus est Monothelismi, quibus quartam Synodum, & ab aliqua etiam Liberium damnatum addidit Baro *quodam in historia Ecclesiastica ignorantiæ portento.* Fateor, si eo quem aduersarius carpit loco, argumentantis partes egissem, vix posse à iusta damnatione eximi, quod argumenti vim falso quartæ Synodi testimonio auxissem: sed longe diuersa est respondentis ratio. Ingenuè agnosco cùm illa verba scriberem, me in numerato non habuisse, quot Synodi Honorium damnassent, & si vlla de Liberio iudicasset. Nec per tempus, cùm illa ederem, licuisse, aut fuisse visum operosius inquirere, & incerto numero Synodorum satius fuit vim obiectæ difficultatis augére, quàm minuere: & hoc apud Launoium *portenti genus est in Ecclesiastica historia.* Fateor, & præ me fero aduersarium, plura me legisse: sed nescio, an plura sit meditatus; interim meminerit illius ex Seneca dicti: *Certa lectio prodest, varia delectat.* Certæ adhæsi, quia nec edo, nec lego plura, quàm concoquere possim: Præterea discipulum esse me glorior D. Thomæ, cùius hoc memorabile documentum celebratur, ad eruditionem breue & expeditum iter esse *vnius libri lectionem.* Qui hanc viam terunt, licet interdum in historia labantur; minus tamen Launoio, frequentibus obnoxii sunt tergiuersationibus, paralogismis, à thesi subiectâ, & interdū etiam à sensu communi perpetuis exerrationibus: Iis accensenda est septima, quam omnium vltimam expendam, animaduersio, cum hac inscriptione: *Pessimi consilij accusatus*

Baro conuincitur in quæstione de abdicandis ob hæresim Regibus ; tum quæstio hæc certis & idoneis ad disputandum regulis profligatur. Hinc per 20. paginas excurrit in art. 10. ex quæst. 10. & in 2. ex quæst. 12. Ex 2. 2. poterat aduersarius abstinere ab eâ insectatione sententiæ S. Doctoris, si legisset ad marginem art. 2. his verbis à Patre Nicolaï adiunctam notationem: Sententiam D. Thomæ *de abdicandis dominio Apostatis explicatam de subalternis dominiis, & alicui superiori potestati subiectis planam rem esse, nec in dubium reuocatam : De Monarchicis autem & supremis, ne quid in alterutram partem addam,* ait nominatus Theologus. *Prohibet Ludouici Iusti æterna memoria Principis, tam religiosum edictum, quàm sapiens anno 1626.* inauspicatâ occasione, *sed fæ ici successu promulgatum, quo nempe, tum pro suâ in sanctam Sedem reuerentiâ ; tum pro suo publicæ subditorum tranquillitatis conseruandæ studio, rem hanc à suis Gallis, aut Regnicolis in vtramque partem disceptari vel definiri prudentissimè simul & piissime sanxit.* Sed hanc sancionem regiam ferre non potuit, & velut torrens exundans prætergressus est, non tam Regiæ dignitatis defendendæ, quàm Sancti Doctoris dilacerandi cupiditate, Launoius : Quamuis studium in Principes vere deformi obsequio prætexat in noxam Sacramenti, quo plures Christianorum sese Religioni astringunt, dum lauacro aquæ regenerantur: sibi nihil potius & antiquius fore fide quam amplexantur, & Sedibus ac Regnis anteponunt. Sic professionem Christianæ Religionis Baptismo susceptæ interpretabatur sui sæculi Salomon, tot ditionum Rex, vt illi Sol nunquam occidat, Philippus II. cùm in hanc vocem prorupit : *Si filium Principem (vnicum tum habebat) alicuius hæresis compertum haberem, ipse primus omnium, ligna comportarem, ad illius supplicium extruendo & accendendo rogo.* An putas Launoj ! Reges & Principes, qui Sacramentum Religionis & Baptismi eodem quo Rex Catholicus sensu interpretati volunt, non solum impunè, sed etiam cum laude Theologos explicare, & propugnare hos D. Thomæ articulos, vel in aliquam vergere tacitam Facultatis Parisiensis (vt tuo verbo vtar) sugillationem, vel se eâ interpretatione læsam putare ? Vbique à vero & ab æquo exerras: sed iudicii corruptissimi vnica, aut certè præcipua causa inde existit, quod te ipso alios metiaris ; tuosque turbidos

& præpoſteros affectus omnibus affingas : & cùm velis omnes mortales tibi obnoxios facere, nec patiaris quemquam à tuis opinionibus diſſentire, exiſtimas imprudentiſſime hominum, Pariſienſem Theologiæ Facultatem grauiſſimè offenſum iri, ſi aliæ orbis Academiæ ſecus ſentiant; æquior eſt & prudentior, quàm vt velit ad ſua ſenſa quaſi ad certas leges cæterorum libertatem & opiniones ſibi ſubiicere : Boni conſulunt Louanienſis, Salmanticenſis, Conimbricenſis, aliarumque orbis Chriſtiani Academiarum Theologi, Pariſienſes Regiam poteſtatem quâcumque ratione honeſta poſſunt, aut putant propugnare. Sed maiorem ab illis æquitatem, quam Launoius præſtare poſſit, ſperant non improbaturos, ſi cum D. Thoma diſcrimen conſtituant inter Chriſtiani poſt Baptiſmum, & Gentilis myſteriis fidei nunquam initiati infidelitatem, vt hæc nullâ, illâ verò aliquâ etiam abdicatione dominii à legitimis judicibus, vbi ſuppetunt, caſtigari poſſit. Sic explicata ſententia D. Thomæ nec Scripturæ, nec Traditionis deſtituitur ſuffragio, & dum illud totâ illâ animaduerſione, ſeptem & pluribus iteratis obiectionibus contendit deſiderari, ſe litigandi ſtudioſum & prorſus ignarum quid ſit Traditio demonſtrat. Niſi eo laboraret vitio, dubitare-ne potuit aſſumptum à D. Thoma principium ſeu diſcrimen Apoſtaſiæ Chriſtiani, & infidelitatis Ethnici Scripturâ & Traditione ſic confirmari, vt ex regulis Theologiæ vna ſit alterâ opportunior, pœnis ab eodem principio deducendis : Et reuera ſi Launoium adeò malè habuit diſcrimen illud infidelitatis, quod in argumentationis medium arripuit S. Doctor, vt titulo ſuæ animaduerſionis ſatisfaceret, *quaſtionem certis & idoneis ad diſputandum regulis ſe profligaturum* : Non ſatis fuerat improperare D. Thomæ aſſertionem his duobus locis poſitam deſtitui Scripturâ & Traditione, quod leui brachio & declamatione potiùs quàm ſeriâ diſputatione vrget ; ſed cauendum omnino illi erat, ne in idem vitii quod per multas paginas D. Thomæ improperat, ipſe delaberetur. Quâ verò ratione illam Scripturæ & Traditionis teſtimoniorum inopiam excuſabit ? Neque ſatis fuerit aliis id vitium obtrudere, vt ab eo ſis vituperio immunis, ſi nullum ipſe pro tuâ opinione Scripturæ aut Traditionis teſtimonium retuleris. Quodnam verò ſubieciſti totâ eâ, quâ D. Tho-

mam & Bellarminum vexas animaduersione, vt probes quod in illo damnasti, Apostasiam Christiani non magis castigari debere, quàm Ethnici infidelitatem? Nec illam esse istâ opportuniorem abdicationi bonorum temporalium? Si qualem te fingis aut venditas potestatis, regiæ acerrimum vindicem, & illius defendendæ studio, antiquæ Sorbonæ, id est, Gersonis Almaini doctrinæ reiectæ, de potestatis politicæ origine, quam altè, spreto iure ciuili & gentium, à diuino, seu positiuo, seu naturali, (neque enim tuam mentem explicas) contendis repeti; cur ex Traditione & Scriptura, quæ tibi duo sunt sola Theologiæ principia, nullum prorsus totâ eâ disputatione verbum protulisti? contentus dicere tuæ Epistolæ pag. 515. *Acutus sibi videtur Baro, cùm obiicit Gersonem, Almainum, & alios qui de origine Iurisdictionis commentarios ediderunt: Non iuro*, inquis, *in eorum placita, nisi quatenus cùm vera Theologia principiis, Scriptura*, Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ Traditione cohæreant; ad quid toties repetita illa duo principia, nisi prodendæ Regum causæ, dum maximè illius defensionis studium ostentas? D. Thomæ, Gersoni, Almaino, omnibus denique quibuscum disputas, aut à quibus dissentis, inclamas, destitui Scriptura & Traditione, quâ sis ipse munitissimus, nisi quam Pythagoræ discipuli sponte Magistro præstabant reuerentiam, satis ad assensum esse, *Pythagoram ita dixisse*, velis, Launoi! tibi ab omnibus iure deberi, non potes obtinere, vt vllus tuam disputandi rationem probet. Doce nos, quo Epistolæ loco extant, pro tuis aduersùs D. Thomam, & Gersonem opinionibus, quæ in illis desideras Scripturæ & Traditionis testimonia. Ego sanè nulla iis, quas contra me scripsisti, Epistolis legi; vt facilè credam te eâdem ratione disputare, quâ Medici ægros habent, remedia dura & acerba præscribunt, à quibus ipsi quasi à veneno abstinent. Sic vbique crepas Scripturam & Traditionem, inclamas in aliis desiderari, quam ipse ad tuos vsus, id est, ad præcipua nostrarum controuersiarum capita nunquam adhibuisti, vt iure concludam te ad disputandum solis effugiis & paralogismis valere, ideo tuæ infirmitatis conscius ad conuicia confugisti, quæ tibi nihil aut fœlicius successura postremâ nostræ Appendicis parte demonstrabo.

tumeliis. His expostulationibus vnde Epistolam orditur, quas singulis ingerit paginis, id vnum solitâ fraude molitur, vt disputationis ad conuitia deductæ inuidiam & infamiam à se in meum caput depellat, quasi ipse vni veritati & paci litet, & totus tum naturâ, tum studio ad charitatem & humanitatem comparatus, præter suam mentem, & inuitus, non tam ad sui quàm ad fidei ac iurium Gallicanæ Ecclesiæ, Sorbonæ decretorum, & ipsius denique Scripturæ & Traditionis defensionem compellatur. Non dubito quin eò cæcitatis venerit, & impulerit etiam nonnullos, vt istis commentis aliquam fidem habeant: faceret etiam apud probos & sapientes nisi duo comperta haberent, ac penè manibus contrectarent, nempe quas vsurpat & obtendit excusationes, detritas esse ab orbe condito technas & fraudes, quibus sese impostores omnes texerunt, nec defuturas vnquam, quotquot nasciturи sunt sycophantis; & ne conqueratur durius secum agi, & per summam iniuriam suspectum haberi, quasi in vsu & numerato habeat huiusmodi præstigias & offucias, quibus se tutetur, & aduersarios obuoluat: Vellem cum mea aliqua labe, suam posset innocentiam his excusationibus vindicare. Sed sunt planè folia ficulnea, quibus protoparentē Adamum, filius non degener imitatus & suas sordes frustrà nititur occultare: nec magno conatu opus est huic abstergendo fuco. Subiiciendæ sunt tantùm variæ iniuriarum, quæ verbis inferuntur, species quinque, totidem quæstionibus, à D. Thoma explicatæ, in quibus tanquam in speculo, si paululum se inspexerit aduersarius, non dubito quin conscientia, quæ tamdiu obduruit, & obturauit aures, quæ post atrocissima conuitia incusantibus aliis obsistit, & inclamat: Quid mali feci? peiora commeruerunt, qui me prouocant; gratiam debent pœnarum, quas mihi iure poterant dare, remissarum; Non dubito, inquam, quin coniectis in speculum, quod ex D. Thoma, & ex eius Epistola subiicio, oculis, agnoscat se omnium, quæ scripto aut verbo inferri possunt, iniuriarum reatu teneri.

Non exscribam, nec interpretabor S. Doctorem accuratè disserentem de singulis conuitiorum generibus, quibus suam Epistolam ipse oppleuit. Satis fuerit Lectori insinuasse locum ex 2. 2. Theologiæ parte, vbi disputationem

de iustitia & iure per plures quæstiones eruditè & copiosè prosequutus, tandem explicatis iniuriarum generibus & damnis, quæ cuiusque iuri, facto seu opere externo importantur, qualia sunt homicidia, furta, adulteria, &c. Tractationem deduxit ad iniurias verborum, quibus ius alienum ad reuerentiam, seu honorem, ad famam, ad conuictus humani ex amicitiæ lege, bona, ad propriæ conscientiæ tranquillitatem, lædi solent & imminui, contumeliâ quæ honorem, detractione quæ famam impetit, susurro qui scissa concordia rixas spargit, irrisione, quæ verecundiam suffundit, & maledicto quod omne genus pœnæ imperio infert, aut voto imprecatur: De singulis horum quinque teterrimorum vitiorum, tria inquirit; primùm, mali quod cuique horum generum inest, rationem, & ab aliis discrimen; seu in quo posita sit cuiusque harum specierum malitia, ab aliis eiusdem, vel alterius generis diuersa; deinde grauitatem singulorum metitur, institutâ omnium collatione, an intra venialis peccati fines contineantur, an ad mortalis noxam perueniant: tertiò tandem & vltimo quos effectus, quasve causas sortiantur, an ab irâ seu cupiditate vindictæ, an à superbia, aut stultitia, vel ab odio proficiscantur: Et si has quatuor causas communes habeant, à quânam illarum propius absint aut existant. Hæc nuda ac simplex delineatio quæstionum de iniuriis verborum, quas Scripturæ, & Patrum testimoniis, omniumque scientiarum aduocatis principiis locupletat, validissima est loco Apologiæ contra perpetuas Launoii insectationes: quam S. Doctor de rebus, seu ad dogmata, seu ad mores spectent, rationem diserendi instituit Aristotelicam esse, magis quàm Christianam, & vt ex Luthero deprompsit: *Mixtionem quamdam esse ex diuinis eloquiis, & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere conflatam biformem disciplinam.* Nam si veris agere liceat, seposito, qui perstrepit liuore, nescias, quid in his quæstionibus, quæ cæterarum sunt specimen, mirere magis, an pietatem Christianam, an certas morum regulas, an cœlestem in vita instituenda & abstergendis vitiorum maculis sapientiam, an omnium scientiarum eruditionem & encyclopædiam, vt qui contra obgannire audeat, à quo morbo vtinam absit aduersarius, intestabilis sit, & omnium diris deuouendus. Sed

prætermissâ harum quæstionum commentatione, duo tantùm attingam.

Primum pertinet ad causas; quæ accuratè expenduntur art. 4. quæst. 72. vbi contumelia (idem est de aliis verborum iniuriis iudicium) in iracundiam quasi in causam propiorem refunditur: quia, inquit S. Doctor, nulla irato vindicta est magis ad manum, & in promptu, quàm contumelia, & aliæ quæ verbo inferuntur iniuriæ: Quamuis etiam in superbiam quasi causam remotiorem referatur: Superbus enim ad contumeliam pronior est; quia cum sui nimia æstimatione intumescat, alios præ se contemmit, & iniuriis afficit: *Facilius enim*, inquit S. Doctor, *irascuntur, vt pote reputantes indignum quod contra eorum agitur voluntatem*. Aliquid etiam stultitiæ admixtum habet secundùm illud Prouerb. 20. *Omnes stulti miscentur contumeliis*. Vereor ne Launoius iterum ex Luthero nostræ Scholasticæ Centaurorum procreationem obtrudat, quia Scripturæ, Philosophi ex 7. Ethic. cap. 6. verba hæc admiscet S. Doctor, *ira non perfectè audit rationem*: cuius proinde defectum patitur iratus, & hoc cum stultitia conuenit, à qua velut à causa remotiori existit contumelia, pro sua affinitate cum ira: ita solut. 2. respons. 3. aduocatur iterum Philosophus 2. Rhetoric. cap. 4. qui hoc nomine distinguit iram ab odio, quòd manifestam offensam quærat, quam odium non curat: hinc fit vt contumelia quatenus est manifesta iniuria, magis ad iram referatur quàm ad odium, à quo tamen susurratio videtur proficisci, cuius operæpretium & finis est dissolutio amicitiæ & discordia.

Alteram ex his quæstionibus assumo; quod propius ad nostrum institutum accedit, & art. 3. quæst. 72. disputat S. Doctor, an scilicet necesse sit illatas nobis contumelias & irrisiones sustinere: Respondet primùm iis ferendis, quæ contra nos æmuli machinantur, patientiâ opus esse, ad minus secundùm animi præparationem, vt loquuntur Theologi, & ad mentem Augustini lib. 2. cap. 19. & 20. & item cap. 24. & duobus sequentibus de sermone Domini, vbi eo sensu, id est, secundum animi præparationem interpretatur præceptum illud Christi: *Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe illi & alteram*: vt si locus & ratio hoc exigat, facere non detrectes: id tamen

non esse semper reipsa implendum, suo nos Christus exemplo docuit; cùm sibi alapam infligenti, dixit Ioannis 18. *Quid me cadis?* Quamuis enim paratos nos esse oporteat contumeliis cum silentio tolerandis, si res & tempus exigat; quandoque tamen repellendæ sunt iniuriæ, primò ob bonum inferentis, illius audaciæ comprimendæ causâ: secundum illud Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Id tamen charitatis officio, non priuati honoris cupiditate tentandum docet eodem loco Sapiens: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Propulsandæ sunt præterea calumniæ multorum causâ, quorum profectui impedimento essent & offendiculo, nisi modestâ defensione semouerentur, & ita consulit Gregorius homil. 9. *Hi*, inquit, *quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere; ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & ita in prauis moribus remanentes benè viuere contemnant.* Ita sapientissimè Angelicus Præceptor resolutione articuli. Et cùm secundo loco obiecisset, quemque nostrum debere impensiùs, se quàm alios diligere, & cum Prouerb. 26. Sapiens doceat non esse ferenda quæ aliis impinguntur conuitia his verbis: *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat*, videntur ex lege charitatis minus æquo animo tolerandæ nobis, quàm aliis illatæ contumeliæ. Respondet non ita esse, quia timendum est ne depulsio nostrarum calumniarum, à cupiditate priuati honoris potius quàm ab affectu charitatis proueniat, à quo periculo longius abest alienæ iniuriæ quàm nostræ vindicatio.

Hęc ex multis pauca collegi de verborum iniuriis, quæ ad nostram cum Launoio disputationem maximo sunt nobis prȩsidio & emolumento futura: In primis, cùm ea quæ delibauimus, sint perpetua series documentorum de virtute Christianâ, & de vitiis quæ illi aduersantur, contexta Scripturæ & Patrum verbis, atque eandem vbique methodum seruet S. Doctor, seu de dogmatibus, seu de moribus agat; nisi in malo pertinax sit & obfirmatus aduersarius, hâc ipsâ disputatione de contumeliis, &c. resipiscet, & desinet insectari nostram Scholasticam, quasi aliunde, quàm ex Patribus & Scriptura repetatur, & vix aliquid Christiani habeat. Quid enim eo nomine dignius

his paucis quæ velut cæterorum specimen dedimus ? vt prorsus Christiani nomine indignus sit aduersarius, nisi agnoscat sugillatione perpetuâ S. Doctoris, & apertâ reprehensione nostræ Scholastices, se in omnia enarrata vitia incurrisse.

Præter hoc operæpretium quod ex animo opto, & vix sperare possim, aliud certius consequar commodum, nempe vt Epistola quam expendo quinque quæstionibus loco sit commentarii locupletissimi : Nam nisi dissimulare velimus, Epistola Launoiana nihil aliud est, quàm horum omnium conuitiorum, non tam descriptio, qualem instituit S. Doctor ad mali fugam, odium, & emendationem, quàm vsus & complexio ad reatum, & ad pœnam: Quæ tamen non sit suo fructu caritura, alio loco monui Ethicam simillimam esse methodo Mathematicæ ; atque vti hæc disciplina, quas primùm verbis & oratione subiecit menti demonstrationes, deinde ad sensus deducit, earumque vim quasi aspectabilem facit figuris & lineamentis in arena radio designatis & informatis : Ita hîc contigit : D. Thomas detectæ horum vitiorum malitiæ & grauitatis, nobis horrorem incussit, innoxiâ & sanctâ methodo, quæ non magis his sordibus, quàm radii solares, in quod immittuntur luto maculantur. Parem & fortè maiorem ex Epistola Launoii percepturi sumus, si sapiamus, fructum ; licet longè diuersa librorum & Magistrorum conditione ac sorte. D. Thomas nos suo, nostroque bono, tum exemplis, tum argumentis instruit ; dùm vitia quæ Scripturæ, Patrum, & omnium Sapientum suffragiis fugienda monstrat, ipse primus omnium diligentissimè cauet : Launoius cum nostro aliquo fructu, suoque grauissimo damno nos docet fugienda, quæ ipse incurrit mala ; quorum subiicit, suo exemplo, ingeritque execrationem Lacedemonii ad omnem temperantiam & sobrietatem suos informabant filios, tum exemplis ; cùm non solùm sui, sed ipsorum etiam causâ, ad seueriorem vitam sese componebant ; tum honestate & pulchritudine virtutis, quam identidem ingenuorum adolescentium animo & oculis subiiciebant. Sed nescio an acrius illos commouerent, Ilotis suis, id est, suis vernis, (sic enim mancipia appellabant) permissâ ad ebrietatem vsque largissimâ potatione, vt quæ vino sepultis, aut efferatis, aut pro cuiusque

habitu variè affectis contingebant, rixæ, vomitus, cæspitationes, aliaque temulentiæ pudenda mala, ab horrendo vitio pueros deterrerent. Quid si dixero aduersarium, non à vino, sed nihilo magis innoxiè ebrium, ea scripsisse quæ in homine sobrio, id est, sui compote, sin seuerè castigare possis, quia sibi cauit obtenta à solo judice capitalium causarum quasi istius impunitatem concessuro. edendarum Epistolarum licentiâ; ab omnibus certè magis improbanda sunt & fugienda, quàm Illotarum aut Centaurorum, & Lapitharum temulenta, & ex ebrietate cruenta conuiuia.

Hoc exemplum sanctiore commutabo, verbis Saluiani, suorum temporum Ieremiæ, vitia lamentantis, quæ mutato conuitii nomine, poterit Lector, saluo meo & aduersarii pudore, ad rem nostram accommodare: *Quid*, inquit, *aliud est penè cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum? Quotusquisque non est aliquid horum vitiorum, quotusquisque non est totum*, id est, ex scriptione quam expendo, non est aut contumelia, aut detractio, aut susurratio, aut irrisio, aut maledictum, aut potius totum hoc simul? *Facilius quippe inuenies*, prosequitur Saluianus, *qui totum hoc sit, quàm qui nihil.* Ad rem nostram vix vllus occurrit in longa scriptione locus qui has quinque conuitiorum species non complectatur, quàm qui ab illis omnino sit expers. *Quod diximus nimis forsitan grauis videatur esse censura* (verba sunt Saluiani) *plus multò dicam, facilius inuenias reos malorum omnium, quàm non omnium, facilius maiorum criminum, quàm minorum, id est, facilius, qui maiora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantùm sine maioribus perpetrarint:* Et tandem concludit, *in hanc enim morum probrositatem prope omnis Ecclesiastica plebs redacta est, vt in cuncto populo Christiano genus quoddam sanctitatis sit, minus esse vitiosum.*

Hanc auxesim in Epistola Launoii probare malo, quàm mutatis Saluiani verbis, ad rem nostram vsurpare. Sanctus Doctor solut. 3. art. 1. quæst. 72. paucissimis verbis, tres primi generis, quæ verbis incurruntur, species complexus est: cùm, inquit, detrimentum honoris quod infert contumelia, existat ab obiectis defectibus; iique vel ad culpam, vel ad alia corporis aut fortunæ mala pertineant, si generatim obtrudantur, conuitium appellamus: quia

nomine vitii, tum corporis, tum animæ mala significantur: quare si quis per iniuriam obiiciat cæcitatem, conuitium est, non contumelia: Si quis aduersario furtum aut quodlibet aliud crimen impingat, non solum conuitium infert, sed etiam contumeliam: Si quis verò paupertatem, aut quodlibet aliud, quod derogat honori, quamcumque excellentiam consecuto obtrudat, improperii species est: quæ tum contingit, cùm per iniuriam auxilium in memoriam reuocatur, quod in extremis laboranti collatum est, secundum illud Ecclesiastici 20. *Ex igua dabit, & multa improperabit.* Quandoque tamen addit S. Doctor ex his tribus quodlibet illorum pro aliis ponitur & sufficitur. Huius loci & quatuor sequentium quæstionum ex calce animaduersionis 2. hoc breuissimum verbis, sensu amplissimum accipe commentarium: *Me*, Launoius, *inclementioris styli, & manus virum* appellauit: Addere poterat sæpius alibi adiuncta *animi & vultus*, conuitia: Et quasi scriberet more Timantis, in cuius tabellis plura mens percipiebat, quam sub sensum caderent: Subdit hæc verba, *aliter me interpretari, & alio flectere voluisse, & forsan potuisse*: Quia

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici. Interpretationem illius nec probo, nec improbo, euentus probabit: Sed interim Deum optimum maximum obsecro, & obtestor, ne homo peruersis infectus disciplinis, id tandem perpetret, quod iustè timeri potest: Si quidem perspi imus Baronem damnasse libros, quorum doctrinam scribendo amplectitur. Prætereo domestica exempla & dogmata, & Romanæ Inquisitionis censuras, quæ apud illum magni sunt ponderis. Hactenus Launoius.

Hunc locum ex infinitis immanioribus elegi, qui possit apud æquum Lectorem, meam ex Saluiano auxesim, imminutæ calumniæ atrocitatis arguere. Quid enim ad illius mali magnitudinem supra omnem comparationem positam accedere potest? Et ne minima perinde ac maxima illius generis vitia deessent, eius animaduersionis primæ 2. pagina, cogit nos Ecclesiast. 20. relata verba vsurpare: *Exigua dabit, & multa improperabit.* Quod omnino cadit in hæc ex eo loco verba: *Tantum abest, vt in Epistolis meis religionem, vtramque Theologiam, mores, ac iura Ordinis Prædicatorum læderem, quin etiam nonnulli sciebant è contrario me aliàs cuiusdam Theologicæ quæstionis confecisse*

historiam de Conceptione immaculata (contra Petrum Aluam loquitur) *in qua honor debitus, & Beato Thomæ, & vniuerso Prædicatorum Ordini asseritur & prædicatur.* Quibus verbis in illud impropetii genus incurrit, quod ex D. Thoma contingit, *cùm quis iniuriosè alteri ad memoriam reducit auxilium, quod contulit necessitatem patienti.* Non dicam res nostræ Familiæ, eò non esse redactas, vt eius ope, à Petro Alua, aut quolibet alio illatas, ex eo argumento contumelias depellendas egeremus: cùm validius (absit verbo inuidia) id à nobis præstitum sit lib. 1. Apologiæ sect. 2. Sed mira est hominis in nos charitas, improperat libellum nostri causa scriptum, quem in scrinii situ & puluere occultat, dum alios in æternum nostrum dedecus, nisi confiteantur, euulgat. Quid, Lector Christiane! in his paucissimis verbis eorum quæ ad omnis maledicentiæ immunitatem faciunt, requiris? An conuitium in commune, à corporis habitu, aut conformatione? Me inclementis vultus totum deformat. Idque latius prosequitur animaduersionis 13. pag 1. *Meus*, inquit, *vultus, nec minas, nec funestum quid spirat, vt Baronis vultum & minas, & funestum quid spirare omnibus compertum est.* Bene est, quod ad iudicium prouocet eorum quibus notior sum & familiarior, qui hæc verba ridebunt, nisi in conuitiatorem indignentur, qui funestum illud quod ait vultum meum spirare, non compertère.

Et ne plura, quibus me *Bufonis in modum φιλαυτίᾳ turgescentem, & toto pectore nonnullum Romanæ Inquisitionis officium anhelantem* deformat, ac diris deuouet, loca referam, satis fuerit supra confutata verba meminisse quibus quintam animaduersionem claudit. *Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit, & homunculum talem cum Bernardo de Monte Politiano, Iacobo Clemente, Carolo Ridiconio, Petro Argero, & eorum sectatoribus non execretur? Hoc autem* (addit Launoius) *amice postquam perlegeris, & diligenter expenderis, paratam in iis consolationem reperies, qua aduersùs Baronis contumelias, probra, omnemque muliebris linguæ lasciuiam rectè possit adhiberi.* Consolationem largè pollicetur Lectoribus, quâ putat me omnino fraudandum, quandoquidem ex mea nostrorumque calamitate & infamia illam depromit. Sed plane fallitur: nam omissis, quas mihi imputat, contumeliis, quas pronum esset in-

illius caput tegerete mei cum ipso collatione; eodem quo putat me ad desperationem adigendum loco, largissimam, & quâ gratiorem nunquam sensi, suppeditat; vt aliquâ similitudine & imitationis gloriâ Christo cum iniquis reputato, & cum latronibus in Crucem acto, parricidis quinque annumeret & consortio sceleris aggreget. Quam iubet Iacobus infamiam, *omne gaudium æstimandam*, non paterer perire mihi, quasi *optimam partem* Mariæ promissam, *nec ab illa auferendam*: Minui etiam nollem, aliquâ confutatione tot maledictorum, nisi nouo & inaudito scelere meæ priuatæ accusationi adiunxisset quidquid sancti meæ vitæ institutione contingo. Mearum rerum, & totius vitæ ratio non patitur me diuelli à Cœnobitarum, à Discipulorum D. Thomæ, à Dominicanorum, & omnium denique qui se Catholicos Romano Pontifici, velut totius Ecclesiæ capiti visibili coniunctos & subditos gloriantur, fide & professione: Tantâ verò in me vesaniâ fertur Launoius, vt nolit me vnum perire, aut meum caput periclitari citra perniciem eorum omnium quibuscum me institutio Cœnobitæ, Thomistæ, Dominicani, & Romanæ Ecclesiæ Catholici coniunxit.

Miraberis, Lector, ista à me scribi, aduersarium tanto impetu in nostram scriptionem inuectum, vt horum omnium quos recensui, cum meâ causam conuoluat, & excidium moliatur: Et hæc fortè credes ad inuidiam, in maius, supra verum, & supra fidem augeri. Nolo mihi fidem habeas, nec per totam excurras Epistolam, vnum te rogo in exordium & in conclusionem operis oculos coniicias. Mirum est Launoium suam Epistolam ita digessisse, vt ex capite & ex calce liceat agnoscere nullum genus bonorum in Ecclesia Catholica superesse, quod dum me persequitur, perditum non eat. Exorditur à Monachorum vniuersim excidio, quorum hoc vnum institutum esse contendit, *calumniis, non vita Christiana exactiori studere*: ipsemet calumniæ monstrum inclamabit sibi importari; *sed intempestiuè*, postquam ea scripsit, quibus huius sacrilegii facile reus peragatur.

Quâ ratione ab odio & insectatione Monachorum omnium vniuersim solis hæreticis familiari se liberabit, cum ita subiungat? *Plena quidem sunt omnia calumniis; sed eas Auctori suo vt propriam illius suppellectilem relinquo.* Da-

mesticum est instrumentum, quod illi multo minus quàm vsura lucis auferetur, vir disciplina apud Monachos seuerioris, maledicere aduersario conscientia bona signum esse arbitratur. Monachorum, inquit, *nomine vtor. cùm eo vsum Sixtum V. reperio in sermone, quem in Consistorio IV. Nonas Septembris* 1570. *habuit de Henrici III. morte. Christianam Religionem Baro aliter colit, quàm nos colimus: Colit ille cum nonnullis quibusdam Theologis, nos cum antiquis, de quibus apud Hieronymum mentio inicitur.* Hactenus Launoius.

Quid in illo loco ad immanitatem conuitiorum, eorum quæ exagerandis sui sęculi vitiis Saluianus coniecit, desideras, Lector? Non solùm plenis manibus in meum caput sparguntur, sed etiam in sanctiora vitæ Christianæ instituta totis plaustris maledicta comportantur. Parum est me quasi Sycophantarum corruptissimum, qui maledicentiam inter *bona conscientia signa reponam traduci*: Id nedum æquo & forti, sed etiam læto animo ferrem, nisi multo atrocius, quàm in me, in totum genus Cœnobitarum sæuiret, quod occultè aut potius apertè perdendum suadet, quasi dæmonis *suorum fratrum* accusatoris, Scolam, in qua me pestiferis documentis quasi sanctis institutionibus imbutum, & ab infantia enutritum pronuntiat: idque non in laxioris, sed in seuerioris vitæ & obseruantiæ Monasteriis, nomine *etiam Monachi se vsum ait exemplo Sixti V.* dum de Henrico III. à Monacho percusso mentionem faceret, quasi ab eo tempore Monachi nomen sicario & parricidæ sit indiuiduum. Et post istam præfationem iubebit se vnum præ omnibus à modestia & humanitate laudari; cùm iniuriæ, quam sibi ab vno Monacho illatam putat, vlciscendæ causâ, totum institutum Monachorum vnius scelere vult esse omnibus intestabile & execrandum. O mansuetissimum hominum! qui Prophetæ exemplo, vbi ista euomuit, iurat se etiam in patientiæ documentum à bonis silere. Quid simile vnquam Lutherus aliique violatâ primâ fide in eum quem Apostatæ deseruerunt vitæ Monasticæ statum scripsere? At non aduertis Launoji te pessimè, ne dicam Theologi, aut Catholici, sed quam strenuè putas te sustinere, nullo meo damno, æterno tuo dedecore conuitiatoris personam agere, omni tuis dictis non solùm fide abrogatâ, sed etiam omnium quotquot Christiani sunt, ascitâ indignatione, & quam labefactan-

dam susceperas causam nostram, inuictam facere, aduocato toto Cœnobitarum instituto, ruamque euertere, eâ præfatione, iisque maledictis, quorum puduisset Caluinistas, quibus cum toto decennio certaui? Cur passus es te ita cæco impetu abripi, vt nedum prudentiæ, sed etiam quas sibi solertiores maledici imponunt, leges perfregeris? Quorum ipsi excidium moliuntur, ab omni meliorum præsidio & consortio destitutos esse aliis persuadent, vt facile nudos & inermes conficiant. At contra visum est Launoio, mei vnius causâ, vniuersim omni instituto Monachorum etiam exactioris omnibus, vt statim dicam, Theologis, qui Scholasticem excolunt & audiunt Aristotelem, illis etiam qui summo Pontifici vt totius Ecclesiæ capiti visibili se subiiciunt, bellum indicere, & omnes prosequi vsque ad internecionem. Cur nullo æquitatis, nullo tantæ rei supra facultatem humanam positæ respectu, potuit ab eo consilio deterreri? Nimirum eò compulsus est suarum virium suique iuris fiducia: non putauit se inferiorem Amano, qui recusatam ab vno Mardochæo salutationem à cæteris concessam, vix credidit condignè redimi & castigari posse, nisi totius Iudeæ gentis excidio. Sic Launoius quam putat sibi ab vno Monacho etiam *seuerioris vitæ* intentatam iniuriam, eò magnitudinis prouexit, vt exæquari nequeat, aut resarciri Monachatu, nisi in totum sublato aut traducto quasi calumniarum schola, quæ suis artibus instruat sicarios. His iuribus obtentis accessit fiducia virium, quas sufficere nihil dubitat superandis omnibus, quos meæ causæ adiungit Cœnobitis & Scholasticis qui aliquam rationem habent Aristotelis, & Catholicis, qui vni se submittunt summo Pontifici, à quo in Ecclesiam & in Concilia deriuari aliquid putant promissæ Petro incorruptæ fidei, hæresum & temporum vsque ad finem sæculorum victricis. Quid illo exordio ad omnes calumniarum species, & omnium immanitatem, conferri potest, quod paucissimis Launoii verbis non contineatur? Quæris contumelias: traducor ex seueriori Monachorum disciplina imbutus, quasi Sycophanta maximus: vis detractiones: omnium mordacissimâ in me arroditur totus Monachatus, ne saluo quidem nomine, tum maximè memorando cum de siccariis agitur. Post ista vanus sit labor. Tibi, Lector, maledicta, susurrationes, irrisiones, & sar-

casmos ostendi, cum iis omnibus ego apertè, & quæcumque nomina Theologi, Cœnobitæ, Thomistæ, Dominicani, Catholici Romanæ Ecclesiæ, quæ profiteor, iique omnes qui his titulis gloriantur ad internecionem, aut ad minus ad execrationem totius generis humani, vt vni satisfiat Launoio, designemur & deposcamur.

Commune effatum est partium cuiusque rei pro bonorum aut malorum genere optimam & pessimam finem reputari: non est passus aduersarius conclusionem Epistolę ab exordio dissentire; eam verò sic claudit: *Vt animaduersionũ initium ducimus à mendaciis & imposturis, sit earum finem facimus, in mendaciis & imposturis; non quod nobis sumamus mendacia & imposturas omnes, quibus strictioris obseruantiæ Monachi tota sordescit exercitatio notasse: vt notarentur vix nobis suffecissent carbones, qui ex Cotia & Arduenna sylua Parisios aduehuntur.* Putares his verbis significare Launoium quidquid Negromantia, & inferorum schola habet furui, impii, & sacrilegi, meâ contineri Exercitatione, & in specimen imposturarum ac mendaciorum, quibus me inficit & denigrat, veluti palmaribus, & omnium maximis incusationem claudit, his duabus, quod scripserim Bellarmini, qui posterioribus editionibus leguntur, libros de gratia efficaci non consentire, iis quæ viuâ voce, & scriptis, Louanii, aliisque locis docuit, & quæ postremis editionibus extant adhuc de efficacia iudicii vltimo practici ad omnes naturæ intelligentis liberas operationes, necessarii, quæ iisdem, quibus gratiam efficacem & prædefinitionem absolutam Dei æternam difficultatibus rem inuoluit: Secundam accusationem addit, quasi malorum omnium originem, aduocarum à D. Thoma, & à nobis, contra Gregorii IX. decretum, Aristotelem, cuius consortio nedum Scholastica Thomistarum, *sed etiam qua Parisiis in Sorbona* obtinet, existat quædam *ex diuinis eloquiis velut ex Centaurorum genere mistio biformis disciplina.*

Vides, Lector, quò spectent consilia & conatus Launoii: in me vno petit quidquid à quingentis annis post inductum in Scholas velut fidei adiutorem & administrum Aristotelem, Doctorum & Theologorum inde prodiuit: vt non dubites quibus me lacessiuit, contumelias, maledicta, irrisiones, toto pondere in detractionem & noxam vergere & incumbere eorum omnium qui illud genus

Theologiæ excoluerunt, nullis exceptis Sorbonæ Doctoribus, quibus perinde ac mihi obtrudit, illud ex cœtus Episcoporum Ponti Epistola ad Leonem Thracem Imperatorem: *Hac piscatoriè & non Aristotelicè suggessimus:* Et illud de Theodosio iuniore apud Socratem lib. 7. historiæ cap. 22. dictum, *subtilitate ratiocinationum Aristotelicarum penitus derelictâ, Philosophiæ studium rectis vitæ officiis sedulò excoluit, iram cohibere didicit, dolorem toleranter ferre, neminem qui illum iniuriâ affecerit, vlcisci*, quasi D. Thomam, Bonauenturam, Gersonem, aliosque non minus sanctos quàm doctos, hæ omnes quæ in Theodosio iuniore laudantur virtutes, aduocatâ Aristotelis methodo, & selectis ex illo fidei & moribus magis prosunt, quàm noceant, in totum deseruerint.

Quid nos ad ista? ne summo iure, quod nobis liceret, cum aduersario agamus, & plurimùm de causâ remittamus, vt detur illi locus ex humanitate nostrâ resipiscendi & sua consilia in melius, atque ad pacem abdicatâ illâ maledicentiâ, quæ ferè in naturam mutata est, referendi: Quæro prudens-ne, aut nesciens, mecum omnes Cœnobitas, omnes Theologos, aliosque summi Pontificis vt capitis totius Ecclesiæ visibilis, Pastorisque œcumenici cultores implicuerit? An à me seiunctos esse velit? si primum obtendat, viderit quàm temerarium, suisque viribus impar, inuidiosum, nobisque faustum ac fœlix futurum bellum indicat. Infiniti stamus contra vnum, fides omnium Theologorum, quos Sorbona aluit (vt cæteros omittam) nequidem Sancytianis exceptis certat contra singularissimam vnius Launoii & Richerii opinionem, cui subscribere nulli audeant. Si tot errorum & periculorum conspectu deterritus contendat me vnum tantùm suis Epistolis impeti; monstret quo mea de Primatu Petri (neque enim hîc ferè aliud disputamus) fides ab illorum doctrina dissentiat: & ne causetur me hîc ambages, quo sim in tuto quærere, mentem meam licet alibi apertè explanatam, nouâ luce illustrabo, & omnium sapientum iudicio subiiciam, vno exemplo.

Ego sanè totius Ecclesiæ regimen sub vno rectore summo Pontifice simillimum censeo Principatui Galliæ imperante fœlicis & sanctæ memoriæ Ludouico Iusto XIII. libentius exempla à mortuis, quàm à superstitibus sumo;

quod illorum vsus & commemoratio, longius à suspicione odij & gratiæ, & ab omni absit liuoris & adulationis specie. Nullum historiæ Gallicæ post Carolos Martellos & Magnos celebrant, regno Ludouici Iusti rebus sapienter, fortiterque ac prosperè gestis memorabilius. Vt omittam coniugium totis viginti annis sterile, supra omnem spem, duplici masculâ prole Galliam & sæculum beasse. Quot secunda prælia, quot victorias terra marique reportatas, quot expugnatas arces, subditas ditiones, quàm longe lateque circumlata arma, imperii fines promotos, non legimus tantùm, sed oculis nostris hausimus? Vnde verò tanta in Galliam redundauit gloria? Iniquus planè aut inuidus fuerit, qui tantarum laudum parte aliquâ Administros sapientissimos, Duces strenuos, qui hostes Galliæ prostrauere, fraudatos velit. Sed rerum nostrarum se imperitum probaret, qui tot bonorum præcipuam causam, sapientiæ, peritiæ rerum bellicarum, & maximæ pietati, atque ex illâ admirandæ fœlicati Regis, non adscripserit: Et ad eam mentem illud mihi argumento est, quod nescio, an hactenus ab vllo sit obseruatum, nempe præter strenuissimos Duces in hæresi natos, & qui pro illa primùm aduersùs Regiam potestatem pugnarunt, aduersam fortunam semper passos: Is ipse qui pars magna fœlicissimæ administrationis fuit, Cardinalis Richelius, antequam clauo regni summâ potestate admoueretur, steterat à parte aduersa Regi, & ad Pontem Cæsaris aduersam fortunam expertus fuit: vt omnibus constaret, quidquid post fugam à prælio memorato, & post exilium Auenionense sapienter ac prosperè gessit, non tam eius consiliis, quàm pietati & fælicitati, cuius ministrum agebat, Principis esse referendum. Hunc gloriosissimum principatum in exemplum traho meæ de Catholicæ Ecclesiæ administratione ac perenni seruatâ fide sententiam. Absit Cyprianum, Augustinum, aliosque Ecclesiæ Latinæ ac Græcæ Patres, quibus interdum Pontifices Romani eloquentiâ, eruditione, & sanctitate decedebant, fraudare velim deiectarum hæresum, Religionis validè propugnatæ gloriâ: Sed nemo hanc mihi mentem eripuerit, & puto bonos omnes ac doctos (si fortè vnum Launoium aut Richerium excipias) non solùm boni id consulturos, sed etiam assensuros mihi, ad fidei incorruptæ perennitatem

magis contulisse collatas Petro eiusque successoribus claues, promissamque opem, quàm Augustini, Cypriani, aliorumque in deiiciendis hæreticis eloquentiam & sapientiam. His dotibus paria cum Cypriano & 70. Africæ Episcopis in Cathaginensi Synodo congregatis facere non poterat Stephanus Pontifex Romanus: Causâ tamen vicit; eademque fœlicitas omnes eius decessores ac successores, qui similes pugnas susceperunt, perpetuò consecuta est: vt agnoscat Launoius, non frustra Christum tot vinculis quæ supra annotaui de Ecclesiæ visibilis & incorruptæ perennitate, promissiones Petro eiusque successoribus illigasse, ne imposterum calumnietur à me temerè dictum, eum qui hæc vincula dissoluit, *pessimè consulere Ecclesia visibilis Catholica incolumitati*: Et cùm in meis scriptis hoc vnum maximè carpat aduersarius, animaduertere potest Lector, me hactenus omnium Catholicorum Monachorum, Theologorum maximè Parisiensium, causâ pugnasse contra singularissimam, ne quid grauius dicam, Launoii opinionem; quàm cùm ipse non audeat apertè proferre, metu indubitatæ censuræ, & execrationis omniũ piorum, communibus & ambiguis verbis inuoluit, vt in tuto sit, & me omnibus verborum iniuriis à D. Thoma copiosè explicatis, ab se vberius vsurpatis proscindat: Iure verò vel iniuriâ pronuntiet æquus Lector.

Hoc solùm addiderim, dum postremâ suæ Epistolæ parte me denigrat supra carbones Lutetiam ex Arduenna sylua aduectos, prorsus supra niuem dealbasse. Duo ad calcem quasi præcipua totius accusationis capita obiicit de mutata sententia Bellarmini, & aduocato in Scholas Aristotele, quo ait violatum decretum Gregorii IX prohibentis ne Parisiis legeretur Aristoteles antequam esset expurgatus. Addit tertium caput me à Theologia, quam definit D. Thomas ex Scriptura & ex Traditione repetitâ recessisse: atque his tribus ait mendacia & imposturas contineri, quæ carbonibus Parisios aduectis notari non possent: hinc tota à capite ad calcem Exercitatio atrior carbone traducitur. Mirum est quod toto illius decursu peragitur, aduersarium dissimulasse: sed eum, qui non patitur in summo Pontifice duas distingui, vnam priuati Doctoris, alteram Pastoris œcumenici, personas, non miror ægrè tulisse sibi tres impositas, hominis scilicet, qui

tatione viuat, sibique constet, Catholici qui ab heterodoxis dissentiat, saltem in his de quibus à cæteris Catholicorum disceptant, & Theologi qui saluâ grauitate & reuerentia in sacræ disciplinæ Principes, fidei dogmata, duodecim Theologiæ locis locupletet & propugnet. Si quid atri habeat nostra Exercitatio, in eo positum est, quod eâ demonstratum sit pessimè Launoium has tres personas sustinuisse; hominis quidem, perpetuâ à seipso dissensione; Catholici, etiam consensu cum heterodoxis; Theologi, eiuratâ omni grauitate & obseruantiâ in D. Thomam quem non vti Cicero Demosthenem, Homerum Virgilius, & Virgilium cæteri Poëtarum, coluit; sed Zoili more clam vel apertè momordit importatis in illum parricidarum consiliis & sceleribus. Hanc atrocitatem abstergere à se debuerat Launoius, non meæ Exercitationi vano conatu affricare: Quid enim apertius aut efficacius ad meæ innocentiæ candorem & vindicias, tribus obiectiunculis toties profligatis, quibus veluti capitalibus criminibus totam claudit Epistolam? quasi nihil grauius aut apertius excogitare potuerit, quo me perderet.

Quod enim obiectat primò, *me corrugata frontis hominem, asseuerare Bellarminum in primis operum editionibus de gratia efficaci, longè aliter quàm in postremis sensisse, quamuis hæ prioribus adæquatè respondeant: atque hâc imposturâ contendit me id assecutum, vt vera narranti vel scribenti nemo crediturus sit vnquam.* Editiones Bellarmini nondum vacauit conferre: vt habeant, satis est ad meum institutum & ad amoliendam calumniam, demonstrasse tribus inuictis argumentis, nempe à Louaniensium, à Scriptoris vitæ Bellarmini testimonio, & à consensione partium eius doctrinæ, aliud de gratia efficaci edidisse, aliud sensisse & scriptis docuisse in Scholis: horum inuictum argumentum est opinio de efficaciâ vltimi iudicii practici par efficaciæ præmotionis & gratiæ, quæ adhuc extat in eius libris æternum consensus cum Schola nostra monumentum.

Ad alteram incusationem aduocati in Scholas Theologiæ Aristotelis, exemplo D. Thomæ, vnde tam grande scelus proditæ Religionis, & violati decreti Pontificii, non tam in me, quàm in D. Thomam importatur: Præter multa à me, & vberiora à Patre Guyard in secundam

Launoii

Launoii Epistolam scripta; vnum addo quod suggerit, dum hæc scribo tempus sacrum Raimundo. Is ipse Gregorio IX. à consiliis & à confessionibus, & vtriusque iuris, maximè Canonici consultissimus fuit: Qui proinde mentem Gregorii, melius Launoio nouerat. Tantùm verò abest, vt inde scribendi de rebus Theologicis à D. Thoma susceptam rationem, ascita Aristotelis Philosophia improbarit, quin potius is ipse Sanctum Doctorem, seu consilio, seu imperio, dum Magistrum generalem Ordinis agebat, impulerit ad scriptionem Summæ contra gentes, quo opere nunquam frequentius aut fœlicius Aristotelem ad fidei obsequium aduocauit: Et vt cætera quæ in hanc rem dici possent, omittam, suspicor num ille qui de varia Aristotelis fortuna librum scripsit, de Aristotele à Scholis Theologiæ reiiciendo, & inducendo Democrito ac Epicuro cum nuperis Philosophis consilium inierit. Si id moliatur, viderit an hâc immutatione melius rebus fidei sit consulturus, atque existentiam & vnitatem Numinis, ac prouidentiam, immortalitatemque animarum sit quàm Aristotelis, qui his adhæsit fidei dogmatibus, validius Democriti & Epicuri principiis, quæ hæc omnia fidei fundamenta conuellunt, demonstraturus. Non mihi permitto intimos aduersarii sensus perscrutari, qui (vt loquitur) de meis certiora quàm *ea quæ apud Sagram* audet pronunciare. Duo ex S. Doctore seligam.

Primum ex art. 3. quæst. 72. *An oporteat illatas sibi iniurias* sustinere, vel saluâ conscientiâ confutari possint, & alterum ex art. 4. de origine iniuriarum, an ab ira, vel odio vel superbia, vel stultitia proficiscantur: vt ex his duobus locis, Lector, paucis meas & aduersarii rationes viuendi aut disputandi expendas.

Hoc vno conuenimus, quod in quoque nostrum, quinque occurrunt attendenda. Ego quidem gente Aquitanus ex comitatu Conuenarum, instituto Cœnobita, seu Monachus, vt loquitur aduersarius, Familiæ Dominicanæ, & Scholæ Thomisticæ Discipulus, Catholicus professione vnius Ecclesiæ visibilis sub regimine Monarchico temperato Aristocratia Episcoporum & Conciliorum, quod Petro eiusque successoribus alligatum voluit Christus, promissione fidei incorruptæ & perennis: Launoius natalibus Normanus, ordinatione Sacerdos, gradu Theologus Pa-

i

risiensis, ex Nauarræa Familia, professione Catholicus, Ecclesiæ visibilis sub regimine Democratico, aut Aristocratico; quandoquidem promissionem astruendæ Petro Ecclesiæ protendi putat, citra vllam metaphoram eodem stricto iure ad quoscumque Curatos: quæ interpretatio ad litteram stare non potest, si Petro immolita sit à Christo Ecclesia regiminis Monarchici formâ. Ab ea collatione graduum vtriusque intelligere potest, Lector, cuiusque nostrûm, differendi rationem: Ille quidem pepercit meis natalibus, quia ignota illi erant; forsan si sciuisset aut inquisiuisset, non erat taciturus, me ortum ex gente latronum, quos Pompeius subactis Hispaniis, interfecto Sertorio, collegit in eam regionem, & Conuenarum nomen illi adhæsit. Sed mei causâ crudelissimè sæuiit in institutum Monachorum, quos ad contumelias, & ad sicariorum facinora imbutos exordio Epistolæ criminatur, & progressu omnibus spoliat priuilegiis: inhumanius agit in Dominicanorum Familiam & Scholam D. Thomæ: ex illa, exempla, ex ista, dogmata sanguinolenta ait prodire: nec æquius agit cum Sedis Apostolicæ cultoribus, quos vbique veluti palpatores Curiæ Romanæ traducit.

Quid nos ad ista? Absit vt paria reponamus: eius exemplo abstinui à sugillatione gentis vnde ortus est: doleo tantùm eius vicem, quod hominem tulerit in aliquod suum, & in maximum aliorum incommodum: in suam quidem noxam, quia eius est nominis, quod sit magis idoneum confirmandis, quàm eleuandis, quæ iure vel iniuriâ illi improperantur, vitiis. Sed hoc leue est præ aliorum malis, quibus videtur ille Scriptor datus in crucem, quia non potuit *rigor ille lentescere quem dedit natiuitas.* Absit verò vt etiam prouocatus licentiâ effræni in Monachos, verbum hiscam in Sacerdotes. Deum immortalem! si ille qui nuper è pulpito ad patibulum raptus est, quòd fur esset, cùm alios non furandum doceret; Dominicanam vestem prætulisset, quas in nos tragœdias concitasset Launoius? Præ pudore quem erat iniecturus, optassem montibus in me congestis à facie persequentis operiri: De duobus superioribus quibus à me distat gradibus Launoius, nihil volui attingere: de proximè insequentibus, nempe Doctoris Parisiensis ex Nauarræa Familia, etiam si voluissem maximè, non potui: quod scirem à

Calendariis cuiuslibet mensis Comitiis sacræ Facultatis Theologiæ,& à Nauarræ Collegio exulare : quibus verò de causis nihil attinet dicere. Hoc satis est ad meum institutum; ab iis Societatibus ita segregem esse, vt nullus approbarit eius sensa & libellos : vnde meæ causæ ex illa dissensione inuictum præsidium accedit, quo tutus sim, ab eius & occultorum amicorum minis & terriculamentis.

Itaque his quatuor nominibus prætermissis, vel ex reuerentia, vel quia nihil referebant ad nostram controuersiam, hæsi totâ meâ scriptione in quinto & postremo gradu Catholici, qualem me profiteor subditum Ecclesiæ visibilis regimini Monarchico Aristocratia temperato, quod Christus promisit in Petro & successoribus se instituturum; aut Catholici Ecclesiæ visibilis, qualem se Launoius prodit obnoxium regimini Democratico, quod iisdem Christi verbis sensu ad litteram contendit pertinere ad quoscumque Sacerdotes & Curatos. Huius postremæ interpretationis quam Launoio & Richerio, aut vtriusque consecraneis, Catholicorum cæteris reclamantibus, singularem puto, propugnandæ causâ, tetram cælo miscuit, omni iniuriarum genere, quæ verbis importantur in me, & subinde in eos omnes quibus instituto Cœnobita, Familiâ Dominicanus, Scholâ Thomista, professione Catholicus coniungor, atrocissimè sæuiit: Et cùm, licet innoxiè, hanc in alios procellam asciuerim, me tot malorum reum fore multi pronuntiabunt, nisi pro viribus illa amoliar. Eorum monitis & consiliis accedit D. Thomas art. 3. vbi docet contumelias, tum tuto confutari, cum ex charitatis affectu ab aliis, magis quàm priuati honoris cupiditate, à nobis depelluntur : hoc verò discriminis intercedit me inter & Launoium, quod ipse in omnes virgam censoriam ac ferream assumpserit, quâ Monachos, Dominicanos, D. Thomam, eiusque discipulos, omnes denique cultores potestatis pontificiæ veluti vasa testea confringat. Ego cum vno Launoio semotis omnibus fortunæ, corporis, aut quibuscumque aliis malis aut vitiis, vel eius causæ aut opinionum sociis & patronis, seu aliquot, seu nullos habeat, de vna contendi forma regiminis Ecclesiastici, cuius causâ tot in me meique consortes maledicta congessit : à quâ verò quatuor quas designat S. Doctor contumeliarum causarum, ista in nos tempestas desæ-

uierit, absit vt iudicem: suspicor tamen ab omnibus collectim profectam, quia multò remissior futura erat, si ab vnâ tantùm irâ extitisset, cuius vim, vt Exercitationis exordio monui, voluit omnes sentire, ne Bibliopolâ quidem excepto qui nostram responsionem ediderat.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Aliquot obseruationes in Launoii conuitia & eorum confutatio.

QVæcumque incurrit mala, & vult nos sentire Launoius, inde proueniunt: quod sibi inexploratus sit, vt quam summis Pontificibus eripit velut Ecclesiæ Pastoribus, penè sibi priuato Doctori afferat ab errore immunitatem. Hinc pag. 546. scribit *si ad tertiam concertationem progrediar repetere me posse, quæ iam dixi prima & secunda, iis addere nequicquam posse: calumniatoris*, inquit, *illius quem habeo in deliciis, officina ab omnibus imposturis & mendaciis vacua facta est, concertatio tertia flaccesceret, integræ paginæ sterilescerent, in summa irarum mare detumesceret: artificium est rude & apertu facile, quo simplicitatem Lectoris illudo.* Hæc disetta potius, quàm fortia aut verà scribit Launoius, ex summa cæcitate atque inscitia sui ipsius, aut mali bonique ignoratione: Non potuit tot experimentis addiscere se ita ad lapsus pronum, vt nunquam possit loqui aut scribere quin peccet, idque adeò frequenter, vt verba superent potius, quàm æquent errores, nihilo minus graues & atroces, quam crebri & familiares: Nisi ita esset, vnde tot tergiuersationes detectæ? Tot paralogismi confutati? Tot conuitia in lucem hâc nostrâ Appendice producta? nisi nouis scriptis noua & grauiora peccaret, atque inexhaustam se confutantibus materiam suppeditaret. Non eâ inopiâ laboro, quâ ipse se premi sentit; dum relictâ controuersiâ ad conuitia euagatur, à re subiecta alienissima: dum eadem millies obtrudit, dum dubia pro certis, falsa pro veris vendirat, dum priuata & singularia vni crimina in omnes spargit, & aliena nobis imputat: insons prior Epistola præ insequenti & posteriore haberi potest: illa quidem ter aut quater Iacobi Clementis, &

quæstionis 11. ex 2. 2. de abdicatione dominii temporalis, in pœnam Apostasiæ, sermonem iniecerat: posttema decies eandem quæstionem, vicies patticidæ nomen obtrudit: quatuor illi, seu verè seu falsò, eiusdem sceleris consortio aggtegatos vbique adiungit ad nauseam Lectorum, & ad nostrûm inuidiam: Priore Epistola intra certos fines sese continuerat, aliquo seu pudoris, seu humanitatis sensu: hîc omnes modestiæ & æquitatis metas prætergressus, nullum sibi passus est deesse conuitiatoris characterem, vt inde absoluta maledici imago deformari possit: primoribus coloribus illam ex D. Thoma designauimus, sed summa manus operi non potuit adhiberi nisi inspectione & exemplis posttemæ sctiptionis, in qua nihil desidetare possis ad conuitiatotis iconem, si infotmandā suscipetem.

Cùm superiori Epistolæ se accinxit, nondum flagtabat illâ inexplebili cupiditate conuitiandi, nec me solùm, sed etiam Dominicanos, Thomistas, Monachos omnes, & quotquot denique coniunctos habeo professione & vindiciis Sedis Apostolicæ, atris coloribus deformandi.

Primus qui se Lectorum oculis obiicit passim omnium deterrimus & cæterorum otigo, conuitiatotis character est inexhausta & inexplebilis libido maledicentiæ, quæ his tribus item notis se prodit, perpetua illa & singulis animaduersionibus ac ferè paginis ingesta repetitio Dominicanorum quinque, quos eodem scelere cōmaculat, & quasi à D. Thoma Magistro hæc immania facinora didicerint & hausetint, decies adiuncta est quæstio de pœna Apostasiæ abdicatione dominii temporalis: & ne videatur quicquam aduetsario sapere, nisi condiatur conuitiis; pássim quinque aduocat illorum species: hîc contumeliæ impudentia, ibi detractionis mordacitas, vno loco fucus & duplicitas susurronis bilinguis, alio amatulentia irrisionis & Sarcasmi, & vbique sæuitia ac inhumanitas maledictorum admiscentut. Sed cum his omnibus intra Disputationis metas satiati non possit inexhausta cupiditas, viam sibi aperit ad inconcessa: falsa, aliena, supposititia imputantur insontibus per apertas calumnias. Hanc ego illuuiem conuitiorum cum pręsaga mente inspexissem, magisque aliis quàm mihi timerem, parauetam præsidia, objeceram aggetes, quos cùm effringere non posset aduersarius, nec deiicere per summam ignauiam (quæ est

quartus nostræ [iconis] character) ne memorauit quidem meas defensiones; tantum abest vt illas aggressus sit, aut depulerit. Exercitationis exordio quæcumque ex illis parricidiis, aut fictis, aut veris improperauerar, demonstraueram minus ad me pertinere, aliosque legitimos D. Dominici & Thomæ alumnos, quàm Iudæ proditionem ad Apostolorum reliquos. Addere poteram Nicolaï Diaconi casum, qui nihil nocuit aliis sex Diaconis cum illo electis, multoque ad rem accommodatior & luculentior erat lapsus tertiæ partis Dæmonum, & nihil nocuit potiori & maiori parti Angelorum, qui *in veritate steterunt*, & ad gloriam assumpti sunt. Munieram nostram Ethicem, quam vbique carpebat nihilo minus validis præsidiis, quod tota esset repetita à Traditione, quâ docemur nos ad consortium diuinitatis, & ad illius visionem beatificam supra vires & vota naturæ positam prouehendos esse; non desiit tamen nos lacessere quasi proditæ Ethices Christianæ, & parricidiorum conscios, ne quidem verbo obiectis tot exemplorum aggeribus impetitis per summam ignauiam aut imperitiam, vt licentius conuitiis apud ignaros sui admirationem, & nostri inuidiam, seu verius apud sapientes sui contemptum crearet.

His munimentis addideram exemplum modestiæ, grauitatis & summæ charitatis in ipsum, reuocatâ totâ disputatione ad iura legitima Sedis Apostolicæ rationum momentis expendenda, & abiectis omnibus quæ iustè poteram calumnianti reponere: id vnum prosequendum susceperam, *videri Launoium suspicione affectati principatus in re sacra & litteraria laborare.* Omnia illi remiseram voluntatis aut mentis vitia, ab illis ferè absolueram: ne crederet ei vicem reddere omnium malorum, quæ nobis, ne exceptâ quidem execratione totius generis humani, moliebatur; diligenter curaueram Exercitationis pag. 377. ne quid eius fortuna damni ex nostra disceptatione capesseret, & eius munificentissimo hospiti ac Mœcenati subieceram, ad illius, nostrique sæculi summam laudem & gloriam plurimum referre, vt quâ Launoium naufragum exceperat, æternùm seruaret, liberalitate & beneuolentiâ. Quis non credidisset iis beneficiis quamlibet exasperatum in me animum Launoii delinitum iri? Sed frustra fuerunt hæc Christianæ pietatis exempla & officia, quibus

se potius efferatum, quàm deminctum aut mitigatum esse demonstrauit, auctâ & accensâ his lenociniis cupiditate vindictæ, quâ me conatus est cum sceleratis capitis pœnis & omnium odio obiectare: atque ita quatuor recensitos conuitiatoris characteres duobus ingrati & sæui animi auxit & cumulauit.

Quid ab homine sic comparato, quem non remorentur obiecti aggeres insuperabiles, nec molliant quem videtur natiuitas dedisse rigorem, exempla patientiæ & charitatis aut æquitatis, expectare possis? Non miror sanctiora iura, quibus societas hominum & Christianorũ vincitur, patum pensi habuisse, & ferè perfregisse, iis quatuor directæ detractionis, & totidem indirectæ speciebus, quas recenset & distinguit S. Doctor quæst. 73. art. 1. solut. 3. & Pater Nicolaï ad marginem his ait duobus versibus contineri

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Hæc apertæ detractionis genera designant: indirectæ & obliquæ totidem species hoc versu secundo deformantur,

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Quonam ex his octo, maledicentiæ vitiis non scatet scriptio aduersarii? plures characteres omitto, quod iam admonui D. Thomam à Launoio remissè, ne malignè dicam, vbique laudari, & obseruantiâ coli, vti loquitur Pater Guiard *auerraucíâ*, & ex meâ mente *hypotheticâ*, id est fictâ aut suspensâ, quæ nunquam in absolutam resoluatur, hoc sensu expressâ, *se venerari Theologiam D. Thomæ deductam ex Scriptura & Traditione*, quas censet ab eius libris exulare, cum in iis locis deesse contendat, in quibus, si vnquam, extent maximè & emineant. Quid dicturum putas de iis locis, in quibus tacere videtur Scriptura, & Philosophia audiri, vt ratio cum fide concilietur? Sed hanc concordiam cùm nusquam tentarit Launoius, quia sentiebat à se non posse iniri & sanciri, quoddam existimat Apostasiæ genus, quæ abdicatione principatus D. Thomæ in Theologiæ Scholis, multò iustius punienda sit, quàm vllius Principis à fide discessio, in quam tractarus sit omnes subditos, vel minimâ imminutione temporariæ potestatis possit castigati. Has indirectæ detractionis species, *qua negando, minuendo, reticendo, aut laudando remissè* incurruntur, in D. Thomam & in Sedem Apostolicam exercuit.

Quid de directâ detractione, de apertâ contumeliâ di-cam? Nullum prætermisit genus, quod *imponendo*, *augendo*, *manifestando*, *in mala vertendo*, & in peius bona, non vsurpatit: vt omittam quod iam attigi, alienum vnius, aut alterius crimen per summam improbitatem toti Familiæ, & Scholæ nostræ, quodque multò iniquius est, instituto Cœnobitarum vniuersim imputari: & sicuti obseruat S. Doctor opusculo 19. contra impugnantes Religionem cap. 20. *peruerso iudicio in infamiam Religiosorum mala, quæ vni accidunt, extendi ad omnes.*

Decadem conuitiorum absoluam vindicatione Bernardi à Monte Politiano, quem notat per summam iniuriam propinati Henrico VII. veneni: quâ calumniâ contendo, & paucis eò demonstratum, nullam iniquius quasi certi sceleris comperto & subinde toti Ordini Prædicarorum illatam fuisse immaniorem, ex vnâ æmulorum inuidiâ in virum sanctum, vnde prodierunt sparsi per compita vulgi ore rumores, quos obiicit Launoius, dissimulatis & tacitis certioribus eius innocentiæ testimoniis.

Non dicam huius contumeliæ originem, quâ aduersarius suam incusationem munit, & inuidiosissimè prosequitur animaduersione 8. non esse maioris fidei, eâ vnde prodiit eius natalium infamia, quasi à Patre Coronato procreati: cuius cùm extent duo testes, qui ita esse scripserunt, nimirum Theophilus Raynaudus, & Ioannes Baptista Tiers; quid si multo plures, quàm pag. 418. & tribus sequentibus profert, ex rumore vulgi ab vno Dominicano propinati Henrico VII. veneni, prodeant testes qui euulgent duorum Auctorum testimonio, Launoium eo sacrilegio fuisse maculatum; propterea ne tanquam certissimæ infamiæ se conuictum apud bonos & sapientes putabit? Quare si demonstrem huius execrandi facinoris minus certa esse, quàm quæ in illius natalitia legitima importantur, argumenta; necesse est vel seipsum huic infamiæ & probro sponte subiiciat, vel Dominicanum ab obiecto scelere absolui patiatur: vim meæ demonstrationis & ipsi indictæ necessitatis hanc accusationem deferendi, sic paucis conficio.

Authores qui viam parare possunt ad nostram inquisitionem in quatuor omnino classes diuidendi sunt. Ad primam reuocantur Henrico Imperatori VII. Scriptores

Cortunei, aut suppares, eiusque sæculo proximi, qui historiam illius ætatis, & res ab eo gestas summâ fide & diligentiâ prosecuti, non solùm id mortis genus alto silentio oppresserunt, quod satis foret aduersario, qui summam vim argumentis negatiuis asserit, ex quo genere nullum isto efficacius occurrit aut luculentius; sed etiam aliò eius obitum retulerunt. Ex isto ordine prodeat primùs omnium, qui solus sufficeret depellendæ calumniæ Ioannes Villani, qui imperante Henrico scripsit historiam summâ fide & libertate, aliisque probi Historici dotibus, quales ea ætas ferebat. Is Henricum morbo obiisse narrat, nullâ iniectâ veneni suspicione, aut commemoratione, non omissurus, vt obseruat qui eius historiam edidit, nisi reuera comperisset eam fabulam & calumniam ab omni specie veri abhorruisse.

Ad vim huius argumenti Launoiani seu negatiui, plurimum confert, quod Pater Coëffetæus obseruat responsione ad Mornæum pag. 1022. non solum D. Antoninum, sed etiam ipsum Villanum scripsisse eumdem Imperatorem ante 15. diem Augusti Deiparæ Assumptionis sacrum, quo isti nugaces propinatum venenum narrant, morbo graui fuisse tentatum, dum Florentiam obsideret, vt annotat etiam Ioannes Argentinensis, & *valetudinis causâ consilio Medicorum, solutâ obsidione mutasse cœlum, & Pisas perrexisse*. Vbi alii annotant Historici *morbum inualuisse, & Batholomæum Vagenarium eius Archiatrum consuluisse, compescendo morbo, ne Pisis discederet: sed istū nihil moratum Imperatorem castra mouisse, & peruigilio Assumptionis lautiori conuiuio cum Ducibus & Principibus morbum auxisse, quo breui extinctus fuit.*

Accedat alter eiusdem auctoritatis & fidei Albertinus Mussatus Henrici VII. Imperatoris rerum diligentissimus Scriptor, qui lib. 16. de rebus Henrici hæc habet: *Post multa, triplex illi interitus causa deprehensa est; vna ex nati sub genu lethalis vlceris, quod Physici anthrax vocant; altera scissa abstrangurio vesica, quo morbo assiduè laborabat; tertia pleuresi quam merso iam spiritu vomuisse constitit.* Hæc Mussatus in tres causas relatâ Imperatoris morte, nullâ veneni iniectâ suspicione; quia tres recensitæ causæ satis hanc calumniam depellebant. *Vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum*, accedat tertius, quo per incedi-

bilem audaciam & calumniam Launoius nos infamat, Ptolomæus Lucensis Dominicanus historia Ecclesiastica ad annum 1313. Ea verò narrat, quæ ex Mussato omiseram. *Cæsar profectus vsque Origiam fluuium, peractâ canâ, in fluuij ripa considens tinctis ob refrigerationem in aqua etiam cruribus, subeuntem sensit languorem, & comperta sub dextri cruris genu pustula qua anthrax vocatur, noctem duxit insomnem.* Hîc fidem Launoii appello; & apud æquos judices horrendæ imposturæ accuso: quia, cùm Ptolomæi Lucensis ex Bzouij annalibus verba referat, ad annum 1313. punienda fraude omiserit, quod obseruat Bzouius in vaticano Codice Ptolomæi, vnde in lucem prodiit, post relata à me verba interiecta sit ista vox *additio*, quâ monebatur Lector verba quæ exscribit Launoius *intoxicatus fuit per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum in speciebus Corporis Christi, vt à suis audiui, qui secum fuerunt*: Et sequentia sex carmina; quorum duo priora ita habent;

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici:
Qualiter hic vitam finiuit per Iacobitam.

Hos inquam versus, cum iis quæ sequuntur hanc vocem *additio*, fuisse alienâ manu insertos: aliàs quorsum, inquit Bzonius, illa particula *additio*? Quorsum alia verba *per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum*, cùm eiusdem Prouinciæ Romanæ notissimus esset Bernardus ex eadem gente Etruscâ, Politianus Lucensi, Dominicanus Dominicano? Ad quid illa vox *Iacobita* innota & insolens Italis? Hæc omnia clamant & latrant adiectitia esse, & Launoium post ista intestabilem demonstrant, qui citati Bzouii argumentis Lectorem fraudauit, ne quas instruit exectandas insidias aperiret. Et post ista audiet quasi probus & sincerus Auctor. Proh Superûm hominumque fidem! Non dubitauit scribere, *versus qui Ptolomæi subduntur Annalibus, rem gestam vti certissimam docere* quasi cantilenæ ore vulgi decantatæ à mendaci Poëta, & aliquo nebulone conscriptæ, fidei sint indubitatæ. Ita est apud Launoium, si impotenti Dominicanos infamandi indulgeant eius cupiditati.

Hactenus de prima Scriptorum classe: secunda prodit non à Ptolomæi textu; sed ab additione illi insertâ: quâ illud veneni genus quasi à Ptolomæo Lucensi certò traditum multorum ore & scriptis percrebuit, vti ex Theophili

Raynaudi Hercule Commodiano, & responsione Ioannis Baptistæ Tiers, sacrilega natalitia apud me conficta Launoii; & hoc sensu scripserunt ferè omnes quos longo ordine recenset; Dionysius Petauius, *non sine suspicione veneni*, Genebrardus *sublatus dicitur à Dominicano*. Albertus Grantzius *Ptolomæus Lucensis ita affirmat*, Langius Monachus eiusdem Bartholomæi Lucensis testimonio, omnes ferè addunt *vti dicebatur, vti aiebant*, id est tanquam incertum rumorem percrebuisse, nullo idoneo teste & Auctore: & inde, si Superis placet, inuictæ demonstrationis vim habent iudice Launoio. Tertiæ denique classis Auctores, nulli extant qui certum scelus dent, nisi ipse Launoius, qui singulares vbique opiniones sectatur, & singularia sibi loca vindicat, quasi sit indolem sortitus cum Canibalis, aut cum Samnitibus communem; illi quæcumque noctu somniant mala, vbi euigilauerint, per diem curant effecta dare: Samnites verò aliud nihil somniant quàm quod maximè vellent verum & vigilantibus contingere, ad quæ alterutrius gentis insomnia accedat magis singularis opinio Launoii, nolim dicere: interim si solitudinem in ea classe ægrè ferat, socium dabimus in solatium, Lutheranum Lubicensium Chronographum, & Hollandicæ fidei Ioannem Belcam, qui facultate eximiâ ad miraculum, ex fabulâ, aut saltem ex incerto rumore, indubitatæ auctoritatis conficiunt mortis genus Henrici ex veneno vnius Iacobitæ; vel illito hostiæ, vel sub vngue occultato & calici immixto: neque enim magis horum, quàm accusatorum Christi & Susannæ *conuenientia sunt testimonia*; hi veneno hostiæ affricato, illi volunt interiisse infuso calici, tum cum nullus erat calicis vsus. En iuratos testes quos Launoius pro suo principatu assumpto perdendis Dominicanis iubet nos habere, velut omni exceptione maiores, quamuis apertâ sui dissensione se mendacissimos prodant. Tui miseret me, Launoj! cùm ita te vesaniâ traducendis Dominicanis actum video, vt hâc nouâ calumniâ à quâ abstinuerant Petrus à Clausâ valle, & Petrus Alua, comprobares te his infensissimis nostræ Familiæ aduersariis, magis hostili in Dominicanos esse animo.

Sed tuæ peruicaciæ domandæ, quartæ & postremæ classis auctores produco, agmen ducat Nicolaus Serrarius ex Societate omnino tui dissimilis, id est, sincerissimus &

omni scientiarum genere excultissimus Auctor, qui libro quinto rerum Moguntinarum de subiectâ controuersia ista collegit summâ diligentiâ ex M. S. L. *Affirmant quidem plures Henrico Imperatori à Bernardo quodam Dominicani Ordinis hostiam sacram veneno imbutam nefariè prabitam. Sed à maleuolis illud confictum testatur Trithemius, & alius Scriptor vita Cæsaris Basilea impressus, similiter Balduinus Henrici Frater eâ notâ Monachum liberat, vt in Archiuis Treuirensis Archiepiscopati habetur: exhibitum est anno 1575. Maximiliano II. Romanorum Imperatori Ratisbona ipsum originale Balduini manuscriptum, & Ordinem Prædicatorum eâ de re amplissima habere testimonia certum est. Addit M. S. meus eiusdem ficti rumoris inanitatem testatum etiam Imperatoris eiusdem filium Ioannem Boëmia Regem.* Hactenus Serrarius, qui nos liberat à labore referendi Trithemium; & alios quos aduocat testes, præter Spondanum & Odericum Rainaudum, qui Baronii Annales prosecuti ad annum 1313. quo Henrici VII. mors contigit, præbitum illi in Eucharistia venenum *inter fatuas & aniles fabulas recensent, à pietatis Osoribus iuuentas & sparsas: Quòd nemo,* inquit Spondanus, *ex antiquioribus id absolutè asseruerit; sed tantum ex incertâ vulgi opinione: Et quod maximi,* inquit, *est apud nos momenti, nihil de eo Ioannes Villanius, nihil item Continuator historia Ptolomai Lucensis*, de hoc scripserint, relatâ ad alios tres morbos lethales eius morte. Sed Ioannis Boëmiæ Regis diploma prætermittere citra piaculum vix possim; ne fraudem Ordinem Prædicatorum laude immensâ, quæ in illum deriuauit ex Imperatoria Principum Luxemburgensium cum illo intimâ cognatione, quâ viri & fœminæ Principes suam salutem apud nostros in tuto posuere.

Sic igitur Ioannes Dei gratiâ Boëmiæ Rex vniuersis *suas litteras inspecturis* precatur *salutem, in eo qui custodit veritatem in sæcula, & iudicium facit omnibus iniuriam patientibus; quia*, inquit, *Saluator noster in hunc mundum venit, vt perhiberet testimonium veritatis, & nos pro nostris viribus oportet eius exemplum imitari; tum maximè, cum per vanitates & insanias falsas veritas corruit in plateis; & salus populi inde grauius impeditur, quod nonnulli bonam famam eorum imminuunt, qui pro veritate fidei mittuntur, vt sint in lucem gentium, quarum, sparso longè latéque Verbi diuini*

ſemine ad extremos vſque terræ fines, ſalutem curent & promoueant. Et in eos, quicumque illi ſint, qui Dei nunciis & miniſtris inuidiam & infamiam creant, veriſſimè cadere, illud Prophetæ Regis: *Super populum tuum malignauerunt conſilium*, quia, *cogitauerunt aduerſus ſeruos tuos, ne memoretur nomen Iſraël vltra. Relatum*, inquit, *nobis eſt à religioſo viro Petro à Caſtro Reginaldi, Ordinis Prædicatorum in maximum ſui Ordinis contemptum & dedecus* Chronicis inſertum, & Cantionibus (quas Romancos & Motetos vocat) *paſſim euulgatum claræ memoriæ ſuum parentem* veneno ſublatum à ſuo Confeſſario: *Nos verò vt adeò immani calumniæ qua fieri poteſt, intercedamus, teſtamur, notumque facimus vniuerſis*, vbi primùm hos rumores excepimus, *nos, pluresque ex amicis Principibus Aulæ, nulli labori aut diligentiæ pepercisse, vt de hoc crimine inquireremus, & poſt longam & anxiam indaginem nihil comperiſſe fide dignum.*

Atque hinc prudentiſſimus Princeps ſecundum arripit eius innocentiæ argumentum, *quod perpetuò adhæſerit ſuo parenti ægro, nec à mortuo diſceſſerit, donec ſolemni pompâ tumulo illatum fuit corpus*: quin etiam interfuit Medicorum inquiſitioni, dum cadauer diſſecarunt; explorando ſi quod propinatum fuerat venenum, cuius, iudicio Medicorum, nullum apparuit ſignum: propterea Medici & Chyrurgi vndequaque acceſſiti, qui interiora inſpexerant, litteris & inſtrumentis publicis Bernardum ab ea horrenda criminatione purgarunt: quibus acceſſerunt Cardinalium, Epiſcoporum, & Procerum exercitus teſtimonia; quorum omnium exempla Iacobus Suſatus ſuis inſeruit Chronicis, obſtruendo iniqua loquentium ori, quorum operâ Dæmon vſus fuerat, proſequendis Prædicatoribus regno Inferni plurimùm infenſis: cuius cauſam promouent, qui hunc rumorem primi ſparſerunt, & qui hodie ex Inferis ſuſcitant. Nec immeritò Ioannes Rex filius, innocentiæ Bernardi, & ſecuræ à tanto facinore conſcientiæ, arripit tertium argumentum à perpetuâ corporis defuncti Imperatoris cuſtodiâ, à quâ ſine dubio auulſus fuiſſet, ne ipſius cadaueris indicio, & effuſo ſanguine ad præſentiam & conſpectum homicidæ, vt fieri ſolet, crimen proderetur. *Idcirco*, inquit, *eum innoxium credimus & pronunciamus.* Addit perſolutis parenti obſequiis, *vti antea purè & pacificè ſuæ Religionis obſeruantiſſimum conſenuiſſe Aretii in Ciui-*

tate addicta Gibellinis, qui pro Imperatore ſtabant, vbi à familiaribus Henrici, eiuſque partium ſtudioſiſſimis facile capi potuiſſet, & pœnas dare tanti ſceleris, ſi vel minimum indicium acceſſiſſet.

Poſtremum multoque cæteris luculentius argumentum calumniæ Dominicano illatæ trahit Ioannes Rex ab ardentiſſimâ totius Familiæ Luxemburgenſis, & quæ ipſius accuſationis atrocitate aucta fuit in Dominicanos inſontes beneuolentiâ. Nam præter quod ipſemet Henricus Monaſterium Luxemburgenſe à fundamentis extruxerat, regiâque magnificentiâ exornauerat & locupletarat; præter quod Cardinali Pratenſi Dominicano Imperatoriam dignitatem præ ſe ferebat ſe debere; duæ eius ſorores habitum Ordinis ſuſceperant, ſuamque virginitatem ſub D. Dominici nomine & patrocinio vouerant: ex quibus vna præfecturâ Conuentus (quam prioratū vocamus) ſanctè fuerat defuncta, vt obſeruat ſuis litteris Ioannes Rex: Deinde Auia eius Beatrix mater Imperatoris, quæ illi aliquot annis ſuperſtes vixit, exuuias ſui corporis inferri voluit ſepulchro noſtri Ordinis Sororum. Norunt eruditi & docti antiquitatis callentes nullum ardentius votum, eo eſſe, quo Deum, & Superos Parentes ſollicitant, ne patiantur ſe filiis ſuperſtites eſſe; vnde nimia & anxia Religio ſuperſtitionis nomen ſortita eſt. Quis igitur credat venerabilem illam annis grauem Henrici matrem, cùm Dominicanos *dilexiſſet vſque in finem*, elegiſſe ſui corporis cuſtodes, ſi vel minimùm fuiſſet ſuſpicata ſuum filium ſacrilegio peremiſſe. Apage tantam, ne dicam matris, ſed vel etiam nouercæ aut feræ immanitatem, quam ſolus credere potuit Launoius ſuis conſiliis & in Dominicanos calumniis opportunam. Nec ab Auiæ & Amitarum receſſit votis & affectu in Dominicanos Maria Henrici filia, Ioannis ſoror, ſuſcepto Ordinis habitu, & antequam ſe voto ſolemni aſtringeret ad nuptias rapta cum Carolo Rege Franciæ IV. cognomento Pulchro, qui ſecundam duxit vxorem Mariam, vt hiſtoriæ noſtræ narrant, diſſoluto cum primâ coniuge ſuperſtite adulterii conuicta matrimonio, quod cognationis cum eius matre ex munere ſuſceptoris initæ impedimentum legitimâ diſpenſatione non curaſſet amoueri: Et hæc fuit iudicio Epiſcoporum Galliæ idonea cauſa ſecundarum cum Maria

Luxemburgensi nuptiarum, quas breui secutum est infœlix puerperium immaturæ prolis masculæ quæ post Baptismum obiit ac matrem peremit. Nec primi propositi profitendæ Dominicanæ institutionis oblita, ex illo Ordine quamdiu vixit Confessoribus vsa, posthabito Sancti Dyonisii templo ac sepulchro Regum iussit suum corpus Monasterio nostratum Virginum Montargiensi, inferri: vt post mortem cum iis monialibus conquiesceret, à quibus dum viueret, inuita discesserat; nunquam hoc postremo mandato, sui patentis parricidium approbatura, si suspicata fuisset illius reatu Dominicanum aliquem se, totamque familiam maculasse.

Principum affectus quo vehementiores eò vt plurimùm breuiores esse solent; illosque bonorum omnium vsurâ beatos facile eorum satietas capit, quorum maximè æstuabat cupiditate si vel minimæ intercedat offensionis suspicio: nec dubium est quin Luxemburgensium Principum ardentissimus amor in Dominicanos nedum intepuisset, aut resedisset; sed etiam in apertum & acrius versum fuisset odium, si Henrici domus regnatricis, & summi præsidii & ornamenti mors, vllâ veri specie aut similitudine potuisset Dominicanis imputari. At certum est ab ea cogitatione sic abhorruisse, vt sparsis illis rumoribus & calumniis æmulorum, domestica & quasi hæreditaria in Dominicanos beneuolentia exarserit, & quod vix bene meritis contigit vnquam, summo huic ardori addiderit perennitatem: eius originem non refero, quia sicut altæ nobilitatis initium memoriam effugit; certum est à matre Henrici sin natam, compertam tamen perseuerasse, & nouis augmentis semper excreuisse, nec solùm à filio Ioanne, sed etiam à Carolo IV. Imperatore nepote Henrici Cæsaris & pronepote Beatricis, nouis in nostram familiam perpetuæ amicitiæ & munificentiæ monumentis omnibus fuisse comprobatam.

Ille quidquid in Germania è rumore sparso infamiæ supererat, abstersurus, magnis precibus à Præposito Generali Prædicatorum pro summo beneficio efflagitauit, & tandem obtinuit, vt Pragæ Metropoli Boëmorum comitia sui Ordinis generalia celebraret. Quâ verò humanitate, quibus donatiis, conuiuiis, more gentis, Dominica-

nos exceperit Carolus Henrici nepos, & Imperatoriæ dignitatis hæres, ne sim longior, referre omitto.

Putabat Launoius vicies repetito nomine Bernardi à Monte Politiano se æternum nobis dedecus creaturum. Sed parum abest quin illi summas gratias agam, quod iustam causam subiecerit citra vllam iactationem, celebrandi antiqua Ordinis decora, & perpetuæ in illum per longam seriem Luxemburgensis Familiæ humanitatis & Beneuolentiæ monumenta, ita depellendis eius calumniis efficacia, vt prope exclamem, tanti fuisse contumelias pati, vt nouæ lucis & gloriæ accessione illustrior fieret, & qui perpetuò illum arrodit ipsis hæreticis intestabilior fieret: Nulli magis venenosa scripta edidére in nos, duobus quos retuli, Iacobo Meyero & Ioanne Belca, qui exhaustis omnium æmulorum commentis, non dubitarunt tamen narrationi hæc verba inserere in aliquod nostrum leuamen: *Sunt qui ob honorem Ordinis excusare importunissimum latronem ac parricidam nituntur* (his epitetis Bernardum deformant) *sed nemo, vnus homo quamuis perditissimus totum Ordinem denigrat: cùm in omni vita ordine nulla non ætate intertriticum & zizania crescant.* Si aliquid frontis & pudoris (cuius postrema est omnium iactura) superfit Launoio, non est dubium quin erubescat, cùm viderit quod subieci, Caluinistas excusare Dominicanos, ab eodem scelere, cuius ipse consortium & infamiam, quâ valet loquentiâ, in totum Ordinem deriuat; ne quid eius Epistolæ deesset absoluendæ conuitiatoris iconi primoribus tantùm coloribus informatæ: cui summam manum absit vt admoueam; sed more pictorum appono, *faciebam.*

FINIS.